AND. SCHOTTI S.I.

OBSERVATIONVM HVMANARVM LIB. V.

Quibus Graeci Latiniq; Scriptores, Philologi, Poetae, Historici, Oratores, & Philosophi emendantur, supplentur, & illustrantur.

Ejusdem

NODI CICERON. VARIORVMQVE LIB. IV.


ITEM

CAROLI LANGI IN CICERON. ANNOTAT.

Ejusdemq;

CARMINA LECTIORA.

SEORSIM VERO EDITA PROCLI CHRESTOMATHIA Poetica, cum Scholiis And. Schotti, & Petr. Ioan. Nunnesii.







ANTVERPIAE,
Veneunt apud GASP. BELLERVM,
M. DC. XV.
Superiorum permissu & privilegio Caes. Maiest.



CLAR. VV.

IACOBO ROELANTS J.C.
REIP. ANTVERP. SYNDICO,

PETRO ET CORNELIO P.F.C.N.
SCHOTTIS FRATRIBVS

Propius mihi sobrinis



AND. SCHOTTVS SOC. IESV

Sal. in Dom. Dico.





OGARUNT me pridem complures eruditi viri, etiam per epistolam, & quotidiano pænè convicio efflagitarunt, ut quæ juuenis ipse in diuturna illa ἀποδημία, viginti annorum Vlyssis exemplo, peregrinatione per Galliam, Hispaniam atque Italiam, partim legendi, partim docendi usu observassem, ea in opertam lucem tandem aliquando proferrem, nec ea perpetuò premerem, aut procrastinando nimis intercidere paterer: quo absentiæ à patria, multorumque in Græcis Latinisque scriptoribus vigiliarum fructus aliquis existeret, ad posterosque ea irent, quæ vt ipsi quidem

* amicè

amicè nimis, hoc est, cœcis oculis præsagirent, ætatem ferre possent. Restiti equidem ad hanc diem, nec precibus votisq; cessi, quin pressi potiùs mea, neve vento, veluti Sibyllæ folia, dissiparentur, arcis clausi, ad graviora me studia superiorum jussu conferens, quæ & ætatem hanc, & seculum depravatis opinionibus inquinatum, vitæ denique hoc institutum decere magis, aptioraq; esse rectè existimarent, ne in his interioribus litteris (quæ juventutem alunt quidem, sed alunt tantùm, alioq; respectum habent) planè consenuisse viderer: quæ studia pedisequæ tantùm sunt, dominæ ac Reginæ scientiarum Theologiæ, cui me totum Societati adscriptus consecrâram. Nunc demum majorum imperio, in matura hac ætate ac penè fessa, excidere mihi æquo animo patior Iuveniles hasce *Observationes.* Cur verò *humanas* inscribendas duxerim, si forte tanti est ut quæratis, brevi respondeo: quòd *Divinas etiam sacrasque Observationes* brevi subjiciam, si longior vitæ usura, schedis chartisq; excutiendis, Dei benignitate dabitur: edolatis nuper Stephani Vinandi Pighii integris *Annalibus Rom. Magistratuumq; Fastis*: quibus auctor immoriens, spiritumq; Deo reddens testamenti tabulis hoc mihi oneris honoris mei gratiâ absens (singulari amoris elogio, ut justa sito persolverem) commendârat. Neq; hęc, ut grandia tenues, sine exemplo tandem extrudimus. Suspendimus nimirum de salicibus nablia ac lyram, ut olim Israelitæ in Babylonem per Euphratem captivi ducti, Psal. CXXXVI. vel, ut artem aliquam desinentes solent; & gladiator ille rude donatus,

————— Veianius armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.

Sed & domestica suppetunt exempla. Societatis nostræ Patres discendo docendoq; diu multumq; exercitati, etiam in senio *Critica* indies edunt: in Italia Lælius Bisciola *Subsecivas Lectiones*, in Bœtica verò Hispaniæ Martinus Roa Singularium Sacræ Scripturæ, & externorum auctorum *libros VI.* nobis *Observationum* modesta quoq; placuit ἐπιγραφὴ: quando alii in hoc genere prodigiosos olim titulos

los indiderunt: ut Agellius, qui Latinos inter veluti primus exstitit, *Noctes Atticas*, ejusque simius Macrobius *Saturnalia* inscribunt; quidam Ἀ'μαλθείας κέρας, alii *Pandectas*. Σύμμικτα, πάρεργα, μνημόνια, alii aliis nominibus suas olim vigilias venditarunt. Posteriores verò nostrâ avorumque memoriâ nominant, ***Miscellanea, Adversaria, Animadversa, Subseciva, Antiquas, Novas, Varias, Controversasq́; Lectiones.*** Sed *Criticum* id omne scribendi genus hodie contemni audio. Scio, & doleo. Temporum id omne, mihi credite, vitium est, non hominum, nisi imperitorum, qui has ipsas litteras vix à limine salutarunt, sed ad sordidas tempestivè nimis artes conversi, nuntium iis remiserunt, quibus à vulgo segregari, humoque tolli potuissent; quique verè an falsò quid in auctoribus legatur vel edatur, cicum, ut Plautino utar verbo, non interduint. His quoque breviter respondeo: Aliâ nos insistere viâ, neque mea invitis obtrudere velle, qui hæc cum C. Lucilio apud Ciceronem *doctissimum Persium legere nolo, Læliũ Decimum volo.* Optamus enim hîc Lectorem medium, neq; indoctissimum, neque rùrsus doctissimum: quod nihil ille intelligat; hic plus fortasse intelligat, quàm de se auctor ipse, ac ne his quidem indigeat, quæ juventutis nostræ fidei commissæ scholis mensisque apparamus. Sed quid hîc quæso non dictum ab aliis aut lectum? Erunt fortasse non pauca. Cavi enim sedulò & mihi imperavi ex lege Laurentium, ne alienum quid in armum tollerem. Igitur quantum licuit, alieno abstinuimus, ne corniculæ Æsopicæ in morem alienis me plumis ostentans risum aliis commoverem. Percurri olim omnes, qui magno cum fructu, laudandarumque artium incremento *Critica* parentum memoriâ dedere: Politianos, Cœlios, Victorios, Turnebos, Muretos, Alciatos, Cujacios, Mercuriales: & de Belgis, Nannios, Iunios, Canteros, Leopardos, Carriones, Rævardos, Modios, ceteros. In his si quid anteà à me observatum offendissem, quod ut sæpè fit, in mentem nobis venisset, mea expunxi, alia subjeci: & tantum abest ut è mustaceo laureolam præreptam doluerim, ut etiam seriò sim gavisus,

hoc me onere sublevatum. Si quid verò censuissem *addendum, demendum, mutandumve*. (In his enim potissimùm res hæc omnis versatur) chartis libenter mandavi, ut suum cuiq;, quod justitiæ est proprium, tribuerem, agnoscerémq; ingenuè per quem profecissem. Quamobrẽ ut nec gloriæ cujusquam detrahere, sic nec acerbo convicio perstringere volui aut debui. Maledicendi enim & calumniandi vitium odimus; imò, dicam ingenuè, alienis erratis veniam libentiùs, conatus cujusq; laudando damus, quò faciliùs ab æquis lectoribus nostris impetremus. Multum fortasse videatur post tot tantos Criticos adferre quid non pœnitendum potuisse, & majus, quàm si Herculi clavam extorqueas, aut è quercu quid exsculpas. Nec culpamus modò corrupta Scriptorum veterum loca, aut obscura illustramus (prȩstant id alii quoq; non infeliciter) sed & hiatus non paucos explevimus, quò planior deinceps esset legentibus via. Quod ut olim in Seneca Rhetore pro virili studuimus, sic nunc etiam in *Archimede, Anacreonte, Pindaro, Arriano, Plutarcho, Ioanne Stobæo*, aliisq; præstitimus, voluimus quidem certè: utq; quantum sequi voluimus consequi non licuit, laudanda tamen, etsi facultas desit, bene de aliis merendi voluntas est. Legem itaque semel edico: Dissentire à nobis salva amicitiæ lege, jus fasq; esto. Quare Eveni Parii illud libens usurpem:

> Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.
> *Illa tibi placeant; hæc mihi certa placent.*

Sic se res habet, ait Tullius Tuscul. V. *Te tua; me delectant mea*. Quorũ igitur in manus hi libri venient, Persarum velim legem humanitatis plenam servent: ut si quando collineando à scopo aberravi (homo enim sum & dormitat quandoq; Homerus:) ne statim rejiciant aut condemnent cetera; sed si erratis rectè inventa, dicta & cogitata præponderant, liber ipse conviciis absolvar. Paratus enim accedo, B. Augustini exemplo, τὰ σφάλματα retractare, meliora sine convicio edoctus. Sic enim Cassii Parmensis Orpheus suadet:

Pro-

Proiiciet sapiens quod mox laudaverat in se,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

Hos igitur *Humanarum observationum* libros (quibus & *Nodos Ciceronianos* adcudimus, quæque olim in *Procli Chrestomathiam Poeticam* commentabar) Sociorum meorum commodo apparere nunc volui, si quis forte his veluti calcaribus ad studia humanitatis, & utile, tametsi laboriosum docendi munus magis magisque exstimularetur. Hinc enim Romani rerum domini, gensq; togata, cereas Majorum suorum Imagines in atriis statuebant, gestabantque in funere rati, quod Crispus ait Sallustius; *Non ceram illam neq; figuram tantam in sese vim habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregiis viris in pectore crescere: neq; prius sedari, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquarit.*

Agite, in majorum nostrorum exempla mecum spectantes, Feliciter hosce juveniles meos labores à vulgo imperitorum contemni ac fastidiri ne patiamini. Te, te enim Roelanti juris sacerdos appello; qui laudandarum artium & civilis Jurisprudentiæ à patre, avo, Mudæo, hausta cognitione familiam ducens, insignem in Repub. perpetuumq; Magistratum, & *Schottorum* nuptias adeptus doctrinâ clares: fratremq; habuisti Gabrielem, mei in studiis æqualem, & ad summa quæq; illustrandasque litteras natum, nisi si mors, ut solet, immatura in medio eum cursu nobis eripuisset. Vos verò egregium in Repub. par fratrum, SCHOTTII, concordes in amore, majorumque Religione, & duarum sororum Donckeræ familiæ conjuges, Petro parente, (qui Reipubl. ab Eleemosynis vixit) Liberis vestris, quibus hæc adornavimus votis secundis, ubi maturuerit ætas, hæc nostra veluti domestica exempla in manus tradite, ut non incertis fluxisque confisi divitiis, ad animum potiùs ingeniumque excolendum sese convertant.

Habetis

Habetis consilii mei rationem, cur vobis potissimum inscribere placuit. Vestræ erit humanitatis ea vicissim complecti, & æqui boni facere, nosq; ope etiam allata à maleuolorum tueri calumniis. Valete Antuerpiæ prid. Kal. Sextil. CIↃ. IↃC. XIV.



INDEX



INDEX LIBRI I. OBSERVATIONVM PHILOLOGIÆ.

OBSERVATIONVM POETICARVM LIBRI II.

** Turpem

Hi-

OBSERVATIONVM HISTORICARVM LIB. III.

Loca

OBSERVATIONVM ORATORIARVM LIBER IV.

Eume-


OBSERVATIONVM PHILOSOPHICARVM.

Libri V.

** 3 *Orestis*



CASPE-



CASPERII GEVARTII BRABANTI, *in Obseruat. libros Ant. Schotti Antverpiani.*



Omanæ columen, decusq; linguæ
Varro, RES HOMINVM, DEVMQ; quondam
Doctis condiderat, sacrisq; libris.
Sed heu, Tempus edax, diu vigere
Quod nil egregium sinit, profanis
Heu nefas! opus obruit tenebris.
Et nihil nisi semifracta verba
Ætas inuida posteris reliquit.
Donec tu Pater elegantiarum
Disertissime SCHOTTE, posterorum
Iacturam miseratus & Iuuentæ,
Nobis restituis diu petitas
DIVORVMQVE HOMINVMQVE LECTIONES.
Quas præsens tibi gratias Iuuentus,
Quin & Posteritas reponet olim?
Hunc certè tituli dabunt honorem:
VARRO, Schotte, TVI DISERTE SÆCLI.

IN ANDREÆ SCHOTTI HVMANARVM OBSERVATIONVM LIBROS V.

Ἔθνος τὸ τῶν μελισσῶν
ἐν δενδρέοις κομώντων
καὶ ἀνθέων ἰουλῶν
Θέρους καλῇ ἐν ὥρᾳ
Δροσώδεις πλαχμοὺς
Ἐπὶ πτέρυξιν αὐτῶν
Φέρουσι καὶ ἐμπλέξαι,
Ὅθεν δ' ἄπαισιν ἰθὺς
μελισταγὲς τὸ νᾶμα
συγχέουσιν αἱ μέλισσαι.
Τί δ' ἐν πίναξι τοῦδε
Τί δ' αὖ σοφοὶ ὁρῶμεν;
Τὸν ἐν σκολιοῖς χόρτον

Σοφῶν δίκην μελισσῶν
Ἐκ βιβλίων παλαιῶν
Ἐκ τῶν λογογραφούντων
Καὶ τῶν φιλοσοφούντων
Καὶ ἐκ θείων ποιητῶν
Καὶ ἐκ δεινῶν Τραγῳδῶν
Τὰς λέξεις τὸ νᾶμα
λαβὼν, τί καὶ ἀθροίσας,
Καὶ πᾶσι νῦν προπίνειν.
Οὐ πλεῖον δ' ἀγάζῃ
ὅπου πῦρ χολὴ ἦν
Καὶ μέλι ἐστὶν ἤδη.

G. GR. S. I.

ANDR.

APPROBATIO.

CAROLUS SCRIBANI Præpositus Prouincialis Societatis IESU in prouincia Flandrica, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito generali Claudio Aquaviva facultatem concedo, ut *Humanarum Observationum libri V.* quibus veteres Scriptores Græci Latiniq; illustrantur, emendantur, ac supplentur, à *P. Andrea Schotto* Antverpiano compositi, & eiusmodi Societatis eruditorum hominum iudicio examinati & approbati, typis excudantur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus Antverpiæ, Prid. Kal. Febr. CIϽ IϽC XIV.

Carolus Scribani.

HI *libri* Humanarum Observationum, *studio, ac labore R. Patris* Andreæ Schotti *Societatis Iesu Presbyteri, conquisiti, pleni sunt antiquorum eruditione, multa obsoleta illustrantes, & in nullo Religionem nostram offendunt. Quare dignos censeo qui in publicum prodeant. Antverpiæ 28. Ianuarii Anno 1614.*

Egbertus Spitholdius, Plebanus
Antverpiensis, librorum Censor.



ANDR. SCHOTTI
OBSERVATIONVM PHILOLOGIÆ
LIBER I.

Archimedis de Sphæra libris principium datum.

CAPVT I.

VT olim Archimedes, Geometriæ Princeps, teste *Vitruuio lib IX.* & *Q. Rhemnio Fannio Palæmone, poemate de Ponderibus & Mensuris,* dum in balneo lauaret, ex affusæ aquæ modulo auri mensura in corona reperta, & modo exsiliens exclamauit, εὕρηκα: ita mihi gaudere fas sit, reperto primum, iamque edito capite libri mutili *Archimedis de Sphæra.* Qui dum in erudito illo puluere Geometrico lineas ducens summa animi intentione occuparetur, captis Syracusis, quas machinis egregie defenderat, ab imprudente milite, contra Imperatoris M. Marcelli, qui eum Briarco centimano cõparabat, imperium est interfectus, *Plin. lib. VII. c. XXXVII. Plutarch. in Marcello.* Cuius etiam sepulcrum, sæptum vndique vepribus, ignaris incolis ostendisse se M. Tullius *Tuscul. V.* gloriatur. Qui quidem tumulus, propter immaturæ mortis calamitatem, nomen etiam pressisset, absque Germanis Mathematicis fuisset, qui primi *Archimedem* Græcè in lucem parentum memoria reuocarunt. Belli tamen cladem integer effugere non potuit. Capite enim truncatus, fuga dilapsus est, turpius quam ῥιψασπίσαι apud Spartanos. Illud nos ab erudito Medico Cæsar-augustano acceptum Hermæ nunc reddemus, latinitate vtcunque & Quiritium iure à nobis donatum.

ΑΡΧΙΜΗΔΗΣ ΔΩΣΙΘΕΩΙ ΧΑΙΡΕΙΝ.

Πρότερον μὲν ἀπέσταλκά σοι τῶν ἡμῖν τεθεωρημένων γράψας μετ᾽ ἀποδείξεως, ὅτι πᾶν τμῆμα τὸ περιεχόμενον ὑπὸ τῆς εὐθείας, καὶ ὀρθογωνίου κώνου τομῆς ἐπίτριτόν ἐστι τοῦ τριγώνου τοῦ αὐτὴν βάσιν ἔχοντος τῷ τμήματι, καὶ τὸ ὕψος ἴσον. ὕστερον δὲ ὑπὸ πεσόντων θεωρημάτων ἀξίων λόγου, πεπραγματευμένῳ περὶ τὰς ἀποδείξεις αὐτῶν. ἔστι δὲ αὐτὰ τάδε. ὅτι πάσης τῆς σφαίρας ἡ ἐπι-

ἡ ἐπιφάνεια τετραπλασίων ἐστὶ τοῦ μεγάλου κύκλου τῶν ἐν τῇ σφαίρᾳ. ἔπειτα δὲ ὅτι παντὸς τμήματος σφαίρας τῇ ἐπιφανείᾳ ἴσος ἐστὶ κύκλος. οὗ ἡ ἐκ τοῦ κέντρου ἴση τῇ εὐθείᾳ τῇ ἀπὸ τῆς κορυφῆς τοῦ τμήματος ἀγομένῃ ἐπὶ τὴν περιφέρειαν τοῦ κύκλου, ὅς ἐστι βάσις τοῦ τμήματος. πρὸς δὲ τούτοις ὅτι πάσης σφαίρας ὁ κύλινδρος, βάσιν ἔχων τὸν μέγιστον κύκλον τῶν ἐν τῇ σφαίρᾳ ὕψος δὲ ἴσον τῇ διαμέτρῳ τῆς σφαίρας. αὐτός τε ἡμιόλιός ἐστι τῆς σφαίρας. καὶ ἡ ἐπιφάνεια αὐτοῦ τῆς ἐπιφανείας τῆς σφαίρας. ταῦτα δὲ τὰ συμπτώματα αὐτῇ φύσει προϋπῆρχον περὶ τὰ εἰρημένα σχήματα. ἠγνοεῖτο δὲ ὑπὸ τῶν πρὸ ἡμῶν περὶ γεωμετρίαν ἀνεστραμμένων. οὐδενὸς δὲ αὐτῶν ἐνενοηκότος ὅτι τούτων τῶν σχημάτων ἐστὶ συμμετρία. διὸ οὐκ ἂν ὀκνήσαιμι ἀντιπαραβάλλων αὐτὰ πρὸς τὰ ὑπὸ τῶν ἄλλων γεωμετρῶν τεθεωρημένα, καὶ τὰ δόξαντα πολὺ ὑπὲρ τῶν σχημάτων τῶν ὑπὸ Εὐδόξου περὶ τὰ στερεὰ θεωρηθέντων. ὅτι πᾶσα πυραμὶς τρίτον ἐστὶ μέρος πρίσματος τὴν βάσιν ἔχοντος τὴν αὐτὴν τῇ πυραμίδι, καὶ ὕψος ἴσον. καὶ γὰρ τούτων προϋπαρχόντων φυσικῶς περὶ ταῦτα σχήματα, πολλῶν πρὸ Εὐδόξου γεγενημένων ἀξίων λόγου γεωμετρῶν. συνέβαινεν ὑπὸ πάντων ἀγνοεῖσθαι, μήδ᾽ ὕψος κατανοηθῆναι. ἐξέσται δὲ περὶ τούτων ἐπισκέψασθαι τοῖς δυνησομένοις. ὀφείλομεν ὄιω κώνονος ἔτι ζῶντος ἐκδίδοσθαι ταῦτα. τῇ νῦν γ᾽ ὑπολαμβάνομέν που μάλιστα δύνασθαι κατανοῆσαι ταῦτα, καὶ τὴν ἁρμόζουσαν ὑπὲρ αὐτῶν ἀπόφασιν ποιήσασθαι δοκιμάζοντες δὲ καλῶς ἔχειν μεταδιδόναι τοῖς [οἰκείοις τῶν τοῖς] οἰκείου μαθημάτων, ἀποστέλλομέν σοι ἀποδείξεις, ἀναγράψαντες ὑπὲρ ὧν ἐξέσται τοῖς αὐτὰ μαθήματα ἀναστρεφομένοις ἐπισκέψασθαι. ἐρρωμένως [ἴσ. ἐξέσται τοῖς περὶ τὰ μαθήματα. ἔρρωσο.]

Archimedes Dositheo Sal.

PRius quidem ad te misi ex theorematis à nobis excogitatis, cum demonstratione scripta, omnem videlicet portionem à recta linea & coni restinguendi sectione contentam, sesquitertiam esse triangulo eandem basim habenti cum portione, & æqualem altitudinem. Deinde occurrentibus theorematis animaduersione dignis operam gnauiter dedimus, vt eorum demonstrationes consequeremur. Sunt autem ferè huiusmodi. Omnis sphæra superficies quadrupla est circulo, eorum qui in sphæra describuntur maximo. Præterea omnis sphæricæ portionis æqualis est circulus, ex cuius centro linea recta ducta, æqualis est rectæ lineæ, quæ à vertice segmenti sit producta ad ambitum circuli, qui est segmenti basis. Adhæc, omnis sphæra basim habens, maximo, in sphæra contentorum, circulo æqualem; altitudinem verò diametro sphæræ æqualem illâ sesquialter est ipsi sphæræ; atque eius superficies sphæræ superficiei. Hæc autem accidentia natura ipsa dictis figuris conueniebant, verum ignota superioribus, qui ante nos de Geometria scripserunt. Esse enim harum figurarum proportionem seu commensum quendam, (συμμετρίαν Græci vocant) *nemini eorum in mentem venerat. Quare non piguerit conferre hæc, & committere cum aliorum Geometrarum speculationibus, iisque valdè in vulgus probatis figuris solidorum corporum ab Eudoxo excogitatis: puta omnem pyramidem tertiam esse partem serramenti* (πρίσμα Græci dicunt) *habentis eandem basim cum pyramide, & altitudinem æqualem*

qualem. Et omnem conum tertiam esse partem Cylindri eandem basim cum cono habentis, & æqualem altitudinem. Etenim his ita figuris ipsis natura conuenientibus, multisque ante Eudoxum ingenti gloria florentibus Geometris, accidit tamen ab omnibus ignorari, nec à quoquam intelligi. Licebit igitur hæc contemplari eos, qui ad hæc discenda apti erunt. Oportuit autem Conone adhuc superstite hæc edi, quem vnum arbitramur optimè hæc intelligere, verumque de his iudicium ferre posse. Rati adhæc operæpretium, hæccum Mathematicarum artium studiosis communicare, has ad te mitto conscriptas, vt habeant & his disciplinis dediti, in quo ingenium exerceant. Vale.

Sitne Lex Satura? per Saturam sententiam ferre, exquirere. Historiæ per Saturam. *Iustinianus & Sallustius illustrati.*

CAPVT II.

LEx *Satura* Romanis erat, quæ multa & diuersa capita continebat. Festus Pompeius. *Lex Satura multis aliis conferta legibus.* Et Diomedes lib. III. Gramm. In veteri quoque Glossario *Satura*, νόμος πολλὰ περιέχων. Ducta similitudine, siue à *Satura* lance, quæ variis frugum primitiis referta in sacra Cereris inferebatur, & à copia atque Saturitate *res Satura* vocabatur. Cuius generis lancium & Virgil. in sacris meminit, II. Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.
Pòst.——*Lancesque & liba feremus.*

Et VIII. Æneid. de Herculis sacerdotibus:

Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.

Siue à quodam farciminis genere, variis rebus conditi, quod *Saturam* M. Varro vocat, lib. II. Plautinarum Quæstionum: *Satura est*, inquit, *vbi passa & polenta & nuclei pinei ex mulso consperſi. Adhæc alii addunt & de malo punico grana.*

Hinc & *Satura* vel *Satyra* dictum (etsi in Poetica repugnet Iul. Cæs. Scaliger) maledicum carmen, & ad carpenda hominum vitia veteris comœdiæ charactere compositum: quale Lucilii, Horatii, Persii, & Iuuenalis: quod initio variis poematis, prosaque oratione constabat; qualia Varronis, teste Fabio lib. X. cap. I. Pacuuii, & Petronii Arbitri Saturarum ἀποσπασμάτια circumferuntur. Quale forte & aureolum illud Boethii *de Consolatione Philosophiæ* carmen prosamque alternans. Alii à *Satyris* lasciuis & impudicis deriuari malunt.

Qui nostra, maiorumque memoria Legum, quæ in Pandectis non ex-

 stant,

ſtant, capita ſtudioſè collegerunt, quo maior cumulus eſſet, *Saturam legem* in hoc album retulerunt, Feſti credo & Diomedis auctoritatem cum Iſidoro *lib. V. Etymolog. c. XVI.* ſecuti. Qui cum incorruptum & gloſſematis contaminatum Salluſtii exemplar inciderint, quid mirum, ſi, vt ſolet, fefellerint? Sic enim Criſpus Iugurthino bello: *Dein poſtero die quaſi per Saturam* (legem) *ſententiis exquiſitis, in deditionem accipitur*, quæ verba Feſtus C. *Lælio* tribuit. In antiquis calamo exaratis libris, quos videre contigit, & Alciatus lib. VI. de verbor. ſignificat. aliique inſpexerunt, τὸ *legem* rectè abfuit. Sed *per Saturam ſententias exquirere* Conſulem interpretor, cum nullo habito delectu, vel ordine ſeruato, ſententias rogaret, quo temporis compendium quæreret. Romani itaque, quas leges perpetuò valere & æternas eſſe volebant, in earum ſanctionibus, id eſt, extrema parte, qua iis, qui in eas committerent, multa irrogabatur & ſanciebatur pœna, adiicere ſolebant: NEVE PER SATVRAM ABROGATO AVT DEROGATO. Hoc eſt, ne ſimul quis cum aliis alicuius legis capitibus de iis abrogandis ad populum ferret, ſed ſeparatim de ea re tantum ageret. Cum enim turbulenti aut factioſi magiſtratus legem aliquam abrogatam vellent, legum quædam capita æquiſſima, & multitudini valdè grata proponere, interque ea de alia lege abroganda inſerere ſolebant. Qua fraude circumuentus populus, vtiles ſæpè leges imprudens abrogabat. Hinc apud Feſtum T. Annius Luſcus *in Oratione contra Tib. Gracchum*, imperium quod plebs dederat, id ſibi *per Saturam* abrogatum eſſe conqueritur, & Iuſtinianus quoque Latinam libertatem quaſi *per Saturam inductam* refert, *cap. 1. Cod. de Latinorum libertate toll.* & in veteri tabula ænea legitur:

EXTRA QVAM SEI QVID IN SATVRAM FERETVR.

Huic vitio tollendo concepta lex eſt *Cæcilia Didia*, à Q. Cæcilio Metello, T. Didio Coſſ. Anno IↃCLV. poſt R. C. lata & appellata: cuius duo capita; vnum, ne diuerſis de rebus lex vlla ferretur; alterum, vt leges trinundino promulgarentur, vt auctor eſt Cicero *pro Seſtio, pro Domo, Philipp. V. & lib. 11. ad Attic. Epiſt. IX.*

Variæ autem hinc tralationes fluxerunt. Nam quidquid coniunctim, confuſè, non ſeruato aut temporis aut rerum ordine fiebat, id *per Saturam* fieri dicebatur. Imp. Iuſtinianus de Inſtitut. agens: *Primo quidem anno hoc opus tradebatur legentibus, non ſecundum edicti perpetui ordinationem, ſed paſſim & quaſi per ſaturam collectum, & vtile cum inutilibus miſtum, maxima parte inutilibus deputatis.* Auctor Panegyrici Flauienſium, qui Conſtantino Imp. dictus eſt: *Separatim*, ait, *vtique dicam, neque quaſi per ſaturam confundenda ſunt beneficia tua.* Lactantius lib. I. Diuinar. Inſtitut. cap. XXI. *Peſcennius Feſtus in libris Hiſtoriarum per Saturam refert, Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare.* Et Ammianus Marcell. lib. XVI. *Cum res in inquiſitionem veniret, & obiectorum probatio*

batio speraretur, tanquam per Saturam & subito suffragantibus cubiculariis, vinculis sunt soluti.

Interdum etiam variam abundantiam, & quasi saturitatem significat, vt Fl. Carisio Sosipatro lib. II. Grammat. *Maxime*, inquit, *cum Aduerbium Stoici πανδέκτην vocent. Nam omnia in se capit, quasi collecta per Saturam, concessa sibi rerum varia potestate.* Hinc & Tullium Tironem Ciceronis libertum, de variis & promiscuis Quæstionibus πανδέκτας inscripsisse, tanquam omne genus rerum ac doctrinarum continentes, auctor Agellius lib. XIII. cap. XI. *Satyra* itaq; *Lex*, non certa vna, sed quæcunq; plura continet capita.

Accepta in Athenæo, aliisq; retenta lectio.

CAPVT III.

Facio libenter, vt aliorum erratis ignoscam, quo nostris facilius veniam impetrem. Homeri locum Iliad. α vers. 290. Gul. Canterus, homo eruditissimus, lib. I. Nouarum lect. Cap. II. explanat contra Eustathii opinionem:

οἱ δὲ μιν αἰχμητὴν ἔθεσαν θεοὶ αἰὲν ἐόντες,
τοὔνεκα οἱ προθέουσιν ὀνείδεα μυθήσασθαι.

Accipit hæc Eustathius, quasi sic dixerit Agamemnon: *An quia fortis est, ideo maledicta sermonem eius præcurrunt?* Vnde coniicimus, προφέρουσι legisse, planius longe quam προθέουσιν.

Idem *lib. III. Nouarum. cap. XXIII.* versum ex *lib. 1. Antholog.*

ἀλλήλοις μερίζαι πάλιν τις εἰς ἔλεον:

non video cur correxerit reponendo πάλιν, cum ἔλεον magis ad sensum faciat, pro *commiseratione.*

Venio ad Athenæum, in quo receptam lectionem libro X. retineo contra Canterum libro IV. Nouarum cap. V. Alexidis Comici versus, Vlysse textore: ζῶντι γὰρ

κατὰ φύσιν πέφυκεν οὕτως καὶ ἱμαντίας ἰδεῖν.

Repono ἱμᾶν τινας ἰδεῖν.

Item & in Anaxandride, Amphide, & Theophilo nihil mutandum censeo.

Lib. V. cap. VII. hunc versum Anacreontis: ἐκ γὰρ βαλλόμεθα, explicat pro περιβαλλόμεθα. Equidem nihil muto, & expono, *Quo ferimur?* vel, vt aliis placet, *Quid obiicimus?*

Lib. VII. cap. XVI. Hesiodi quoq; versum, initio ἔργων, quem Canterus emendat, ῥεῖα μὲν retineo ῥέα μὲν βριάει: quod α & ι sæpe in initio elidantur.

Nonius Marcellus compluribus locis de vetere libro castigatus.

CAPVT IV.

ADferamus, si quam possimus, opem Nonio, prodigiosè adhuc deprauato: qui, quod liberis suis in exsulio Themistocles dixisse fertur: *Perieramus, nisi periissemus*; hic iure vsurpet, nisi boni pleriq; meliorisq; notæ scriptores temporum iniuriâ intercidissent, funditus periissem.

I. Hic igitur in voce *Pueritia*, id est, *puritas*. Lego *puritia*, quatuor non amplius syllabis; itemq; in M. Varronis loco allato lib. I. Rerum diuinarum, vt & T. Lucretius Carus *Puris* pro *pueris* lib. IV. dixit: *Puri sæpe locum propter*, vt Gifanius ac Turnebus legunt, non, vt Lambinus, *Pusi*. Pronus autem error librariis obiectus, addita, vt fit, vnica littera: verum oculatos illos emendatores huiusmodi fugisse valde equidem miror. Ne igitur error in edendo iteretur, libenter admoneo. Hinc *puriter facere* in sacrificiis vsurpatum est, vt Næuius in Virgine prægnante:

Sequere me, puriter volo facias: igni atq; aqua volo hunc accipere.

Pomponius in aruspice: *Fac puriter bucco vel pectore rustico vti tractes.* &c. Varronem vero *puerilitatem* potius quam *pueritiam* dixisse, didici libro, de liberis educandis: *Velim me Hercules*, inquit, *ipse tamen vsu magno puerilitatis formidam audire.* Idem Varro lib. V. de L. Lat. *purum facere*, pro *purgare*. Vnde *purum putum*. Item Eudæmonibus dixit *Iuuenilitatem*, vt Catullus in Hymenæo, *Anilitatem*. Seneca tamen *pueritiam* à *puerilitate* distinguit, Epist. V. *Adhuc non pueritia in nobis, sed quod est grauius, puerilitas remanet. Et hoc quidem peius est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum tantum, sed infantum.* Valerium Max. lib. V. cap. IV. eadem voce usum video: *vix dum annos puerilitatis egressus.* Et in Eudæmonib. M. Varro *Iuuenilitas* dixit: & Catullus in Hymenæo *Anilitas*.

II. Idem Marcellus in *Quæsti* & *Quæstuis*. Varro de liberis educandis: *Non in suarum manuum opificio, quibus almo lino quid faciunt aut palma. Nam lib. II. quæstus causa deridebant suas res pueris.* Locus corruptus, & exempla duo commixta. In vtroq; scripto Complutensi & Toletano, pro *Nam* legi *M. Cato. libro II.* Lego igitur: *quibus albo lino quæsti faciunt, aut palma* (fort. *lana.*) *M. Cato lib. II. Quæstuis causa decidebant res suas pueris*: (vel *diuidebant.*) Vir doctus legendum censuit: *Nam liberi quæstus causa diribebant r. s. p.* Sed *diribere* pro *distribuere* forense verbum. Vnde *diribitores* in iudiciis, qui suffragiis sententiisq; colligendis vacabant. Me autem coniecturæ nondum pœnitet.

III. In *Bubulcitare*: post Varronis locum de Vinitio, in vett. amplius est. *Plautus Mostell.* *Decet me amare, & te bubulcitare.* quod indignum esset monere, nisi vulgati Plauti *bubulcitarier* legerent.

IV. Idem

IV. Idem in *Luxuria.* Varro in Manio. Satyra. *Hac sumptibus finem lepidus statues finemq. modumq.* Subolet esse versum; sed glossemate fœdatum, purgemus, numeros & lectionem audaci coniectura constituendo:

Sumptibu' luxurii statues finemq. modumq. Luxuries luxurii dixisse veteres, vt *pernities pernitii,* & *dies dii,* auctor est Agellius lib. IX. cap. XIV. auctoritate C. Gracchi, oratione *de legibus promulgatis.* Malo tamen, ne quid dissimulem,

Sumptibus & luxu statues f. q. modumq.

ex Nonii sententia, pro *luxui:* vt Statius Papinius lib. II. Thebaidos:

——Anne feres luxu consueta paterna

Hunc Regina larem?

V. Idem in *supplicium.* Afranius Fratriis: *Nullam profecto accessi ad aram, cum Deos suppliciis, sumptu, votis, donis, precibus, ploratu obtestans nequidquam defatigarem.* Iac. Bongarsius *sumptu, votis,* legi posse ad Iustinum docuit. Equidem malim* *simpulis, vasis.* Instrumenta enim sacrificulorum sunt.

VI. Idem in *aptum.* Pacuuius Hermiona: *Quod ego in acie celebro obiectans vitam, bellando aptus sum.* Tentarunt alii *cerebro,* ego dulcius legam *crebro.*

VII. Idem *ducere.* Lucill. libro XXX.

Non datur, admittit nemo, non viuere ducunt.

Orco spondent septimum.

Hæc postrema à mala manu esse, quis non videt? adscripta puto explanandi causa, ex libro eiusdem XXVI. *Qui sex menses vitam ducunt, Orco spondent septumum.* Prouerbii speciem videtur præferre. Cæcilius apud Ciceronem lib. II. de finibus:

Sex menses mihi satis sunt vitæ:

Septimum Orco spondeo.

VIII. Idem in *iuxta.* Varro περὶ ἐγκωμίων: *Qui potest laus videri versa, cum motus sæpe furaces essemus, atq. nequissimus ibus iuxta ac P. Africanus.* Locus propemodum depositus. Mederi tamen tentabo: *Qui potest laus videri vera? Cum motu sæpe fores accessissemus, atque nequissimus viribus iuxta ac P. Africanus.* Vel potius inuerso sensu: *commoti sæpe furia accessimus, atque nequissimus quisque iuxta ac P. Africanus.* Audax fateor coniectura: sed optio, eligendiq; lectori liberum ius esto.

Appuleii Metamorphosis, & Florida percurruntur.

CAPVT V.

APpuleius lib. I. Milesiarum: *Imo de pectore cruciabile suspirium ducens, dextera sauiente frontem replaudens:* Lego, *dextra feriente.* Frontem enim in dolore & indignatione percuti solere, clarum ex Ciceronis Epistolis ad At-

ad Atticum, Bruto de claris Oratoribus, Homero Iliad. χ. Plutarcho in Pompeio, & Heliodoro lib. X. Æthiopicῶν, dissentiente licet Quinctil. lib. 11. cap. III.

Lib. IV. *Scenam deniq; quam sponte sumpserat, cum anima retinens, nunc fugiens, nunc resistens variis corporis sui scenis ac motibus, tandem domo prolapsus est.* *Scenam* pro persona vel habitu scenico non memini legere, & haud scio an idoneus auctor in eam rē dari queat. Lego itaq; *schemam deniq;*: & mox, *schematis ac motibus*, vt luxuriet in copia: quod à Plauto ille mutuatus est, vt alia plurima. *Schema, a*, autem sequiori genere vsurpasse Plautum in Persa, auctor Priscianus, lib. VI. sic legens in M. S. *Theatrum lepidum lepida condecorat schema.* Cæcilius apud eundem Priscianum, lib. VI. *Filius in me incedit satis hilari schema*, & idem ἀσωτοδιδασκάλῳ: *Vtinam te sine schema, sine veste videam*, apud Sosipatrum.

Lib. III. Floridorum, de Philemone mediæ Comœdiæ scriptore, qui cum Menandro in scena de palma contendit; quam non raro etiam abstulit: *Reperias*, inquit, *apud ipsum multos sales, argumenta lepide inflexa, agnatos lepide explicatos, personas rebus competentes, sententias vitæ congruentes, loca* (*ioca* lego) *non infra soccum, seria non vsq; ad cothurnum.* Qui illi *agnati explicati*? suspicor *expiscatos* scripsisse, quod fere hoc argumentum Comœdiarum sit vt ὑποβολιμαῖοι, vt expositi, parentes reperiant, ingenuosq; se esse. Hinc fere nuptiæ exsistunt: ut in Terentii Hecyra, & Plautinis. Putaui aliquando *gnatos explicatos*, pro ostensos. vt *a* ex priore voce adhęserit.

Infra: *Profecto vt gladius vsu splendescit, situ rubiginat; ita vox in vagina silentii condita diutino tempore habebatur.* Lego *hebetatur*. Subiicit enim: *Dissuetudo omnibus pigritiam, pigritia veternum parit. Tragœdi adeo, ni quotidie proclament, claritudo arteriæ obsolescit.* Sic & libro *de dæmonio Socratis de Nestore: cui omnes sciebant corpus annis hebére; animum prudentia vigere.* Vt recte reposuit Pet. Pythœus optime de omni Antiquitate meritus, lib. II. cap. X. Subseciuor. Aduersarior.

Athenæi loca è veteri codice supplentur. Monocommaton. *Terentiani Mauri hiatus expletur.*

CAPVT VI.

HAud contemnendam iam pridem operam Athenæo doctissimi viri impenderunt, loca mutila supplerunt, deprauata instaurarunt, vt nouus per eos quodammodo in lucem prodisse Athenæus videatur. Si post tantos viros spicas legere ius fasq; est, hoc capite quædam dabo, quæ in antiquis codicibus amplius leguntur: vtrum recte & πρὸς Διόνυσον, eruditus lector existimabit.

I. Itaq; lib. I. non procul ab initio post versus Antiphanis, hæc, in vetere codice Ger. Corselii I. C. & antecessoris Louaniensis Academiæ, subiecta sunt:

ſunt: ὅτι Ξενοκράτης ὁ Χαλκηδόνιος καὶ Σπεύσιππος ὁ ἀκαδημαϊκὸς, καὶ Ἀριστοτέλης βασιλικοὺς νόμους ἔγραψαν.

II. Paulo poſt, de ſaltationibus cum pila, poſt illa, Δικαίαρχος δὲ Σικυωνίοις, additur: ὅτι τὸ φουάλικλον καλούμενον (ἦν δὲ, ὡς ἔοικε, σφαιρικόν τι) εὗρεν Ἀττικὸς Νεαπολίτης παιδοτρίβης γυμνασίας ἕνεκα Πομπηΐου Μάγνου.

III. Iterum poſt verſus Antiphanis κλαγγαῖσι φωναῖς: ἔξω μακρὰν παρ' αὐτὸν, κάτω, ἄνω βραχεῖαν ἀπόδοσιν ἐγκαταστρέφει. Vbi ταχεῖαν ſuſpicor legendum.

IV. Poſt Teleſtæ mimi argutias hæc adiungit idem codex: Φίλλις ὁ Δήλιος μουσικὸς τοὺς ἀρχαίους φησὶ κιθαρῳδοὺς κινήσεις ἀπὸ μὲν τοῦ προσώπου μικρὰς φέρεσθαι, ἀπὸ ποδῶν δὲ πλείους ἐμβατηρίους καὶ χορευτικάς. Phillidis Delii περὶ αὐλητῶν ſcripti meminit auctor lib. XIV. vbi Φίλλις ὁ Δήλιος legitur.

V. Mox de nomine διαίτης ſubnectitur: ὅτι Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς ἱστορεῖ τὰς Κερκυραίας γυναῖκας ἔτι καὶ νῦν σφαιριζούσας ᾄδειν.

VI. Poſt verba Epilyci de vino Lesbio hæc adde è margine: καὶ ἀντίδοτον καὶ ἔγχει Θάσιον, ὁ γὰρ λαβών μου καταφαγεῖν τὴν καρδίαν. ὅταν πίω τοῦτ' εὐθὺς ὑγιὴς γίνομαι· Ἀσκληπιὸς κατέβρεξε.

VII. Lib. IV. paulò antequam de Laconicis conuiuiis agat, poſt illa verba, διάγοντες τὸν βίον, hæc ſubnectuntur, ἐν εἰρήνῃ μετὰ ὑγείας, ὡς εἰκὸς, γηραιοὶ τελευτῶντες ἄλλον τοιοῦτον βίον.

VIII. Lib. V. ante conuiuium Alcinoi apud Homerum, hæc adduntur: καὶ ὁ Ἑρμῆς οἰνοχοεῖ τοῖς θεοῖς. ταῦτα δὲ παρεσκεύαζον τοῖς δειπνοῦσιν ἐλεύθεροι καὶ οἱ.

IX. Ibidem de pompa & ludis Antiochi Epiphanis, poſt illa, γαλάται πεντακισχίλιοι, additur: τούτοις ἐπέβαλλον Μακέδονες δισμύριοι καὶ χαλκάσπιδες, οἷς. Et ad finem eiuſdem pompæ poſt ἐπὶ δὲ τούτοις ἐπίλεκτοι χίλιοι, ſubiungitur, οἷς ἐπηκολούθει τὸ καλούμενον ἄγημα κράτιστον εἶναι δοκοῦν σύστημα τῶν ἱππέων περὶ χιλίους.

X. Eodem libro de Callixeno poſt, ὁ Καλλίξενος εἴρηκε, adde: λέγων εἶτα λέβητες ἐπ' ἐγγυθήκαις ἐν τῇ διηγήσει τῆς Διονυσιακῆς.

IX. Mox, poſt illa, ὑποκρητηρίδιον αὐτὸ καλῶν, additur: δύνανται γὰρ ἐπιτίθεσθαι ἐπ' αὐτὸ καὶ κρατῆρες καὶ ἄλλα σκεύη.

XII. Sub finem libri VI. poſt illa verba, πολιορκητικὰ μαθόντες, τούτοις: addi poteſt, αὐτῶν περιεγένοντο. Φοινίκων δὲ τὰ ναυτικὰ εὑρόντων, τούτοις.

XIII. Lib. VII. de anguillis, poſt verba, ἐν τῇ ἰλύϊ ἀκινητίζουσι, addit liber vetus: ζῶσί τε τὸ ἐπὶ πολὺ, ὀκτὼ ἔτη. ἐν ἄλλοις δὲ πάλιν ἱστορεῖ Ἀριστοτέλης γίνεσθαι αὐτὰς οὔτε ᾠοτοκούσας, οὔτε ζωοτοκούσας, ἀλλ' οὐδὲ ἐξ ὀχείας, ἀλλ' ἐν τῷ βορβόρῳ καὶ ἰλύϊ σήψεως.

XIV. Lib. IX. de Phaſſa, poſt verba, ἐλάττων δὲ φαβός, addit: χρῶμα δ' ἔχει οἰνωπόν. ἡ δὲ φὰψ μέση περιστερᾶς καὶ οἰνάδος.

XV. Lib. X. poſt verſus Menandri in Heroë inſeritur: ὅτι Ἡσίοδος παραινεῖ τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέταρτον ἱέμεν οἴνου. Sed legendum, τρεῖς.

XVI. Ibidem de ebrietate ex Ariſtotelis ſententia, Poſt, περὶ αὐτοὺς, additur: φύσει θερμοῦ, καὶ οἱ παντελῶς δὲ νέοι τάχιον μεθύσκονται διὰ τὸ πλῆθος τοῦ ἐνυπάρχοντος θερμοῦ.

XVII. Eod. li. 20. ante versus Seleuci: ὁ δὲ Ἀνακρέων ἔτι ζωρότερον κιρνῶν, φησί· καθαρπῖναι δ' ἐν κελέβῃ πέντε καὶ τρεῖς ἀναχείσθω. Φιλαίτερος δὲ δύο ὕδατος πρὸς τρεῖς ἀκράτου λέγων.

XVIII. Sub finem post versum Achæi Eretriensis: γραπτὸν κύρκιν, τὸν γὰρ λευκὸν ἱμάντα ἐξ οὗ ἡ ἀργυρᾶ λήκυθος ἐξήρτητο Σπαρμάτιον γραπτὸν ἔφη κύρκιν ἤτοι σπαρμάτιον.

XIX. Lib. XII. post verba Democriti Ephesii interserunt membranæ ἐν δὲ τῷ σχολίῳ τοῦ, καὶ ὅθεν αἱ περιβολαὶ τάδε ἦσαν περὶ τοῦ αὐτῶν γεγραμμένους ῥόμβους. ῥόμβος ἐστὶ τροχίσκος, ὃν τύπτοντες ἱμᾶσι καὶ στρέφοντες ποιοῦσι περιδινεῖσθαι, καὶ ψόφον ἀποτελῆναι· ῥύμβον δὲ αὐτὸν Εὔπολις εἶπε, καλεῖται ᾗ καὶ βρυτήρ.

XX. Transco ad Latinum litteratorem Terentianum Maurum. Is de Ithyphallico carmine agens, hæc ait:

Namq; vnus modus est versu non apta seuero.
Tertius & quartus non hunc imus ergo.*

M. Ant. Muretus in Catullum de Colonia legit, *incolumem ergo.* Asterisco tamen notat, mendum adhuc latere declarans. Equidem legerim:

Tertius & quartus non hunc monocommaton ergo, Similem in eodem auctore lacunam à me expletam memini, cum de Ἀναλογίᾳ in Oratoria dissererem.

E Fulgentii Mythologicis menda plurima sublata.

CAPVT VII.

FVlgentius lib. I. Mythologic. *Eia,* inquit, *Fabiana Creonticis iam-dudum nouus initiatus es mystes sacris.* Sic in omnibus, quas quidem videre contigit, editionibus, etiam Parisiensi, quæ nescio quam emendationem pollicebatur. Lego. *Eia Fabi, Anacreonticis.* Aperta veritas, *Anacreonticis* poëmatis nuper à doctis viris magnam partem inuentis, cuius ingens in lyricis nomen. Ioan. Bapt. Pius Fulgentii illius insulsus interpres: *Creonticis*, pro *Thebanis*, inquit, & consequenter; *Musicis & Heliconiis.* Sed de his scholiis, an scoriis, nihil dicam grauius, quòd auctori suo, vt & in Sidonium Commentarii, ita viuo displicuerint, vt fœtus illos abiiciendos exponendosq; curarit, & pro suis non agnouerit. Franc. verò Modius, Belga in Nouantiquis, felicius, vt audio, hoc opus Fulgentii emendauit.

Lib. II. in Hercule: *Mater illic catenata constringitur: vnde & epiniphtidia eodem loco firmandis fœtibus opponuntur.* Lego de vetere codice, & locus ipse clamat: *Epomphalia.*

Et lib. III. de Peleo & Thetide: *Aliqua vena vsque ad pollicem tendunt: quod tractantes inde Physici, & mulieres ad obtinendos partus, & ischiacos eodem phlebotomant loco, & emplastromentaticum, quem stisidem Africanus in Astrosophistes vocauit, pollici & talo imponendum præcepit. Ita & Orpheus illum esse principalem libidinis indicat locum.* Lego: *& ischiadicos eodem phlebot. loco, & emplastrum entaticum, quem* συνόδην (παρὰ τὸ σύνδην) *Africanus Iatrosophistes vocauit·* Quomodo emendandum etiam videri censuit ingeniosus adolescens Medicæ artis perstudiosus,

Gaspar

Gaspar Geuartius Belga. Ἐνζαλωὸν enim emplastri genus, quasi dicas *intensorium:* quod describit Paulus Ægineta lib. VII.cap. XVII. monuitq; per Epistolam postea Had. Iunium Medicum,sic fere locum explanasse lib.IV. Animaduersorum cap.XIII.Subiicit: *Nam deniq; in entherocisicis & iisdem locis cauteria ponenda præcipiunt.* Emendo: *Nam deniq; & enterocœlicis in iisdem locis cauteria apponenda præcipiunt.* Libro eodem de Vulcano. *Thales Milesius ait:* ὦ χθὼν δόξης κοσμικῆς ὑέρουσ. Sic vulgati. In quibus quot voces, tot menda. In Vaticana bibliotheca legi è veteri codice: ὦ φθόνε, δόξης κοσμικῆς φθαρτής.

De Ixione: *Beatinius augur dicere solitus erat, diuersarum urbium honores somnialiter peragi vrbicario mimologo: & quamuis vtraq; nihil agere dixerit, tamen hoc Romæ præstare visus est, quod ex parte quidem veros honores, sed risorios, sed ritus fugitiuos. Credo enim quod de Theophili Philosophi sententia legerat, dicentis:* μῖμος ὁ βί@. Nomina corrupta. In scripto codice erat *Batinius*, vnde forte *Vatinius* quis coniiciat, & *solemnialiter* pro *somnialiter*, aut *solemniter*, vel *similiter*. Videoq; aut vocem defecisse, aut *visus est* hic redundare. Pro *Theophili* liber vetus *Cleobuli*, vnius è septem Græciæ sapientibus, nomen præfert.

Pòst non longè: *Mnaseus l.I. de Europa:* Coniicio *de Cecrope*. Sic n. idem citat li. *de Vocum antiquarum interpretatione*, in Vespillones, aut hic vice versa legendum.

Ἐν πλάτει λεγόμενα, I. C.tor. scriptis illustratum. Strabonis interpres notatus.

CAPVT VIII.

Strabo doctissimus Geographus, artis, quam profitetur, vtilitatem mirificè commendauit li.I. Altero verò aduersus Eratosthenis & Hipparchi dicta acutè eruditèq; disputat, de terræ diuisione, Indiarum situ, περὶ μήκους & πλάτους regionem, lineisq; parallelis latitudinum & longitudinum: quarum hæ ab ortu occasum versus spectantur: latitudines verò à Septemtrione in Austrum protenduntur. Eorum ita sententias discutit, vt sæpe pro Eratosthene contra Hipparchum, & retro disserat. Cum igitur aliquando ea formula ἐν πλάτει Geometrarum more: Interdum verò diuersa & translatitia notione occurret, pro indefinito rotundoq; numero, quod prouerbii specie *plus minus* vsurpamus. *i. plenius & latius*, non momentis omnibus ad viuum resecatis: Imposuit ea res Germano eruditissimo interpreti. Exemplis fidem faciam. οὐ τοῦτο ἦν λεκτέον πρὸς τὸν Ἐρατοσθένη, ἀλλ᾽ ὅτι τῶν ἐν πλάτει λεγομένων, & μεγεθῶν καὶ σχημάτων εἶναί τι δεῖ μέτρον, καὶ ὅπου μὲν μᾶλλον, ὅπου δὲ ἔλαττον συγχωρητέον. Interpres sic reddidit: *At non hoc fuit obiiciendum Eratostheni, sed id quod magnitudinem & figurarum, (quibus latitudo tribuitur) oporteat esse aliquam mensuram, & alicubi magis, alicubi minus concedendum.* Emendo: *sed quod eorum quæ rotundè sunt, simpliciter, minimeq; accuratè dicta, nec ad viuum resecata, & magnitudinem & figurarum mensuram esse oporteat.* Subiicit enim non longè: τοιοῦτον δή τι λέγω τὸ μέτρον τῶν ἐν πλάτει λεγομένων. Reddit idem ambiguè & obscurè: *Tale quippiam dico mensuram eorum, quæ in latitudine dicuntur.* Malim vertisset: *talem dico mensuram eorum quæ ample rotundeq; dicta sunt.*

Nodum vero omnem ſoluit pedatu tertio locus, qui poſt paullo: ἐροῦμεν δὲ πρὸς αὐτὸν ὅτι ὁ Ἐρατοσθένης ἐν πλάτει λαμβανόμενος εὐθείας ὅπερ οἰκεῖόν ἐστι γεωγραφίας· ἐν πλάτει δὲ καὶ τὰς μεσημβρινὰς, καὶ τὰς ἐπὶ μεσημβρινὴν ἀνατολήν, ἐκεῖνος γεωμετρικῶς αὐτὸν εὐθύνει, καὶ ὡς ἂν δι' ὀργάνων λαβὼν τούτων ἕκαστον. Rectius idem interpres: *Cui* (Hipparcho) *nos reſpondemus, Eratoſthenem, qui more Geographico rectas lineas, meridianas, & quæ ad ortum æquinoctialem ducuntur, recta lineas, rudi Minerua ſumpſerit, ab ipſa Geometrica ſubtilitate examinari, ac veluti ſi Mathematicis inſtrumentis eas lineas exploratas poſuiſſet.* ἐν πλάτει λαμβάνειν *rudi Minerua ſumere* reddidit, cui opponitur γεωμετρικῶς, vt ſupra non longe: οὔτε γὰρ ἐν τοσούτῳ πλάτει γεωμετρική τις δύναιτ' ἂν ἀπόδειξις εἶναι, οὔτ' ἐν οἷς ἐπιχειρεῖ γεωμετρεῖν, ὁμολογουμένοις χρῆται λήμμασιν, ἀλλ' ἑαυτῷ πλάσας. *Neq; enim in huiuſmodi infinita latitudine, Geometrica poteſt demonſtratio dari, neq; vbi Geometricè agere vult ſumptionibus vtitur in confeſſo poſitis, ſed ipſe ſibi eas fingit.* Et: ἔστι δὲ τὸ πρὸς αἴσθησιν οὐχ ἁπλοῦν, ἀλλὰ τὸ μὲν ἐν πλάτει μείζονι, τὸ δ' ἐλάττονι. *Eſt autem, quod ad ſenſum attinet, non ſimplex, ſed alia latior, alia minor ratio, rudi quadam Minerua.* Huius quoq; formulæ apud doctiſſimos Iuriſconſultos vſus. Celſus enim Iuuentius apud Vlpianum L. In hac actione 3. de condict. Tritic. lib. XXVII. ad edictum, ſic ἐν πλάτει dixit. Paullus L. Si arbiter. 25. D. de probationibus in Epitome libri VII. Pithanῶn Labeonis: *& hoc ita quod Græci dicere ſolent* ἐν πλάτει. *Non enim poteſt hoc memoria non teneri intra annum puta factum, cum interim nemo ſit, qui meminerit, quibus Coſſ. id fieri viderit.* Sic enim interpungit Iac. Ræuardus Brugenſis, egregius I. C. lib. I. Variarum Cap. XIV. contrà atque Pandectæ Florentini. quod in re ſimili pluribus verbis ita enuntiat idem Paullus ex Labeone L. 2. §. idem Labeo D. de aqua & aq. pl. arc. *Non ad liquidum exquirere.* libro XIIX. ad edictum: *Cum quæritur,* inquit, *an memoria exſtet facto opere, non diem & Coſ. ad liquidum exquirendum, ſed ſufficere ſi quid ſciat factum.* Denique libro ſingulari ad L. falcidiam, L. quod dicimus. 105. D. De ſolutionibus, & liberat. exponit, *cum temperamento temporis.* Et Neratius lib. I. Membranarum L. Tempus 4. D. de vacat. & excuſat. mune. *cum quodam laxamento.* Iulianus verò lib. LIV. Digeſt. L. Ratum autem. 13. D. de ſolut. Et ex Iuliano Vlpianus lib. LXXX. ad edictum, L. XII. §. Iulianus ait. D. ratam rem haberi, explicat *cum quodam ſpatio temporis.* Itemq; Iac. Curtius Brugenſis, & ipſe εἰκαστῶν lib. I. Cap. XVIII. & And. Alciatus. lib. II. Diſpunct. cap. XI.

In-puluis, Perditum-ire, Captum-iri, *aliaq; per ὑφὲν ſcribenda. Correctus Agellius, Propertius, Tibullus, aliiq; illuſtrati.*

CAPVT IX.

QVod Græcis ἀκονιτὶ dictũ, eleganter dicitur res ſine ſudore parata, id veteres vna dictione *in-puluerẽ* dixiſſe per ὑφὲν, eqdem obſeruo, ut *in-plumis*, & *in-glo-*

in glorius. Sic in noctium Atticarum auctore rescribo lib. V. c. VI. *Ouandi, & non triuphandi causa est, quum aut bella non ritè indicta, aut deditione repente facta in-puluere, vt dici solet, incruentaq; victoria obuenit*. Factum a. *Prouerbium* à puluere, quo & athletæ exercebantur, & aspergebantur, tametsi Desiderius Adagiorum Chiliastes *sine puluere* & *citra puluerem* legisse videtur. Eadem forma notanda & illa, quæ sunt prope innumerabilia: *perditum-ire*, pro perdere, *captum-iri*, pro capiendum. In poëtis vtilis hæc sanè obseruatio, vt de Marone, & Cicerone in Nodis Tullianis admonui. Propertio quoque magna hinc lux, vt lib. III. Eleg. XV.

——bene-olenti flumine Naxum.

Et Lib. IV. Eleg. II.

Pastorem ad baculum possum curare——

Tibullus lib. IV. ad Messallam:

Fertilis hinc inter-posita est interq; rigentes.

Et lib. I. *Quam citò non-segnis it remeatq; dies.*

Et: *Quam citò formosas populus ante-comas.*

Catullus in Phaselo: *Vbi ille post-faselus antea fuit.*

In Epithalamio: *Funera Cecropiæ nec-funera portarentur.*

Vt *fur nec-manufertus*, *res nec-mancupi*, *nec-opinanti*. Sic *post-illa* pro *postea* Terentio. *Clarus post-genitis* Horatio, pro posteris, *post-futuris* Sallustio, quos *minores* nominat Lucretius, Maro *nepotes*. Et id genus alia alii scriptores, quos commemoraui in *Nodis Ciceronianis* nuper euulgatis post *Tullianas Quæstiones*: & in hoc ipso *Obseruationum* lib. II. cap. XLII.

Dirce à tauro raptata. *Appuleii vnus & item alter è coniectura locus restitutus.*

CAPVT X.

INter cætera Antiquitatis monumenta, quæ Romæ spectantur, in area ampliss. Card. Farnesii *Dirce* est, quæ Lyci Thebarum regis vxor, repudiata Antiopa fuit. Huius Liberi, Dircen raptandam tauro alligarunt, quæ raptatio in pictura elegantissimè spectantium oculos detinet. Spectanti porro mihi exhibuit inibi Fuluius Vrsinus, homo vt doctissimus ita & humanissimus, nummum Appuleii facie venusta, promissis capillis; qua forma se accusatum ait Apologia I. Viso nummo & pictura, codicem Appuleii domi arripui, & attentius legenti visum est eandem Dircen in eo repertam tauro alligatam. Locum excussi, nec me spes fefellit. Hactenus quidem verba deprauata leguntur, neque dum à doctis hominibus, qui hic operam plurimi posuerunt, instaurata. Sic enim lib. VI. Milesiarum: *Quippe cum nullus adforet, qui suppetias ei*

ferre posset, nisi sola illa virgo captiua, quæ vocis excitu procurrens, videt, Hercules, memorandi spectaculi scenam, non tauro, sed asino, dependentem directè aniculam. Emendaram iuuenis legendo ab ingenio: *dependentem Dircen aniculam*: quomodo & veterem codicem editionis Florentinæ præferre pòst vidimus. Itaque doctiss. Sciopius Augustæ edendum curauit. Vellicat mihi aurem locus hic, vt alterius simili errore deprauati vulnus tentem verius quàm sanem: *Consuetudo ad Psychen tandem ancilla nequissima dominam te habere scire cœpisti: an pro cætera morum tuorum temeritate istud quoque nescire te fingis, quantos labores circa tuas inquisitiones sustinueris, sed bene quod meas potissimum manus incidisti, & inter orci cancros iam ipsos adhæsisti.* Quid si & hic *Dirce tauros* legamus? Rectus erit sensus, etsi idem Sciopius *intus Orci cancros*, tuetur. *Dircen* autem à tauro raptam fuisse ex Apollodoro lib. III. Bibliothecæ Deorum, & Hyg no Fab. VII. & VIII. de *Dircæo fonte* notum. Plautus Pseudolo, Scena, *Exite:* Act. I. Sc. II.

Cras quasi Dircam olim (vt memorant) duo
Gnati Iouis deuinxere ad taurum: idem hodie stringam ad carnarium.
Id tibi profecto taurus fiet.

Propertius lib. III. Eleg. XV. multis versibus:

Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bouis, &c.

Plinius lib. XXXVI. cap. V. *Zetus & Amphion ac Dirce & taurus, vinculumque ex eodem lapide Rhodo aduecta, opera Apollonii & Taurisci: quæ tempore Augusti fuere Asinii Pollionis.* Item Euripides apud Dionysium Longinum περὶ ὕψους, ἐπὶ δὲ τῆς συρομένης ὑπὸ τοῦ ταύρου Δίρκης.

——εἰ δέ που
τύχοι πέριξ ἑλίξας εἷλκε ὁμοῦ λαβὼν
γυναῖκα πέτραν δρῦν μεταλλάσσων ἀεί.

——*Siquidem*
Esset rotans circum trahit raptans simul
Petram mulierem, quercum reuocata vice semper.

Et Seneca Tragicus Latinorum in Thebaide, ver. XX.

Vel qua cucurrit corpus innisum trahens
Zethi iuuencus; qua per horrentes rubos
Tauri ferocis sanguis ostentat fugas.

Et in Ibin Ouidius:

Perque feros montes tauro rapiente traharis,
Vt tracta est coniux imperiosa Lyci.

Magmen-

Magmentum. Aræ dedicandæ *formula. Varronis lectio contra Turnebum defensa.*

CAPVT XI.

INscriptio Patauium ex ruinis Salonæ aduecta, & ad D. Benedicti pontem in fornice locata hæc legitur:

L. ÆLIO CÆSARE ET P. CÆLIO P. F. BALBINO
VIBVLLIO PROCOSS. VII. IDVS OCTOBRES.
CN. DOMITIVS VALENS II. VIR I. D. PRÆTEREVNTE
C. IVLIO PONTIF. LEGEM DIXIT
IN EA VERBA QVÆ INFRA SCRIPTA SVNT.
IVPITER OPTIME MAXIME
QVANDO TIBI HODIE HANC ARAM
DABO DEDICABOQVE OLLIS LEGIBVS
OLLIS REGIONIBVS DABO DEDICABOQVE
QVAS HIC HODIE PALAM DIXERO:
VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARÆ EST:
SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT
QVOD MAGMENTVM NEC PROTOLLAT
IDCIRCO TAMEN PROBE FACTVM EST.
CÆTERÆ LEGES HVIVS ARÆ
EÆDEM SVNTO QVÆ ARÆ DIANÆ SVNT
IN AVENTINO MONTE DICTÆ.
HISCE LEGIBVS HISCE REGIONIBVS SICVTI DIXI
TIBI ARAM IVPITER OPTIME MAXIME DICO DEDICOQ.
VTI SIS VOLENS PROPITIVS MIHI COLLEGISQVE MEIS
DECVRIONIBVS, INCOLIS COLONIÆ MARTIÆ
IVLIÆ SALONÆ CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRIS.

Quid hac lege *magmentum* sit, M. Varro lib. IV. de lingua Latina indicabit; *Magmentum*, inquit, *à magis, quod ad religionem magis pertinet. Itaque propter hoc montana fana instituta certis locis, quo id imponeretur.* Et in Glossario vetere *Magmentarium* ἐφ᾽ οἷς τὰ σπλάγχνα ἀναλθέμενα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται. Hadr. Turnebus partem huius inscriptionis attulit lib. XXII. Aduersariorum, cap. VI. & *Magnentum* legit per N. Apud Varronem verò mutari vult *montana* in *magnentaria.* Malo tamen antiquam lectionem *montana*, quia in monte: ideo etiam Scaliger rectè *regionem* reposuit pro *religionem*. Festus: *Magmentum, quasi magis augmentatum*, forte *magis augmentum*, vel *maius augmentum*, vt Scaliger, & Carrio lib. II. Emend. cap. III. Varro enim proximè *augmentum, quod ex immolata hostia defectum in iecore imponendo agendi causa.*

Mos

Mos aues nocturnas, spolia, exuuias arboribus & postibus affigendi. Statius Papinius correctus.

CAPVT XII.

VEtus ea nobilium multis retro sæculis religiosè seruata consuetudo, vt qui venatione delectabantur, ferarum capita, exuuias, pelles, militaris virtutis in pace & otio insignia foribus affigerent, glorioseque ostentarent. Quin etiam belli parta spolia, quæ, quod domus essent ornamenta, emptori refigere nefas erat, vt auctor est Plinius lib. XXXV. cap. II. Cicero Philip. II. *Age tu illa in vestibulo hostium spolia cum aspexisti, domum tuam te introire putas?* Tibullus ad Messallam:

Te bellare decet terra, Messalla, mariq,
Vt domus hostiles præferat exuuias.

Manilius lib. IV. Astron.

Hoc habet, hoc studium postes ornare superbis
Pellibus, & captas domibus præfigere prædas.

Iuuenal. Sat. VI. *Ornentur postes & grandi ianua lauro.*

Et ——*necte coronam*
Postibus, & densos per limina tende corymbos.

Et Sat. IX.

O parui nostriq, lares, quos ture minuto,
Aut farre, aut tenui soleo exornare corona.

Antiquorum scriptorum, de hac affigendi consuetudine venatoribus perfamiliari, testimonio fidem faciam. Symmachus lib. V. Epist. LXVI. *Vt honori numinum datur cornua sacrare ceruorum, & aprinos dentes liminibus affigere: ita amicorum cultui dedicantur libamenta syluarum.* Ennodius Ticinensis in Epigrammatis:

Venator portis apportat missile ferrum;
Vestibulum galea comitur armigeri.

Ipsi quoque venatores ante venationem Dianam inuocabant, & prædæ partem vouebant: finita verò venatione, prædæ caput, vel pedes, vel exuuias arbori in lucis, vnde ea profecta erant, suspendebant. Appul. VI. Miles. *Videt dona speciosa, & lacinias auro litteratas, ramis arborum postibusq, suffixas; quæ cum gratia nomen Deæ, cui fuerant dicata, testabantur.* Et Floridorum initio: *Neq, iustius religiosam moram viatori obiecerit, vt ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata.* Vbi pro *onerata* legi posset *honorata*.

Propert. lib. II. Eleg. XIX.

Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipse mouebo feras.

Papi-

Papinius Neapolitanus in eam rem corruptus testis, nisi veterum ope librorum testificandi ius reciperet. Sic enim Theb. IX.

Nota per Arcadias felici robore siluas
Quercus erat Triuiæ, quam desacrauerat ipsa,
Electam turba nemorum, numenq; colendum
Fecerat. —— *Electam* enim reponendum mecum censet doctiss. Lindebruchius, vt *desacrauerat*, sit, pro *consecrauerat*. Particula enim *de* significationem auget nonnunquam, vt apud eundem Statium lib. I. initio:

Decertata odiis. ——

Apud Ciceronem epist. ad Atticum, *fuga defœda*, & plura apud alios.

Verum de hoc more copiosè ad Senecæ Tragici Hippolytum Mart. Delrius noster, Aristophanis Scholiastes, & Brodæus ad lib. II. Antholog. De arboribus autem lucernis ornatis, Lipsius noster lib. I. Electorum cap. IV.

Durat hodie & mos haud multum absimilis priori, vt infaustæ nocturnæq; aues, vespertiliones, & ferales bubones, foribus domus expiandæ affigantur: quod & à veteribus factitatum, Appuleio teste III. Metam. *Quid? quod istas nocturnas aues, cum penetrauerint larem quempiam, sollicite prehensas foribus videmus affigi, vt quod infaustis volatibus familiæ minantur exitium, suis luant cruciatibus.* Colligent plura alii è rei rusticæ scriptoribus, Columella, Palladio, & Plinio lib. X. Natur. hist. cap. XII.

Valerii Harpocrationis Lexicon X. Græciæ Oratorum sæpius emendatum.

CAPVT XIII.

RArum nimis & à paucis ad hanc diem lectum eruditum Harpocrationis Lexicon, à Suida & laudatum, & magnam partem descriptum, vt è variis sua ille, tacendo interim bonos scriptores, concinnauit. Hæc comparando inuicem notabamus.

In voce Ἀγασικλῆς pro καὶ Δημάρχῳ, non dubito Δεινάρχῳ reponere, qui est vnus in X. Græciæ Oratoribus.

In Ἀγυιαῖς repono ἐπ' ἐσχάραις, & statim ἐν τῷ Λαοκόωντι, & mox, σελαγμοῖς pro illis quæ deprauata circumferuntur.

In Ἀδράστειαν. ὡς Ἀντίμαχος ἐν τούτοις δηλοῖ: Hæc è Strabone & Suida sic constituebam, vt versus:

Ἔστι δέ τις Νέμεσις μεγάλη θεὸς, ἣ τάδε πάντα
Πρὸς μακάρων ἔλαχε· βωμὸν δ' οἱ εἵσατο πρῶτος
Ἄδραστος ποταμοῖο παρὰ ῥόον Αἰσήποιο
Ἔνθα τετίμηταί τε καὶ Ἀδράστεια καλεῖται.

Vide Prouerbium Ἀδράστεια νέμεσις in Zenobio, Diogeniano, & Suida, nuper à nobis Antuerpiæ Plantinianis typis euulgatis, &c, si placet, Chiliastem Bataauum.

In dictione Ἀλόννησος, τῶν Εὐβοικῶν reponendum pro ἐνοφικῶν. Et statim Εὐριπίδης ἐν τῷ Οἰνομάῳ. Sic & hiatum explendo corrigo illud ὁμω...

In verbo Ἀναίνεσθαι interpungo: Πλάτων Φάωνι, Μένανδρος Σικυωνίῳ. Quam Menandri Comœdiam laudat Suidas in Ἀγλαρα, & in Κακὴ μὲν ὄψις, κόμμα Παροιμίας, item Ioan. Stobæus Serm. LI.

Pag. seq. in Ἀπηλωημένος, Δημοσθένης ἐν τῷ πρὸς Φίλιππον lege non Φαίνιππον: vt & in voce Σημεῖα deprauatum vidi.

Pag. 97. Aldinæ edit. anni M.D.XXVII. in Διαψήφισις versu 5. lacunam sic expleo: Πρὸ γὰρ εἰσαχθῆναι τὴν δίκην εἰς τὸ δικαστήριον, adde è Suida: ἐξῆν τῷ ἐκβαλλομένῳ διαμαρτυρῆσαι, ὡς εἰσαγώγιμός ἐστιν ἡ δίκη, ἢ οὐκ εἰσαγώγιμος. Eiusdem autem repetitio vocabuli librariis, vt fieri amat, errandi præbuit ansam.

Dict. Ἐν Φρεάττῃ, Suidas alibi, ἐν Φρεάττῃ, apud Demosthenem legitur ἐν Φρεατοῖ. Et statim pro ἡ δεομένων αἰτίαν, ἠδεσμένων, & pro οἴονται Demosth. habet οἷόν τι ἦν. Statimque pro Φεύλην, φόνας. Denique τὴν δὲ ἐπὶ ἑτέρῳ, (non ἑτέρου) φόνῳ φυγὴν ὑπέχει.

In Ἐξούλης, quæ actio Romanis *Vnde vi* dicta, deriuat hic Lexicographus, ἀπὸ τοῦ ἐξέλλειν, Tu repone, quod verum est, ἐξίλλειν.

Pag. 103. in Θυργωνίδαι. Νίκανδρος ὁ Θυατειρινός. Ex Athenæo libro III. Δειπνοσοφ. vbiter laudat, & lib. XI. Θυατειρηνὸς legendum videtur: & mox ἐξ αἰαντίδος.

Pag. seq. v. 6. pro καὶ Ἀθηναίοις, malim, quod rectum, Θηβαίοις.

In Μαγευλεῖον- Μένανδρος ἐπιτρέπουσιν, sic interpungo, vt sit Comœdiæ nomen laudatum crebrò ab aliis. Io. Stobæo Sermone LXXXVII. al. XXX. Athenæo lib. III. Δειπνοσοφ. (& inibi Casaubon. cap. XXXIII.) & lib. XVI. Priscian. lib. XIIX. Gramm. & Euripidis Scholiastes pag. 376. Et ipso adeo Harpocratione in ἐπιτροπῇ ὅθεν καὶ Μενάνδρου δρᾶμα ἐπιτρέποντες.

Pag. 109. in Ναύκληρος, citatur Δίφιλος ἐν πόρρῳ, emendo ἐμπόρῳ, etsi alibi Ἐμπόριον legi. Ex hac comœdia bene multa aduocat Athenæus lib. VI. Δειπνοσ. & lib. VII.

Infra in ξενικὸν ἐν Κορίνθῳ, pro Ἰφικράτης καὶ Καλλίας, in Suida Καλλικλέους reperias.

Et statim: Σοφοκλῆς σπηλέῳ, pro quo vitiose πηλεῖ editum animaduertas.

Post in Ὀργάς. περὶ ἧς ἐπολέμησαν Ἀθηναῖοι Μεγαρεῦσιν. Suidas, seu, vt aliis placet nominare, Sudas, ἐπολέμησαν Ἀθηναῖοι Μεγαρεῦσιν. Statim: Αἰσχύλος ἐν μύσαις lege ἐν Μύσοις, quam Tragœdiam alibi citatam memini. Et rursum hac ipsa pag. παρὰ τῷ Αἰσχύλῳ ἐν κεραυνῶν. Malim ἐν Κερκύονι.

Pag. 111. in Πάναξ[?] Εὐριπίδης ἐν αἰγίδι, repone Αἰγεῖ.

Et sta-

Et statim in Παραγγελία, adde: ὅση ἀρωδὴ καὶ παραγγελία.

Pag. 112. in Παρεγάσιος· ἰόκας, scribe Ἰόβας, qui *Iuba* est scriptor à C. Plinio etiam citatus.

Infra pag. 114. in Πυανεψίαι, pro quo vitiose diphthongus *ει* subiicitur, legitur, Ἀπόλλωνι ἀγαθοῖς φησι. Suidas f. Ἀπόλλωνι ἁγιοθαὶ φασι, & statim πλέκεται pro ἄγεται.

Pag. 118. in Φιμοὶ. Δίφιλος συνωρίδι. Ἕλκ' εἰς μέσον τὸν φιμὸν, ὡς αὖ ἐμβάλῃ. Sic hiatum expleo, è Suidæ Collectaneis. Aliis in libris: Ἕλκεις με φιμὸν. Athenæus lib. VI. hinc lepida de Euripide citat, & libro rursum XIV. Item ex Διασκευῇ τοῦ αὐτοῦ δράματος, de qua ἐπιγραφῇ differit doctè Casaub. Animaduers. lib. I. cap. XXIII. & lib. III. c. XXVI. In χρυσοχοεῖν, Dinarchi in verbis pro αὐτὸ πράττειν, etsi Suidas αὐτῶν, αὐτῷ tamen multo malim. In Platonis autem verbis lib V. Politic. rectius ibi & in Suida legas: Τί δέ ἦ δ' ὃς ὁ Θρασύμαχος· χρυσοχοήσοντας οἴει νυνὶ τούσδε ἀφῖχθαι, &c. Nam Parœmiæ explanatio proxima à Suida hinc deprompta, allata à nobis in Prouerbiorum Græcorum volumine cent. XIV. Adagio 79.

Fl. Carisii Sosipatri ingens Græcis vocibus expleta lacuna.

CAPVT XIV.

MVlti Sosipatro non pœnitendam nauarunt operam, vt Græcis etiam litteris probe instructo litteratori perantiquo, G. Fabricius, I. Parrhasius, & nuper etiam Elias Putsius Latinis vno fasce colligatis veteribus Grammaticis. In Carisio tamen meliores nactus copiosioresque membranas Græcis passim adiectis (quæ rudes Græcarum litterarum librarii apud sæculum prius dedita opera omittebant) iacturæ quæ in iis facta sit specimen nunc è libro I. damus, è cap. XVII. *De obseruationibus nominum, quibus genera & numeri discernuntur.*

Masculina semper singularia: Hic clauus, ἐν πορφυρᾷ ἐσθῆς, καὶ ὁ ἧλος. Hic cruor, τὸ λύθρον, cruoris. Hic fumus, ὁ καπνὸς, hic fimus, ὁ ὄνθος, ἡ κόπρος, hic genius, ἡ τύχη ἑκάστου, hic limus, ἡ ἰλὺς, hic puluis, ὁ κονιορτὸς, hic muscus, herba quæ in parietibus vel corticibus arborum nascitur, vel hæret.

Item fœminina semper singularia:

Hæc barba, ὁ πώγων.	hæc malitia ἡ κακότης.
hæc culpa, αἰτία, ψόγος.	hæc pax ἡ εἰρήνη.
hæc eloquentia, ἡ λογιότης.	hæc prosapia ἡ προγονία.
hæc elegantia ἡ ἀστειότης.	hæc labes ὄλεθρος.
hæc fames ὁ λιμὸς.	hæc supellex ἡ ἐνδομενεία.
hæc Græcia ἡ Ἑλλάς.	hæc sanies ὁ λύθρος.
hæc galla ἡ κηκὶς.	hæc socordia ἡ ἀδράνεια.
hæc Sara ὁ σαφιὸς.	hæc sitis ἡ δίψα.

C 2 hæc

hæc rabies ἡ λύσσα.
hæc lux τὸ φῶς.
hæc memoria ἡ μνήμη.
hæc tabes ἡ τηκεδών.
hæc vecordia ἡ ἄνοια.
hæc vis, ἡ βία.

Item neutralia ſemper ſingularia:

hoc callum ὁ τύλος.
hoc barathrum τὸ βάραθρον.
cœnum ὁ βόρβορος.
hoc gelu ὁ ψύχος.
hoc allex ὁ ἄλλιξ, ἰχθὺς περιχυνόμενος.
hoc iuſtitium, quando ius ſtat, hoc ius ὁ ζωμὸς τὸ δίκαιον, & *Iura iuribus* legimus.
hoc lethum ὁ θάνατος.
hoc murmur ὁ γογγυσμός.
hoc pelagus τὸ πέλαγος.
hoc rudus γῆς σωρὸς τὸ ἐρείπιον.
hoc rus ὁ ἀγρὸς, ſed Virgilius pluraliter dixit, *Per florea rura.*
ſulfur τὸ θεάφιον.
hoc ſcrupulum ὁ σκίνδαλμος.
hoc ſinapi τὸ σίνηπι.
hoc ſilen τὸ κύπειρον, εἶδος αἰθηρού.
hoc ſiſer, ἄγριον σέλινον.
vulgus, ὁ ὄχλος.
hoc virus ἰὸς, ἡ ἐχίδνης δηγμός.
hoc viſcum, ὁ ἰξός.
Sed Plautus *viſcus* dixit.

Item maſculina ſemper pluralia:

Hi antes οἱ στίχοι τῶν ἀμπελῶνος ἢ διάταξις ἀμπέλων.
hi carceres τὰ εἱρκτήρια à coercendo ſed & *carcer*. Virgilius; *Ruuntque effuſi carcere currus.*
hi cœlites οὐρανίωνες.
hi cani αἱ πολιαὶ Virgil. *Cana Fides*; ſed ibi Deam dixit.
hi caſſes, τὰ δίκτυα, ἢ ὑφάσματα τῶν ἀραχνίων.
hi cancelli οἱ κιγκλίδοι.
hi fori, loca ſpectaculorum. Item *Fori* ſunt in nauibus, in quibus nautæ ſedentes remigant, ἑδώλια.
hi fræni, οἱ χαλινοὶ σφεδόνης, ſed & *frænum & fræna* inuenimus.
hi inferi καταχθόνιοι.
hi grumi οἱ τῶν ὅρων λίθοι.
hi lendes, κόνιδες.
hi liberi, τὰ τέκνα.
hi lares, θεοὶ, κατοικίδιοι: ſed legimus & *lar laris*, ſicuti *mas maris*.
hi ludi αἱ θεωρίαι.
hi loci muliebres, ἡ μήτρα.
legimus & *loculos* γλωσσόκομον.
hi lemures νυκτερινοὶ δαίμονες.
hi mores, ἦθος, τρόποι ſed & *Mos* legimus.
hi maiores οἱ πρόγονοι.
hi inferi ἐπίγειοι.
hi minores, μεταγενέστεροι.
hi manes, οἱ δαίμονες.
hi natales ἡ γένεσις.
hi noſtrates ἡμέτεροι. Sed huic quidam ſingulare dant, vt *noſtras noſtratis*, vt *poteſtas poteſtatis*.
hi magiſtratus οἱ ἄρχοντες, & *magiſtratum, magiſtrates* inuenimus.
hi optimates, οἱ κράτιστοι, πρωτεύοντες, ſed inuenimus *optimat & infimates* legimus.
hi pupillares πυχίδια.
hi primores πρωτεύοντες.
hi proceres ἔξαρχοι, πρωτεύοντες.

hi po-

hi posteri μεταγενέστεροι.
hi plures πλείονες.
hi pl.r qi, οἱ πλεῖστοι.
hi penates πάτριοι θεοὶ.
hi Quirites οἱ πολῖται ῥωμαῖοι.
hi Quinquatrus, παναθήναια.
hi sentes ἄκανθαι, βάτος.
hi singuli ἕκαστοι.
hi sales οἱ ἅλες.
hi superi ὕψιστοι.
hi vepres αἱ ἄκανθαι, εἶδος βοτάνης.

Item fœminina semper pluralia:

hæ argutiæ φλυαρίαι & facit verbum *Arguto argutas*.
hæ angustiæ στενοχωρίαι.
hæ aræ, pro penatibus dicimus, namq; *Ara* singulariter.
hæ Alpes τὰ ὄρη γαλλίας.
hæ ædes, domus, οἰκία. nam si *ædis* dixeris, *templum* significas.
antennæ κέρας πλοίου.
hæ antiæ, κόμαι διὰ τόνοι τῶν κροτάφων.
hæ blanditiæ. κολακεῖαι.
hæ bigæ δίφρος, συνωρίς.
hæ trigæ, τρίππος.
Quadrigæ, τέτριππος.
hæ caulæ μάνδραι.
hæ ceremoniæ, θυσίαι, θρησκεία.
hæ compedes, πέδαι, βασανιστήριον.
hæ cunæ τὸ λίκνον.
hæ cratos πλέγμα ἐκ ῥάβδων & *cratem* dixerunt.
hæ copiæ, hæ diuitiæ, πλοῦτος.
hæ deliciæ ἡ ἀγαλλίασις.
hæ dapes, θοίναι, & *hæc daps* dixerunt.
hæ diræ, κατάραι.
hæ exuuiæ λάφυρα, σκῦλα.
hæ Æsquiliæ τόπος ἐν ῥώμῃ.
hæ excubiæ παραφυλακή.
hæ exequiæ ἐκκομιδή.
hæ fauces φάρυγγες.
hæ fruges καρποί.
hæ fores θύραι.
hæ fasces ῥάβδοι τῶν ὑπάτων. sed Cicero dicit *fascem unum si nactus esses* per quod intelligimus, & masculino genere dici, & non esse tantùm plurale.
facetiæ εὐτραπελία, εὐστομία.
hæ fortunæ ὑπάρχοντα οὐσία.
hæ feriæ ἀργεῖαι.
hæ faleræ ἱπποκόσμια.
hæ genę παρειαί.
hę grates & gratię χάριτες.
hę gingiuæ, τὰ οὖλα τῶν ὀδόντων.
hę gerrę, πλεκτά τινα προσφερόμενα τείχεσιν.
hę inducię ἀνακωχή.
hę inferię χοαί.
hę insidiæ ἐνέδραι.
hę inimicitię ἔχθραι.
hę ineptię μωρίαι.
hę Idus εἰδοί.
hę illecebrę δελεασμοί.
hę Kalendæ καλάνδαι.
hę litterę τὰ γράμματα.
hę latebræ μυχοί.
hæ lutinæ πήλωμα.
hæ minæ ἀπειλαί.
hæ manubiæ τὰ ἐκ ζώντων σκῦλα.
hæ nuptiæ γάμος.
hæ nares ῥίν.
hæ nundinæ ἡ καθ' ἐνάτην ἡμέραν πανήγυρις.
hæ Nonæ αἱ νόνναι.
hæ næniæ ἐπιτάφια.

hæ nugæ ληρολογία
hæ opes ωξουσίαι. ſed Virgilius lib. I. *Non opis eſt noſtra, Dido.*
hæc plaga, ζῶναι δικ]ύων.
hæ preces ικεσίαι.
hæ primitiæ ἀπαρχαὶ
hæ præſtigiæ ψηφοπαιγνία
hæ quiſquiliæ φρύγανον, χαῖται, σκύβαλα
hæ reliquiæ λεὶψανα
hæ retes δίκ]να. Nam & in conſuetudine dicimus: *In retes meas incidiſti.* *Retia* enim ſi dixeris, pluralem facis à nominatiuo qui eſt *Rete* neutrius generis.
hæ ſarcinæ ἀποσκευὴ
hæ ſortes χρησμοὶ
hæ ſuppetiæ βοήθεια
hæ ſordes ῥυπαρὰ
hæ ſcopæ σάρ⁊. Dicimus tamen & *ſcopa*
hæ ſcalæ κλίμαξ
hæ ſalinæ ἁλικαὶ
hæ tenebræ μύχος, σκοτία
hæ tricæ τριχώματα
hæ vires δυνάμεις
hæ vindiciæ καρπίσια, ἐκδικία, ἐλευθερίαι

Item neutra ſemper pluralia:

hæc arma ὅπλα.
hæc auia ἄνοδα
hæc arbitria μεσιτ]γνῶσις
hæc batualia γυμνασία μονομάχων
hæc bona ὑπάρχοντα
hæc breuia βραχῆ
hæc Bacchanalia διονύσια
hæc caſtra περιμβολὴ
hæc crepundia ἀναγνωρισμὸς
hæc cete κήτη.
hæc compitalia, duos quibus iis, qui peregre moriuntur, ſolet parentari
hæc carmentalia, matri Euandri ſacrificia inſtituta *Carmentalia* appellata à nomine ipſius.
Cerealia δημήτρια
hæc cunabula ασάργανα
hæc cibaria σιτομέτριον
hæc comitia ἀρχαιρέσια
hæc donaria ἀναθήματα
hæc diaria διάρια
hæc exta σπλάγχνα; τὰ καταπλιθέμενα βωμοῖς.
hæc gæſa, εἶδ⁊ ἀκοντίου, γαῖσα.
hæc genialia, τυχαῖα
hæc iuga ἀκρώρεια: quamuis *iugum* ζύγον ὑποζυγίων & ſingulariter.. locutus ſit.
hæc iuſta ἔθιμα
hæc inteſtina ἔντερα
hæc iugera πλέθρα ſed & *iugerum* dicimus.
Lautia ἐνδομβυεῖα
hæc Liberalia ἐλευθέρια, ἑορτὴ Διονύσια
hæc lumina ὀφθαλμοί. apud Virgilium *lumen* legimus
hæc mœnia τείχη, περίβολ⁊
hæc Magalia & Mapalia: καλύβαι ἀγρῶν
hæc Neptunalia ποσειδόνια
hæc orgia Διονύσου μυστήρια
hæc palaria, cum milites ad palos exercentur.
hæc parentalia νεκύσια
hæc præcordia, ὑποχόνδρια
hæc roſtra, locus in vrbe, vbi concionantur.
hæc ſpectacula θεωρίαι
hæc ſpolia λάφυρα

hæc ſpon-

hæc sponsalia *μνῆστρα*
hæc Saturnalia *κρόνια*
hæc ſerta, *στέφανοι, στεφανώματα*
hæc Terminalia *ὅρων διαχωρίσεως θύματα ῥωμαϊκοῖς ἑορτάζοντες, καὶ ὁροθέσια*
hæc tempora *κρόταφοι*: ſed Virgilius Æneid. IX. verſ. 418.
... *& haſta Tago per tempus vtrumq;*
hæc verbera *μάστιγες*
hæc viſcera *σπλάγχνα*
hæc vada *βράχεα*. ſed & *vadum* dixerunt, vt Salluſtius: *Vnum haud facilem pugnantibus vadum*
hæc Vulcanalia *ἡφαίστια*.

Quæ ſemper pluralia ſunt, ſi plus quam vnum ſignificare velimus, ſiquidem maſculina ſint, vtputa *hi loculi*, ita dicemus *binos, trinosq; loculos*. Si vero fœminina, vt puta *hæ ſcalæ*, ita dicemus *binas, ternasq; ſcalas*. Et neutralia ſimiliter, vtputa *hæc ſpectacula*. ita dicemus *bina, ternaq; ſpectacula*.

Elementa ſemper ſingularia ſunt, vt *cœlum* οὐρανὸς, *æther* αἰθὴρ, aer ἀὴρ, *ſol* ἥλιος, *iubar*, σέλας τ' ἡλίου. *terra* γῆ, *mare* θάλασσα, *autumnus & autumnum* φθινόπωρον, μετόπωρον. *Maria* tamen quamuis dicantur pluraliter, attamen nec *marium* nec *maribus* dicemus, & *terras* pro terræ regionibus accipimus.

Item metalla ſemper ſingularia ſunt, vtputa *aurum, ſtagnum, argentum, ferrum, orichalcum, æs, auricalcum, plumbum*. *Aera* quamuis dicantur, tamen cæteris caſibus non vtimur.

Item quæ menſurâ conſtant, arida duntaxat, quæ numerari non poſſunt, ſemper ſingularia ſunt, vt *triticum*, quod & *frumentum* dicimus: *hoc far* ἡ ζέα, *hoc ador, adoris* frumenti ſpecies, *hæc oryza* ὄρυζα, hæc *faba* Virgilius; *Vere fabis ſatio*. inuſitata declinatio. hæc *lens* ἡ φακῆ. hoc *cicer* ἐρέβινθος, hoc *milium* κέγχρος. hoc *minium* κιννάβαρις, hoc *panicum* ἔλυμον, νόμος κέγχρος. hoc monoptotum, μελάνθιον hoc *ordium*.

Item hæc ſemper ſingularia ſunt, *mel* μέλι, quamuis Virgilius *mella* dixerit, *oleum* ἔλαιον, *vinum* οἶνος, quamuis Virgilius *vina* dixerit. *mulſum* οἰνόμελι, *defrutum* ἕψημα, *acetum* ὄξος, *lac* γάλα, *garum, muria, liquamen*, & ſi qua horum nominatiuo pluraliter efferuntur, cæteris tamen caſibus ceſſabunt. *Fel* ſic declinatur quomodo *mel*. Et ſi pluraliter declinata fuerint, non ad quantitatem ſed ad genus referuntur, vt *mella*: vt ſint multæ ſpecies, quaſi locale. Vt *Atticum, Rhodium*. Similiter & *lana* & *lanæ*: vt ſint variæ ſpecies lanæ, quaſi *Mileſia & Hiſpana*.

Item nomina fluminum, & montium, & ciuitatum ſemper ſingularia ſunt, niſi quæ natura pluraliter enunciantur. Vt *Athenæ, Thebæ, Mycenæ, Baiæ, Cumæ, Puteoli, Oſtia, Argi*.

Item ſingularia ſemper ſunt, quæ nec videri nec tangi poſſunt. Verum ab his in alterutram partem doloris aut gaudii afficimur, vt *gaudium* χαρὰ, quamuis Virgilius *& gaudia* dixerit:

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Vigor

Vigor ϑῦν@
metus δέος
letum θάνατος
timor φόβος
fuga φυγή
pallor ὠχρίασις
luxuria ἀσωτία
terror πτόησις
insania μανία
sopor κάρωσις
ius δίκαιον & pluraliter *iura* tantùm
iustitia δικαιοσύνη
mæstitia λύπη
stultitia μωρία
senium γῆρας φύσεως & *senilis morbus*.
scrupulum σκάνδαλον
sapientia φρόνησις
salus σωτηρία, ὑγίεια
fides πίστις
perfidia ἀπιστία
macies λεπτότης
misericordia ἔλεος
inertia ἀδράνεια
segnitia νωθεία
pigritia ὄκνος
velocitas ταχύτης.

Sed auctores non vsquequaq; hæc obseruauerunt.

De Monoptotis.

CAPVT XVIII.

SVnt quædam nomina tota in declinatione, & singulari & plurali μονόπτωτα. In quibus & communia trium generum sunt. *nequam* ἄχρειος, *frugi* χρήσιμος, *nihili* οὐδαμινός, *nugas*; *pondo* σταθμός. Quamquam *vnum pondo*, non dici sciamus, sed in libram referamus, vtputa *vnam libram*, *duas libras pondo*, & deinceps obseruamus. Id quoq; obseruabimus, vt quoties de neutro loquamur correpta o littera dicamus, *duo millia*, in accentu autem longo, *duo homines*, *ambo homines*, *& ambæ mulieres* dicimus. Sunt quædam nomina singularia tantùm monoptota, quæ pluralia non habent, & sunt neutralia.

fas θέμις
hir θέναρ
tabo τηκεδών
git μελάνθιον
nefas ἀθέμιτον
instar ὅμοιον, ἀντίτυπον
sinapi σίνηπι
pus πύος
virus ἰός, ἡ ἐχίδνης, δηγμός, vnde *vir* appellatur.
cæpe κρόμυον, & *hæc capa*, *huius capæ*.

Sunt quædam nomina singularia tantùm monoptôta, quæ pluralibus casibus naturalem declinationem admittunt, & appellantur *hæteroclita*: vt *gelu* πάγνη, *genu*, γόνυ, *testu* ὄστρακον, sed Virgilius *hæc testa* in Georgicis, & *veru* ὀβελίσκος, *seru* ὀρρὸς, ὑποστάθμη τοῦ γάλακτος, *tonitru* βροντή, *cornu* κέρας *ossu*, ὀστέον & *os ossis*, vt infra apparebit inter monosyllaba. *Pecu* θρέμμα & *pecus pecoris*, sicut apud Sallustium & apud Virgilium:

Et succus pecori, & lac subducitur agnis

Et

Et alibi——*pecoris quàm lactis abundans*, & *pecorisq́; magistro.* Hoc *algu*, τὸ κρύος, & *algor algoris*, vt Cicero. Sunt quædam nomina, plurali tantum monoptota communia, in numeris posita, veluti, *quot, tot, aliquot, quotquot.* Hæc alii posuere inter aduerbia. Sunt quædam quæ singulariter non in omnibus casibus cadunt. Verùm pluralem declinationem solemnem admittunt. Veluti *frondem* φύλλα, & *fronde*, apud Virgilium. *Fronde super viridi. Frugem & fruge. Potestates. Vicis & vicem & vice,* ἐπὶ τῇ ἀμοιβῇ.

Sunt quædam quæ declinationem non admittunt; in quibusdam tamen casibus inueniuntur, & dicuntur μονόπτωτα, ut *dicis caussa.* Hic tantum genitiuus est.

Septimi casus est sponte, & hinc declinatio nulla præter ablatiuum. Opis &c. pag. 31. Basil. editionis G. Fabr.

Census Senatorum sub Augusto. Denarii æstimatio sub Tiberio. Potus vini & aquæ modus.

CAPVT XV.

RES nummaria, vt ignorare φιλόμουσος potest nemo, valde impeditum negotium, maxima quæq́; nostri æui ingenia exercuit. Iureconsultos quidem, quibus Metianus & Fannius quædam scripserant, Budæum, Portum, Alciatum, Ant. Augustinum, Hotomanum aliosq́; iuris politioris Antecessores: & de Theologis Rob. Cenalem, Gall. Episc. ac Stanislaum Grepsium Polonum, nostræq́; adeo Societatis III. Viros Hiberos Io. Marianam, Bap. Villalpaldum, & Lud. Alcazar; qui singulos hac de re Commentarios *de ponderibus sacris* foras nuper dederunt. De census prisci Senatorum Rom. summa ad nostram monetam reuocata, quærebat ex me forsan Franciscus frater Iurisconsultus, & Senator. Respondi equidem quod res est, variatum esse temporibus. Nam sub Augusto Senatorius census erat *duodecies sestertium*, hoc est, duodecies centena millia HS. vel sestertia mille ducenta : quantum triginta millia valent aureorum, teste Suetonio in Augusto, cap. 41. Tametsi Dion Cassius lib. LIV. fuisse tum dicat Censum Senatorium quinq; myriadas, certé decies sestertium, hoc est, aureorum viginti quinq; millia. Sic enim Dionem accipio ex Plutarcho in M. Antonii vita, his verbis: πέντε δ᾽ εἴκοσι μυριάδας οἱ Ρωμαῖοι δέκιες καλοῦσι. Græci ergo sæpenumero *Myriada* pro *mille aureis* dixere; & sane *vigintiquinq; myriades*, pro *decies sestertium* posuere, hoc est, aureis 25000: idemq; Plutarchus in Lucullo refert, cum in Apolline cenaret sumptum cenæ fuisse πέντε μυριάδων, id est, *quinquaginta millium*, subintellige assium. Quæ sane cena prodigii instar ac miraculi fuerit, efficitq; ea summa ducenta millia quadrantes & aureos quingentos. Iac. Amiotus, felix Gallicè è Græco Plutarchi interpres, vertit ibidem *quinquaginta millia drachmarum.*

: Posterioribus verò temporibus Census annuus senatorum longe amplior fuit *Quadragies sestertium*, hoc est quatuor millia HS. seu, centum millia aur orum.

Tenendum & illud, variatam quoq; monetam, vt hodie temporibus; ita & Latinè scribendi rationem, vt M. Fabius lib. I. affirmat. *Quinarius* enim, seu Victoriatus assium quinq; valore constabat. *Denarius* decem, vnde & nomina manarunt: qui primus fuit & legitimus denarii valor. Exhausto post ærario bellis cum Hannibale gestis, mutatus est aliquando cœpitq; *Denarius* sedecim asibus æstimari, auctore Plinio lib. XXXIII. cap. 3. Sic & Cornelium Tacitum cum Criticorum illo principe Lipsio μακαρίτῃ accipio lib. I. Annal. Tiberii enim Aug. milites, ait, initio imperii conqueri denis in diem assibus animam corpusq; eorum æstimari. Flagitare itaq;, vt Denarius sedecim iam assibus æstimatus diurnum esset militiæ stipendium.

Disputatum & olim de potus modo & aquæ miscendæ Conuiualibus, Criticorum Ciacconii, Vrsini, Lipsii & Stuckii Commentariis, ex M. Varrone, togatorum doctissimo, Apuleio, & aliis. En tibi Græcorum distichon:

χαίρει κιρνάμενος τρισὶ νύμφαις τέτρατος αὐτὸς
τῆμος καὶ θαλάμοις ἐστὶν ἑτοιμότατος.

Gaudet permixtus quartus nymphis tribus ipse:
Tunc Veneri & thalamo promtior aduenict.

Alciatus vero sic in Emblematis reddit:

Quadrantem addat aqua, calicem sumpsisse phalerni
Qui cupit; hoc sumi pocula more iuuat.

Calici, inquit seu cyatho vini iniice tres aquæ cyathos, siue tres vncias. id enim quadrans est. Mox addit:

Stes intra heminam —— Non vltra sextarii dimidium vini procedendum in potu sancit. Errant itaq;, qui hîc præcipi putant quartam aquæ partem vino miscendam, cùm tres præcipiat.

Apollonius Alex. libro Syntaxeos I. & interpres, correcti.

CAPVT XVI.

ALexandrinus fuit (è quo ludo tanquam ex equo Troiano ingenio præstantes, ac meri heroës prodierunt) etiam *Apollonius* Grammaticus, sed quia obscurus ac difficilis, hinc & Δύσκολος est cognominatus, teste Suida: vt σκοτεινὸς Heraclitus. Parens autem fuit *Herodiani*, qui & ipse, vt solet referre parentem filius, litterator fuit. Is nactus est, vt oportebat, doctum interpretem

tem Fr. Portum, qui diligenter cum Prisciano comparauit: Vt & Thomas Linacer Britannus post Theodorum Gazam libro IV. Grammat. Gr. multa hinc est mutuatus, vt conferre sit operæ pretium, itemq; Planudem, ac Gazam. Nos relegendo Apolloniū pauca notabamus, aliis vt exemplum daremus potius, quam vt totam interpretationem Cretensis libeat vacetue castigare. Sic enim lib. I. Syntaxeos cap. 3. quo disputat acutè, vt omnia, *Partes Orationis non temere, sed certo ordine ac ratione esse dispositas*, pag. 15. Wechel. edit. vers. 2. *Cum scilicet applicamus τὸ κάλλιστα id est, optime.* Rectius Priscianus: *clamamus* aut certe *acclamamus*. Græcè enim Apollonius: ἐπιφθεγγόμεθα. Et vero in recitationibus Poëmatum solenne illud acclamare: *Euge, Optime*, Græcè σοφῶς, vt è Persii Satyris discas. Pagina 16. v. vlt. *quæ continet omnes pæne orationis partes.* Non frustra addit interpres *pæne*. Priscianus enim *pæne omnes* habet: tametsi in Græco desideretur. Planudes tamen integrè habet: οἷον περιεχούσης πάντα χεδὸν τὰ μέρη τοῦ λόγου. Pag. 17. v. 4. ὀλιοθήσας σήμερον κατέπεσεν, Planu. ὀλισθήσας σήμερον ἔπεσεν. Statim pro περὶ τὸν συνδέσμον, idem habet πλὴν τοῦ συνδέσμου. Pag. 18. v. 14. ὀνόματα] ῥήματα Planu. verius, & Priscian. *verba reddit*. Pag. 19. v. 22. ὡς αὖ δὴ τρίτων συνόντων. Multo rectius ex Plan. legendum δύο, pro δὴ, vt sit tertia persona verbi, & tertia nominis, & ex Prisciano δύο reponendum. P. 20. v. 27. *Constat itaq; pronomina recti casus ea de causa stetisse.* Gr. οὐκ ἐνέμειναν, id est, non facta esse enclitica. Apertius itaq; conuertisset: *non inclinata sunt*. Planudes: ἐν αὐτῇ. Διὰ τὸ λῆμμα λίαν ἰσχὺν περιτεθεῖμένη τῷ ῥήματι. Pag. 21. v. 19. πῶν δὲ μεθέξει ἡ μετοχὴ Interponendum videtur τὸ ἐ, sic πῶν ἢ τὸ ἐμεθ. ἡ μετοχὴ, ex sensu & Plan. ac Prisciano.

Pag. 24. v. 25. καὶ τὸ ποιὸν, ἐ τὸ ποσὸν, ἐ τὸ πηλίκον. Legendum potius ἐ πόσον. Nam τὸ ποσὸν commune est item τοῦ πηλίκου, vt docent Philosophi. Quid? quod sequitur infra in reddendis exemplis πόσος. Pag. 25. vers. 3. Πότερος ἢ ποῖος ὁ γραμματικὸς, ἢ ὁ ῥήτωρ. Emendandus è Prisciano locus ita: *Qualis? sapiens vel doctus: Vter? Grammaticus an Orator.* Mox etiam leg. *quod potest accidere omnibus nominibus*, è Prisciani auctoritate: Et in omnibus quærendis, quæ possunt accidere per adiectiuam significationem eis quæ ad interrogationem *Quis* referuntur. Pag. 26. v. 30. *Itaque non quærit vnde venerit, aut an venerit.* Redderem potius, *aut quà venerit*, ob nomen ἔφοδον. Quasi *qua via*, licet εἰς πόθεν legatur hic referri, & Grammatici interdum sic vsurpari obseruant. Pag. 27. v. 10. *De iis quæ loco aliarum partium sumuntur vel assumuntur.* Deesse videtur in tralatione, ἐ τοῦ ἀνθυπαγομένων, quasi sint partes quibus Nomini aut verbo respondetur. Cuiusmodi sunt epitheta & Aduerbia. Aut certe omissum παραλαμβανομένων, quod conuenit Articulis, quos assumit syntaxis Nominis & Verbi, vt liquet ex initio capitis sequentis. Locū tamen ex Plan. sic rectius exponas: Ceteras partes pter nomina & verba, aut illis adiūgi solū vt Aduerbia Verbis; aut

non solum eis adiungi, sed etiam pro eis vsurpari: vt Pronomina & Participia. Prisc. etiam hoc modo hunc locum est interpretatus.

Breuis, breuia, Breuiariæ rationes. Nursini. Bursæ. Gurgustium.

Suetonius de Grammaticis illustribus sæpius castigatus.

CAPVT XVII.

SVETONIVS, siue alius auctor est, (ambigunt enim Critici) de Grammaticis scripsit illustrib. ac de claris item Rhetoribus. Nos ex vtroq; libello suo quæq; loco nonnulla è membranis, quas Lutetiæ olim Pet. Pithœi I. C. optime de multis scriptoribus meriti indulgentia ac beneficio inspexi, appendam; prætermissa ab Elia Vineto, & Achille Statio, Lusitano.

I. De artis huius apud Rom. ortu disserens: *Hactenus tamen imitati, ut carmina parum adhuc diuulgata, vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum amicorum probassent, diligentius retractarent.* Locum si legas attentius deprauatum videas. Vetus codex verius: *Hactenus tantum sunt imitati carmina, parum adhuc diuulgata vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractant, vt legendo commentandoq; etiam cæteris nota facerent.*

II. Inf. *Me quidem adolescentulo recte quendam Principem nomine alternis diebus declamare.* Quod hoc *Principis* nomen? Lego è M. S. *quendam principem Romæ*: Ciceronem significat, quem in Prætura etiam declamitasse mox in Gniphone refert. Natum è compendiis notisq; vt fit, mendum, *Rom. & nom.* Et mox *τὸ remoto* afuit à membranis, & *declarare* pro *declamare* scriptum vt è pluteis docuerint. Vnde Persius: --- *pluteumq; cecidit.*

III. In Nicanore: -- *negabit Sauius Posthumius*] vetus liber, *negabat* pendente inscriptione, vt in titulis artifices solent: *Apelles pingebat.* auctor in Procemio C. Plinius, & Basilius M. orat. ad iuuenes De vtilitate è Gentium scriptis. Statim: *ob infantiam eum in Sardiniam secessisse.* Editur enim, *ob infamiam.*

IV. In Atteio Philologo: *Alterum breuiario rerum omnium Romanarum instruxit:* Codex scriptus *Breui rerum Romanarum*, rectius fortasse, vt Lampridius in Alexandro: *Milites suos sic vbiq; sciuit, vt in cubiculo haberet breues & numerum vt tempora militantium.* Vt & Iureconsulti frequenter pro libello, in quo quid descriptum: Quibus & *Breuiariæ rationes*, vt Scæuula L. vlt. D. de pecul. legat. quod Suetonio in Caligula *breuiarium* est *rationum.* Βρέβιον seu βρέβιον est in B. Chrysostomi vita à Georgio Alexandr. Patriarcha conscripta pag. 238. Tomo VIII. Operum Gr. Britann. edit.

V. In Valerio Catone Gramm. statim in limine *Burseni* occurrit nomen auribus Romanis, ni fallor, inauditum. Quid si *Nursini* legas: quod & in claris Rhetoribus inf. deformatum vidi in *Nuncioni*, vbi etiam *Muretus doctiss. Epidio Nursino* leg. censuit. Vel si placet *Bursæ* repone. Nam & *Plancum Bursam* docuisse *Curtium Niciam* (de quo inf.) colligo ex epit. Cic. X. lib. IX. ad Fam. Mox. --- *tegula sub vna.* *Ad-*

Ad summam prope nutriat senectam. Sic sup. de Orbilio: *Iam persenex, pauperem se, & habitare sub tegulis quodam scripto fatetur.* VI. Et hic paulo ante: *Vixit ad extremam senectam, sed in summa pauperie, & penè inopia, abditus modico gurgustio.* Festus Pompeius *Gurgustium* humilem interpretatur habitationem, οἰκίδιον, à gurgulione verme, qui talia loca incolit: quemque antisticho sic dictum pro *Curgulione*, auctor est M. Varro apud Seruium in I. Georg. quoniam pænè nihil est nisi guttur, idemque *Gurgustium* ait obscuram esse & latentem tabernam. Sic M. Tullius lib. I. de Natura Deor. *Ante videlicet in tenebris, tanquam in gurgustio habitare.* Et in L. Pisonem: *Meministine cœnum, cum ad te quinta ferè hora cum C. Pisone venissem, nescio quo è gurgustio te prodire, inuoluto capite, soleatum.* Appuleius. *Ergo breuitatem gurgustioli nostri ne spernas, peto sis contentus lare paruulo.*

VII. In Nicia Ciceronis loca sunt lib. IX. ad Familiares ep. X. vbi *exspectanda* pro *expetenda* editur: & lib. XII. ad Atticum Epist. XXV.

Idem Suet. denuo correctus. Super Sallustii loco de Cn. Pompeio disputatum: de eius stylo vitaque.

CAPVT XVIII.

I. IN Lenæo Pompeii Magni liberto, Grammatico ita Suetonius: *Tanto amore erga patroni memoriam exstitit, vt Sallustium historicum, quod eum oris improbi animo inuerecundo scripsisset, acerbissima Satyra lacerarit.* In antiquis membranis disertè scriptum vidi, *quòd eum oris improbi animo verecundo subscripsisset.* Scio I. Duzam, qui post Lud. Carrionem I. C. Brugensem Sallustii reliqua explanauit, legentem contendere, *oris probi, animoq; inuerecundo.* Ego quod in antiquo libro repperi repræsentaui: Plinius lib. XXXVII. cap. II. *Imago Cn. Pompeii è margaritis, illa regia honore grata, illius probi oris, verecundique per cunctas gentes: illa inquam ex margaritis seueritate victa, & veriore luxuria triumpho.* Lenæus igitur magis iniuria patrono facta offensus strinxit styli aciem in C. Sallustium, quòd bis mentiretur, *improbi oris & inuerecundi animi*, qui à pusillanimo & abiecto non longe abest, appellando. Si enim vt reuera erat, *probi oris, & inuerecundi animi* Pompeius habebatur, quid erat cur tantopere vero libertus offenderetur? *Subscribere* autem si hic rectè habet, erat & statuarum titulos affigere; & forense est in iudiciis vocabulum. Seneca in ἀποκολοκυντώσει: *Lege Cornelia, quæ de Sicariis lata est, quærebat. Postulat nomen eius recipi, & cedit subscriptionem.* Sic enim in vet. legitur Cod. vulgares enim edunt, *recipi: edit subscriptionem.* Appuleius in Apologia: *Quanto grauius habendum, quod in iudicio subscribitur, quam quod in epistola scribatur.* Et infra de Rhetorib. claris. Octacilius ob ingenium ac studium literarum manumissus accusanti patrono subscripsit, & Iureconsulti l. 3. §. item scribere D. de accusat. II. Quod sequitur de eo ipso Sallustio, *vita scriptisque monstrosum, præter ea*

tereaprifcorum, Catonisq; verborum ineruditissimum furem. In antiquo erat libro, *intentissimum furem.* Furem enim intentum ad omnia & excubare oportet, vt mendacem memorem esse necesse dicimus Prouerbio. M. Fabius de ipso Crispo lib. XII. cap. XX. proprietatis ait in verbis *retinentissimum* consuetudini concessisse. De vita autem illius turpi ac libidinosa è M. Varrone Agellius lib. XVII. Noctium c. XVIII. Horatius lib. I. Satyra II. Lactantius lib. II. c. XVIII. & Symmachus lib. V. epist. LXVI. Nam de priscarum Catonis vocum fure, & vetus Epigramma apud eundem Fabium lib. VIII. cap. III. Suetonius in Augusto, & sup. in Philologo.

III. In C. Melisso: *Ob discordiam parentum expositus, cura & industria educatoris sui altiora studia percepit.* Membranę sic: *Expositus curia, & ob industriam educatoris sui, &c.* Post non longè: *Quare cito manumissus Augusto & insinuatus est, quod eleganter curam ordinandarum bibliothecarum in Octauiæ porticu suscepit.* In vet. lib. aberant, *Augusto & insinuatus est quod*, forte quod traiecta coniunctio offendisset scribas, & *elegantem curam* tentabam. Sed quod post cōperi, *quo delegante* rectum est, ac tenendum. Mox in M.S. Pithœano erat, *quibus & animos diuersi operis postea addidit*: Lege, *quibus & mimos diuersi operis.* Sæpè enim hæc vox *mimos* in varias mutata est à librariis Protei in morem formas, nunc *animos*, nunc *alios*, vt *omina* in *omnia*: vt idem Pithœus admonuit lib. I. Subseciuorum Aduers. cap. XVII. & Gul. Canterus lib. I. Nouar. lect. cap. VIII. & lib. II. cap. XXVIII.

IV. In M. Marcello, etsi *modestissimus exactor* editur, leg. tamen *molestissimus* sequentia vincunt.

V. In Remmio Palæmone *mulieris verna*, legitur, lego è membranis, *militaris verna.* De hoc Plinius lib. XIV. cap. IV. de vineis & vuis agens: *Eiusdem Stheneli opera Remmio Palæmoni, alias Grammatica arte celebri, in hisce XX. annis mercatores DC. nummûm in eodem Nomentano decimi lapidis ab Vrbe diuerticulo.*

VI. In Valerio Probo: *Antiquorum memoria necdum omnino abolita, sicut Romæ. Hos cum diligentius repetere atque alios.* Vetus liber legit & interpungit ita: *necdum omnino abolita. Sic cum Romæ hos diligentius repeteret, atque alios deinceps.* Atque de his satis superque.

ANDR.



ANDR. SCHOTTI
OBSERVATIONES POETICÆ.
LIBER II.

GRÆCI

Orpheus
Homerus
Hesiodus
Theognis
Theocritus
Lycophron
Oppianus
Euripides
Sophocles
Cleanthes
Epicharmus
Menander.

LATINI

Q. Ennius
P. Virgilius
Statius Papinius
Q. Horatius
P. Ouidius
Q. Catullus
Albius Tibullus
Sex. Aur. Propertius
Valerius Flaccus
Cl. Claudianus
Iunius Iuuenalis
Aulus Persius
Lucilius
M. Plautus
P. Terentius Afer
Dec. Ausonius.

Poemata Cyclica. *παιδεία.* *Horatius è Procli χρηστομαθείᾳ illustratur.*

CAPVT I.



Væsitum à nonnullis obseruaui, quænam apud Proclum nostrum ἐν χρηστομαθείᾳ, quæ in Photii C. P. legitur Bibliotheca, τὰ ἐπικοῦ κύκλω ποιήματα vocentur. *Κύκλια carmina*, quasi triuialia, quæ in triuiis canebantur. Isidorus lib. VI. Originum cap. XVII. An forte quia orbem efficiunt, & in corona hominum accinebantur? Vnde &

artes

artes *Cyclicæ* dictæ, Græcè, *κύκλια* quidem semper apud Aristophanem pro Dithyrambicis sumuntur tantùm, propter genus chori, quo vtebantur. Vnde & *κυκλιοδιδάσκαλοι* Cinesias & Philoxenus & alii Dithyrambici ab eo appellati: & *pueri Cyclici* Plutarcho in Aristide, fortasse pro choro, qui dithyrambos canebat: sed hæc significatio nihil ad Procli locum, licèt illam ad omnia Lyrica traducat Io. Tzetzes in Chiliadibus, quam & maximè propriam τῶν ἐγκυκλίων significationem esse voluit. Multò autem magis ab hoc loco aliena, quibus idem docet ex Porphyrio *de vitis Philosophorum*, isto nomine contineri τὴν ἐγκυκλοπαιδείαν, hoc est, quas vulgus *liberales* appellat *septem artes*, & præterea Philosophiam. Ita Interpres Aristophanis in Nebulis, *κύκλια μαθήματα* vocat metricam & rythmicam, & alias: sed videndum an apud eundem ἐν τοῖς ὄρνισι intelligi possit hoc genus poematis, de quo loquitur Proclus, dum ait: *κύκλια* ἢ καλοῦσι μέλη τὰ ἐπικτίζόμενα. ἔστι δὲ διηγηματικόν. Nam hoc genus poematis, vt ait Proclus, à Chao ad reditum vsque Vlyssis, perpetua serie historiarum & temporum perducebatur, atque erat διηγηματικόν. Illud torquet, quod μέλη appellat: sed potuit γενικώτερον, τὸ, μέλη vsurpari. Veriorem tamen sententiam existimo Ioannis Philoponi, in lib. I. Analyt. poster. Aristotelis, cuius verba, non Græcè (sunt enim plurima,) neque vt vulgò ineptè versa circumferuntur, sed vt ipse reddenda censeo, apponam; Κύκλον *ait Aristoteles* τὰ ἔπη, *Carmina, hoc est Epigrammata sic conscripta, non vt vltima primi versus voce inchoet sequens, & tertius, sicque deinceps, sed vt liceat idem carmen, nunc initio, nunc in fine collocare. Quale est illud:*

Χαλκῆ παρθένος εἰμὶ, Μίδου δ' ἐπὶ σήματι κεῖμαι.
ἔς' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ, καὶ δένδρεα μακρὰ τεθήλῃ.
ἠέλιός τ' ἀνιὼν λάμπῃ, λαμπρά τε σελήνη.
αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύτῳ ἐπὶ τύμβῳ
ἀγγελέω παριοῦσι Μίδης ὅτι τῇδε τέθαπται.

Aenea sum virgo, Midaque incumbo sepulcro.
Dum fluit vnda leuis, sublimis nascitur arbos.
Dum sol exoriens, & splendida luna relucet.
Hic constanter ago, lacrymis in marmore tincto
Fixa, Midam moneo tumulatum hic, care viator.

Vides enim tanquam in circulo, licere à quolibet versu initium ducere, hoc modo:

Αὐτοῦ τῇδε μένουσα πολυκλαύτῳ ἐπὶ τύμβῳ.
Deinde χαλκῆ παρθένος, *& deinceps.*
Vel sic χαλκῆ παρθένος. *Deinde*
Αὐτοῦ τῇδε μένουσα. *mox*
ἔς' ἂν ὕδωρ τε ῥέῃ, *& quod inde excurrit.*

Refert autem in Homeri vita Herodotus, Homeri esse hoc carmen in Midam Phrygia Re-

gia Regem conscriptum. Vnde nunc talia Epigrammata κύκλον appellant. Est & aliud κύκλος, poema propriè dictum, quod alii aliis tribuunt, non-nemo Homero, &c. Hæc Philoponus, è quorum extremis verum sensum Procli eruo, de quodam certo poemate & opere sic dicto. Themistius item eruditus Aristotelis explanator, in eundem librum: εἰ δὲ λέγεται καὶ ἔπη τινὰ κύκλος, ἀλλ' οὐκ ἐᾷ ταῦτα κύκλον ὑπολαβεῖν τὸν γεωμέτρην ὁ τοῦ κύκλου λόγος. *In Ethicis Nicomachiis* idem Philosophus *Encycliorum* à se scriptorum meminit, lib. I. ibidemque, & *in Analyticis*, Homero *Cyclica* tribuit; in πειραστικῶς verò ἀνωνύμου esse ait. Et in libro *De cælo*, vbi Simplicius ἐγκύκλια φιλοσοφήματα laudat. Hoc etiam nomine *artes liberales* comprehenduntur, vt in Oppiani vita incerti auctoris; καὶ ἐγκύκλιον ἅπασαν παίδευσιν καὶ τὰ λοιπὰ τῶν μαθημάτων ἐκπαιδεύσας. Idcirco fortasse, quod vniuersim totum artium κύκλον, ab ouo, quod dicunt, ad mala, hoc est, à Grammatica & Logicis, quas in Scholis vocant, disciplinis, & deinceps Mathematicas complecterentur. Has simul connexas Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς, ἐγκύκλια παιδεύματα appellat. M. Fabius lib. I. *orbem disciplinarum* vertit. Seneca Epist. LXXXVIII. ἐλευθερίας *artes* nominat. Reponit verò ibidem M. Ant. Muretus, haud scio an de veteri libro, ἐγκυκλίους. Προβλήματα item *Encycliorum* citat Agellius, lib. XX. cap. III. quæ hodieque reperiuntur ad verbum in Aristotele Sect. XXX. Probl. lib. IX. qui & Politic. cap. IV. ἐγκύκλια διακονήματα, & mox διακονίας ἐγκυκλίους dicit, *Encyclia ministeria.* Item in Ethicis Nicomachiis, hærente ibi aqua Dion. Lambino, cætera accurato. Hinc etiam planius intelligi queat, quod est à grege interpretum Horatii diligenter quæsitum, à paucissimis tamen hactenus intellectum, quem in Arte Poët ca *patulum orbem* nominet, cum ait:

Nec circa vilem, patulumq́, moraberis orbem.

Nam per *orbem patulum*, poema κύκλος dictum intelligit, quod cyclicus ille scriptor τὰ ἰλιακά, κύκλῳ scripserit, quasi à gemino ouo, belli Troiani reliqua καθολικῶς *vniuersè* complectens. *Vilem* vocat, qui proiecti est animi κατὰ πλάτος, καὶ παχυλῶς docere: quomodo interpretatur Ausonium Ios. Scaliger, Epist. ad Claudium Puteanum, opusculis postumis & Is. Casaubonus ad Athenæum, Animaduers. lib. VII. cap. III. Pet. Victorius in Aristot. Politica: Franc. Patricius lib. VI. Discussionum Peripateticarum, & singulari, vt audio, libello Octauianus Ferrerius Mediolan.

Virgilius quà illustratus, quà emendatus.

CAPVT II.

Viuite felices, quibus est fortuna peracta
Iam sua.

Sic lib. III. Æneid. v. *492*. In quo quidem versu à doctissimis viris ei vitio vertitur, quòd parum Latinè dixerit *sua*, cum dicendum esset *nostra*, & non *sua*. In primis arguit Nic. Perottus, Episcopus Sipontinus. Sed nos Virgilii partes suscipiamus, & vmbone Homerico defendamus, ad cuius imitationem hoc Poeta dixit. Sic enim Iliad ά. v. 344.

Ὅπως οἱ παρὰ νηυσὶ σόοι μαχέοιντο Ἀχαιοί. & alias frequenter.

Item Orpheus:

ῥᾶςα περὶ φρεσὶ δ' ἦσι δοκεύομεν, οὐδέ τις ἡμέων.

nec multo pòst:

——— τόφρ' ἀνελόντες
δέρμα, ἀπονοστήσωμεν ἐὴν ἐς πατρίδα γαῖαν.

Quid enim mirum si ab his Virgilius sua desumserit, cum alia plurima à Græcis mutuatus sit? Vidi qui post *Viuite*, interpungendum censerent, esseque benè precantis formulam. Vt in illo Flacci:

Omnes composui. Felices. nunc ego resto.

Eodem quoque libro Maro:

Protinus aerias Phæacum abscondimus oras
Litteraq́, Epiri legimus, portuq́, subimus
Chaonio.

Nec *portu* legendum, nec *Chaonio* est auferendi casus, vt Seruius Honoratus existimauit, quod sic probat Probus Grammaticus *in Artium institutis: O littera genitiuus terminatus Græcus est, eamq́, produci necesse est: vt:*

In foribus letum Androgeo.

Est enim propriè genitiuus Græcus, licet aliqui sic legant. In foribus letum Androgei. Græcæ declinationis ignari: & portusque subimus Chaonio, pro Chaonii patris portus, quamuis legatur, portusque subimus Chaonios. Ex his Probi verbis clarum, quomodo castiganda & intelligenda sit Virgiliana sententia. Nec sanè mirum, quod vnius tantum litteræ immutatio, ablatio, additio, Seruium in errorem induxerit. Cum huic illud decimi Æneidos eiusdem Virgilii simile sit:

Æneas nubem belli dum detinet, omnes
Sustinet.

Vbi legendum *detonat, omnem*, id est, tonare desinet: aliàs nullus sensus est. Cui lectioni fauent antiqui libri, præcipuè codex venerandæ vetustatis, quem inspicere licuit Salmanticæ, in Bibliotheca Collegii Bartholomæani. Sic idem Maro:

Dum pelago desæuit hyems. ———

Et Val. Flaccus lib. IV. Argonautic.

Illum insperata turbatum fraude furentem
Oebalidem prima refugit dum detonat, ira.

Et Sta-

Et Statius Papinius *Detumendi* sic verbo est vsus. Vt III. Thebaid.

——— tum stagna lacusque sonori
Detumuere. ———

hoc est, tumorem posuerunt. Et lib. V. Thebaid.

Detumuere animi maris, & clementior Auster
Vela vocat. ———

Idem libro V. Æneid. versu CXLIII.

Conuulsum remis, rostrisque stridentibus æquor.

Legere equidem malim *tridentibus*, vt & lib. VIII. vers. 690. qui idem est cum priore. Quam lectionem habet vetustissimus codex, & grandioribus literis exaratus Card. Carpensis, quem dono dedit Iouianus Pontanus Angelo Colotio. Confirmat idem Val. Flaccus, lib. I. Argonaut.

Infinditque salem, & spumas vomit ore tridenti.

Quod de rostro trifido accipio.

Pleias Tragicorum Græciæ. *Statius in Syluis contra aliorum sententiam explicatus.*

CAPVT III.

PLeiada septem insignium Tragicorum à numero stellarum in Tauri signo, Ptolemæi Philadelphi ætate ingeniorum fecunda, floruisse, inter doctos satis conuenit, qui post illos III. Viros Tragœdiæ, *AEschylum, Sophoclem & Euripidem*, orchestram impleant,

Qui doceant magnumque loqui, nitique cothurno.

Sic & septem Lyrici principes celebrantur, præter *Pindarum*, & *Sappho*, *1. Alcæus, 2. Anacreon, 3. Alcman, 4. Bacchylides, 5. Ibycus, 6. Simonides, 7. Stesichorus*: de quibus caput CCXII. in Hygini Mythologicis temporis iniuria defecisse doleo. Nouem quoque *poetrias* Græcia, præstantissimorum ingeniorum studiorumque parens extulit. Sunt & VII. Græciæ *Sapientes*, quorum & de nominibus docti certant. Sic & in tanta Tragicorum Græcorum celebritate atque frequentia, qui in hoc album sint referendi, est controuersum. Hinc etiam Brodæum lib. Miscellan. V. cap. XV. *Amplius*; dum certiora reperiat, pronunciasse video. Nos variantes Græcorum hominum sententias, & quasi diribendo suffragia collegisse contenti, aliis iudicandi partes relinquemus. Hephæstion in ἐγχειριδίῳ, eiusque interpres hunc septenarium efficiunt: ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἑπτὰ ἄριστοι γεγόνασι τραγικοί, οὓς πλειάδας ἐκάλεσαν, διὰ τὸ λαμπρῶς εἶναι ἐν τῇ τραγικῇ, ὥσπερ ἄστρα τὰ ἐν τῇ πλειάδι. εἰσὶ δὲ οὗτοι. Ὅμηρος, οὐχ ὁ ποιητής, ἀλλ' ὁ υἱὸς Μυροῦς τῆς Βυζαντίας ποιητρίας, καὶ Σωσίθεος, καὶ Λυκόφρων, καὶ Ἀλέξανδρος, καὶ Αἰαντίδης, καὶ Σωσιφάνης καὶ Φιλίσκος. Alius verò

Deripiunt, cunctaq́ probant non omnibus, ille
Versus, alit victos immanis gloria falsi.

Idem Domitius, vt *ille versus*, pro *Prouerbio* dictum persuadeat, *Sisyphi* instar

Versat saxum nitendo, neque proficit hilum,

Lego ab ingenio, *Verus*, parua commutatione, & interpungo

Cunctaq́ probant: non omnibus ille
Verus, alit victos immanis gloria falsi.

Mu'æ, inquit, ciuitates eum sibi vindicant, non tamen omnibus ille verus alumnus, vni tamen proprius vrbi: reliquas, etsi victas, alit nihilominus gloria, & inanis opinio tanti alumni.

Theognidis Gnomæ è Latinis auctoribus lucem accipiunt.

CAPVT IV.

THeognis, Ethicus poëta, iuuentuti nunquam satis commendari poterit, qui quo facilius in eorum se manus insinuet, à me hoc capite nonnihil è Latinis poëtis illustratus prodibit. Sic itaq; versu 7.

Ἀθανάτων κάλλιςων ἐπὶ τροχοειδεῖ λίμνῃ.

Statius 1. Thebaidis idem dixit:

Namq́ vt passa Deum Nemeæi ad fluminis vndam.

Ad quæ verba vetus interpres Luctatius. *Morem*, inquit, *habent poëtæ, vt diis genitos super fluminis ripas memorent esse conceptos, vt facilis nimirum posit esse ablutio.* Virgilius itidem lib. I.

Túne ille Aeneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad vndas?

Theogn. vers. 236. ἀκρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ.

Horatius lib. I. Oda I. id respexit, vocando Mæcenatem *præsidium suum.*

Vers. 568. ἀλίζας ψυχὴν κείσομαι ὥστε λίθος.
Ἄφθογγος.

Allusit ad id Ouidius elegantissima illa nænia de morte Tibulli:

Viue pius, moriere pius; cole sacra, colentem
Mors tamen à sacris in sua busta trahet.

Versu 597. Ἄνθρωπ' ἀλλήλοισιν ἀπόπροθεν ὦμεν ἑταῖροι
Πλὴν τούτου παντὸς χρήματός ἐστι κόρος.

Et 697. Εὖ μὲν ἔχοντος ἐμοῦ πολλοὶ φίλοι. ἢν δέ τι δεινὸν
Ἐγκύρσῃ, παῦροι πιστὸν ἔχουσι νόον.

Naso eodem respexit, dum cecinit I. Tristium:

Donec eris felix multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Versu 700. πλήθει δ' ἀνθρώπων ἀρετὴ μία γίγνεται ἥδε,
πλουτεῖν· τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν ἄρ' ἦν ὄφελος.
Obscurius paullò supra versu 653. Α' δειλὴ πενίη. &c.
Imitatus est hæc I. Epistola Horatius:

O ciues, ciues; quærenda pecunia primùm
Virtus post nummos.——

Idem Phocylidæ Plato attribuit, III. de Republica: φωκυλίδου γὰρ, ἦν δ' ἐγώ, οὐκ ἀκούεις πῶς φησὶ δεῖν, ὅταν τῳ ἤδη βίος ᾖ, ἀρετὴν ἀσκεῖν.
Versu 797. Ἀνθρώπων δ' ἄμεμπτος ἐπὶ χθονὶ γίγνεται οὐδείς,
Ἀλλ' ὁ λῷον, οὗ μὴ πλεόνεσσι μέλει.
Idem Horatius ad se quoq; traxit:

Nam vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est
Qui minimis vrgetur.——

Versu 853. Πολλάκις ἡ πόλις ἥδε δι' ἡγεμόνων κακότητα
Ὥσπερ κεκλιμένη ναῦς παρὰ γῆν ἔδραμε.
Imitatus est hoc Hesiodus ἔργοις:
Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
ὅστις ἀλιτραίνει, καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται.
Et Flaccus in Epistolis:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Turpem mortem fugere. *Accius è Græcis illustratus scriptoribus.*

CAPVT V.

PRæclaram certe Antiquitati operam nauarunt quidam in colligendis veterum Tragicorum fragmentis: & in vnum opusculum, veluti naufragii tabulis comportandis. In his Accius in Athamante sic ait:

Cuius vita sit indecoris, mortem fugere turpem
Haud conuenit.

Iunius autem Hadrianus negatione expuncta sic legendum censebat:

Mortem fugere turpem conuenit,

id est, eluere notam priorem illustri morte. Manuscriptus Complutensis, quem inspicere contigit, aliter præfert: ---*cuius sit*
Vita indecoris mortem fugere haud conuenit.

Mortem porro fugiendam non esse in hanc sententiam dixit & σοφὸς ille Sophocles, Aiace lorario:

αἰσχρὸν γὰρ ἄνδρα τοῦ μακροῦ χρῄζειν βίου,
κακοῖσιν ὅστις μηδὲν ἐξαλλάσσεται.

τί γὰρ πὰρ' ἦμαρ ἡμέρα τέρπειν ἔχει
προσθεῖσα κἀναθεῖσα τοῦ γε κατθανεῖν;
οὐκ ἂν πριαίμην οὐδενὸς λόγου βροτὸν
ὅστις κεναῖσιν ἐλπίσιν θερμαίνεται·
ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι
τὸν εὐγενῆ χρή.

Idem in Electra: τοῦτο γινώσκω, ὅτι
ζῆν αἰσχρῶς τοῖς καλῶς πεφυκόσιν.

Stephanus Byzantius libro De vrbibus, Iulienfium in Ceo insula legem esse ait, ὁ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐκ ζῇ κακῶς. Cuius & meminit Strabo lib. X. ex Menandro:

Καλὸν τὸ Κείων νόμιμόν ἐστι Φανία,
Οὐ μὴ δυνάμενος ζῆν καλῶς, οὐ ζῇ κακῶς.

Iuuenalis Sat. VIII.

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere causas.

Iuuenalis de Iside explicatus.

CAPVT VI.

Satyra III. Iuuenalis:

Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.

Interpretes ad fabulam referunt, Isin peierantes oculis orbare. Vnde Ouid. lib. I. de Ponto sic ait:

Vidi ego linigeræ numen violasse fatentem
Isidis, Isiacos ante sedere focos.
Alter ob huic similem priuatus lumine culpam,
Clamabat, media se meruisse via.

Equidem maiori huius loci declarationi addo è Græcis, Deos *Isim & Amphicratem* medicum fortasse, homines excæcare solitos, vt lib. II. Antholog. notatur εἰς Ἰατροὺς κεφ. κ'β. à Lucillio:

Ἤν τιν' ἔχεις ἐχθρὸν, Διονύσιε, μὴ καταρᾶσθαι
Τὴν Ἶσιν τούτῳ, μηδὲ τὸν Ἁρποκράτην.
Μηδ' εἴ τις τυφλοὺς ποιεῖ θεὸν, ἀλλὰ Σίμωνα·
καὶ γνώσῃ τί θεὸς χ' τί Σίμων δύναται.

Ausonius sic reddidit:

Odisti si quem Dionysi, ne pete vt Isis
Harpocratesue huic sit trux, aliusue Deus:
Excæcas: voueas vt Simo sit medicus, tunc
Et noris possit quid Simo, quidque Deus.

Proper-

Propertio, ex aliis Poëtis lux data.
Plautus Amphitruone castigatus.

CAPVT VII.

Cynthia facundi carmen iuuenile PropertI:

Adeò elegans est, & scitum, nihil vt eo venustius hoc in genere reperiri queat. Callimachum Græcum vt expressit, Euphorionem, aliosq; nonnullos; ita & illum similiter alii expressere. Exemplis nonnullis hic fidem faciam.

I. Lib. I. Eleg. VII.

Sæpe venit magno fœnore tardus Amor.

Ita Ouidius epistola Phædræ, vers. 20.

Venit amor grauius, quò serius.----

II. Eleg. VIII. vers. 23.

Nec me deficiet nautas rogitare citatos.

pro, rogare assiduè non cessabo. Hellenismus est poëtæ illi familiaris. Sophocles in Oedipo Tyranno:

λείπει μὲν οὐδ' ἃ πρόσθεν ᾔδειμεν τὸ μὴ οὐ
βαρύστον' εἶναι.

III. Ibidem Propertius, vt Passeratius edebat:

Quin ego vita tuo limine verba querar.

Ios. Scaliger tentarat, *tuo lumine acerba querar,* Malim equidem, si fas post magnos illos Criticos, *limine vera querar. Vera,* pro *iusta,* veteres, qui & *falsa* dixit sensu eodem Lib. III. Elegia XXII. & Horatius, pro *recto*:

Metiri se quemq; suo modulo ac pede verum est.

IV. Idemq; mendum in M. Plauti Amphitruone insedit:

Miserrima isthæc miseria est, seruo bono
Apud herum qui verba loquitur.

Nam germana lectio est, *vera,* quam & Ioach. Camer. vidit: ne quem sua fraudasse laude videar. Sed eadem opera in eo ipso Comico alterum emendemus locum. Nam quod scribitur: ----*si id vi verum vincitur.* Vera lectio: *Si did verum vincitur,* ἀρχαϊκῶς, pro *si id verum vinc.* Veteres enim hiatus vitandi gratia, D. interiiciebant, sequente plurimùm vocali, *vt me derga,* aliaq; eidem vsitata: vt ad Catulli locum infra adnotabam.

V. Ibidem propertius:

Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis.

Malim *palmis*: vt Horatius Lib. 1.

Sublimi feriam sidera vertice.

Seneca Thyeste:

Aequalis

Aequalis astris gradior, & cunctos super
Altum superbo vertice attingens polum.

Et vetus adeo sermone tritum Prouerbium est, *Cælum digito contingere.*

VI. Eleg. IX.

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero:
Carmina mansuetus lenia quærit Amor.

Horatius lib. I. Epist. V. de eodem Lyrico ad eundem propè modum:

Si, Mimnermus vti censet, sine amore, iocisq;
Nil est iocundum: viuas in amore iocisq;

Respexit credo vterq; ad Mimnermi hoc distichon, apud Plutarchum περὶ ἀρετῆς ἢ ἠθικῆς, & Stobæum Sermone LXI.

τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσῆς Ἀφροδίτης;
Τεθναίην, ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι.

Sic Stobæus. Plutarchus enim ita:

Τίς δὲ χάρις, ἢ τὸ τ' ἄνευ χρυσῆς Ἀφροδίτης;

VII. Eleg. XVII.

Ah pereat quicunq; rates, & vela parauit,
Primus & inuito gurgite fecit iter;

Sic Tibullus Eleg. VII. lib. I.

Prima ratem ventis credere docta Tyros.

Et Claudianus, de raptu Proserpinæ:

Quas natura negat, præbuit arte vias.

VIII. Libro II. Eleg. XIII. Incipit:

Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis,

Ante Beroaldum *Etrusca* legebatur: Pontanus *Itura* reposuit: *Susa* tueor, quæ Persarum regia fuit: vnde *Susiana regio*: & Claudianus de bello Gildonico, versu 31.

——non vt proculcet Oaxem (vet. cod. meus, *Araxem*)
Consul ouans, nostraq; premant pharetrata secures
Susa, nec vt rubris aquilas figamus arenis.

Plura Passeratius, Doctor meus Lutetiæ, loca suggeret.

IX. Rursum Eleg. XVI. v. 19.

Atq; vtinam Roma nemo esset diues, & ipse
Straminea posset dux habitare casa.

Ouidius lib. II. Eroticῶn. Eleg. IX. vers. 17.

Roma nisi immensum vires promosset in orbem,
Stramineis esset nunc quoq; densa casis.

Et III. Fastorum:

Quæ fuerit quondam, si quæris, regia nati,
Aspice de canna, straminibusq; domum.

Tibullus Elegia V. lib. II.

Et stabant humiles in Iouis arce casa.

Ouidius V. & VII. Metamorphos. expositus & emendatus. Theognis *è Megara Attica, non Siciliæ.*

CAPVT VIII.

I. OVidius lib. V. Metamorphoseos, raptoris Ditis vbi astum & dolos significat, hæc habet:

Haud procul Aetnæis lacus est à mænibus altus.

Vitiosè sanè locus ille circumfertur: quippe pro *Aetnæis*, legere *Hennæis* maluerim, ex Strabone, & hoc ipso in Fastor. lib. IV. Tradunt namq; prope Hennam Siciliæ vrbem à Plutone raptam Proserpinam. Item notandum non *Ennæis*, sed cum spiritu legendum *Hennæis* ex Plinio, qui lib. III. Nat. Hist. inter populos ab aspiratione H. incipientes *Hennenses* numerat.

II. Eodem libro infra paullò:

Fertilitas terræ latum vulgata per orbem
Sparsa iacet, primis segetes moriuntur in herbis.

Quid significet *sparsa fertilitas*, alii pluribus exponunt; sed cadente fundamento, cadit & ædificium. Videtur namq; *sparsa* minimè posse retineri: sequenti enim versu ait: *Segetes primis moriuntur in herbis.* Quamobrem puto legendum: *spreta iacet*, è vestigiis antiqui codicis præferentis *sprasa iacet.*

III. Libro autem VII. vitiosè etiam scriptum est:

Strage canum primò, volucrumq; auiumq; boumq;

Nam si erat *strages volucrum*, quid necesse erat subiicere *auium*? Vnde ex antiquo codice emendabam *ouiumq;*.

IV. Quin etiam ibidem

Tutus ad Alcathoën Lelegeïa mœnia limes
Composito Scyrone patet——

Megaram *Alcathoën* vocatam neminem vidit Parrhasius qui traderet. Quamobrem rectè putat legendum:

Tutus ad Alcathoi Lelegeïa mœnia limes.

Quandoquidem *Alcathoi mœnia* dicta sunt Megararum mœnia quæ Apollo in gratiam Alcathoi construxit, vt ex Theognidis disticho notatur, ver. 771.

Φοῖβε ἄναξ αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην
Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.

Ex quo etiam disticho colligo, Theognidem Megarensem ex Megara Attica, non Siciliæ, vt vult Suidas, oriundum. Nam in eo Lexicographus ille hallu-

hallucinatus, vt ex multis poëtæ versibus cognoscitur, & Stephanus apertè eum ait ex Attica Megara oriundum.

Statii locus in Thebaide de coniectura emendatus, & alter Achilleide illustratus.

CAPVT IX.

Statius lib. III. Thebaid. V. 479.

Branchus & vndosæ qui rusticus accola Pisæ
Pana Lycaonia nocturnum exaudit in vmbra.

Est qui locum hunc esse vitiosum credat. Nam *vndosæ* epitheton *Pisæ* nunquam selegisse meminit.. Quid si *vmbrosæ*, inquit, legatur? Testis enim Homerus, qui in Hymno Panos Dei, arborosam, hoc est, vmbrosam vocat Pisam.

——ὅς τ' ἀνὰ Πίσῃ
Δενδρηέντ' ἄμυδις φοιτᾷ χοροήθεσι νύμφαις.

Quin ipse Statius paullò post *depressam* eam vocat. Hi porro versus per hypallagen intelligendi sunt, id est, Pana Lycaonium in vmbra nocturna exaudit accola Pisæ vmbrosæ. quod crediderim latuisse aut aliter certe legisse Ang. Politianum. Sic enim in nutriciis canit:

Moxq; Lycaonias Pan carmine terruit vmbras.

Pana autem vatem fuisse notatur ex interpretibus Pindari. ἔμαθε δὲ καὶ τὴν μαντικὴν τέχνην ὑπὸ τοῦ Πανός. οὗτος γὰρ τοῖς Ἀρκάσι θεμιστεύει πάνυ ἐπιμελῶς, εἶτα ἔρχεται ἐπὶ τὸ μαντεῖον.

Verum enimuero retineamus vulgatam *vndosæ*: quòd eam Alpheus amnis præterfluat: vnde & *Alphea Pisa* dicta Maroni X. Æn.

——*Alphæ ab origine Pisæ*
Vrbs Hetrusca solo.——

Et III. Georgic.

Aut Alphæa rotis prælabi flumina Pisæ.

Et Claudianus de bello Gildon.

——*nec Alphea capiunt naualia Pisæ.*

Ad alia transilio. motoriam enim ago fabulam.

In Achilleide idem de Antilocho verba faciens sic ait:

——*nec cogitat annos*
Antilochus.

Interpres magno sanè errore *seniles* interpretatur. Nam Antilochus iuuenis admodum ad bellum Troianum profectus est: quod manifestissimè declarant Philostrati Icones: τὸν Ἀχιλλέα τοῦ Ἀντιλόχου προφέροντος ὥμας πως

παρ' Ὁμήρῳ νεώτατον τῶν Ἑλληνικῶν ἡρώων τὸν Ἀντίλοχον, καὶ τὸ ἡμιτάλαντον τοῦ χρυσοῦ ἐννοῶν τὸ ἐπὶ τῷ ἀγῶνι. De *Antilocho* vero cæſo nos è Naſone alibi.

Horatii locus inſignis explicatus.

CAPVT X.

IVlium Antonium hortatur Flaccus, vt Pindari tuba laudes canat Auguſti, lib. IV. od. II.

Concines maiore poëta plectro
Cæſarem, quandoq; trahet feroces
Per ſacrum cliuum merita decoros
Fronde Sigambros.
Concines lætosq; dies, & vrbis
Publicum ludum ſuper impetrato
Fortis Auguſti reditu, forumq;
Litibus orbum.

Quæri video cur *forum litibus orbum* prædicetur. Acro vetus interpres *æquitatem Cæſaris* interpretatur: quaſi verò forenſibus litibus non æquum quæratur, cum ex æquo & bono iudex ius dicit. Aliorum mitto ineptias. Magnus ille Interpres Lambinus ad Aeſchinem confugit, qui ſtatim initio nobilis *De corona* orationis, tum demum beatam fore Remp. prædicit, quæ litibus careat. ἀλλ' οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Nam & Tranquillus Auguſtum, tertium forum litibus iudicandis adieciſſe auctor eſt, tantum abeſt vt ſuſtulerit. Equidem de iuſtitio interpretabar, quòd feſtorum dierum, ludorum, pomparum, ac ſupplicationum tempore, parta victoria, ductoq; triumpho, nihil iudicabatur, tacerentq; forenſes cauſæ, dum panegyris agitur. T. Liuius Lib. XXX. ab V. C. *Victoria*, inquit, *Numidica læti Senatores extemplo edixerunt, vt æditui ædes ſacras omnes tota vrbe aperirent, circumeundi ſalutandiq; Deos, agendiq; gratias totum diem populo poteſtas fieret.* De hac itaq; publica lætitia feſtum diem intelligo. Vt enim inter arma ſilent leges, ita in communi totius populi gaudio triumphoq; lites forenſes tacebant. Minucius Felix in Octauio. *Feriis res proferuntur*, id eſt, lites & negotia differuntur, vt meſſium & vindemiarum tempore, de quo Iurisconſultorum filii, Cod. de feriis. & Cyprianus Epiſt. ad Donatum.

Locus

Locus Tibulli ex Sophocle. Item alter ex Callimacho expressus.

CAPUT XI.

Optat idem iuuenis quod nos, sed tectius optat:
Nam pudet hæc illum dicere verba palàm.
At tu Natalis quoniam deus omnia sentis,
Annue, quid refert clámne palámue roget?

Sic apud Tibullum lib. IV. domina de Ceryntho: vtraque ex Graiorum mysteriis deriuata. Quorum hoc à Sophocle in Electra mutuatus elegans ille poeta est. Clytemnestra enim sic Phœbum orat, ne regno, quod iniusto titulo possidebat, exueretur:

Ταῦτ' ὦ Λύκει' Ἄπολλον ἵλεως κλύων
Δὸς πᾶσιν ἡμῖν ὥσπερ ἐξαιτούμεθα.
Τὰ δ' ἄλλα πάντα, καὶ σιωπώσης ἐμοῦ
Ἐπαξιῶ σε δαίμον' ὄντ' ἐξειδέναι.
Τοὺς ἐκ Διὸς γὰρ εἰκός ἐστι πάνθ' ὁρᾶν.

Tale & Hesiodium illud:

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας,
Καί νυ καὶ τήνδ' εἰ δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει.

Alterum de *tacitis votis* contra Pythagoreorum decretum est. Prisca enim superstitione, quædam non nisi tacita vota fiebant, quæ palàm concepta pudorem erant incussura. De illis sic Clemens Alexandrinus Strom. IV. τί τοίνυν οἱ Πυθαγόρειοι βουλόμενοι μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύουσιν. ἐμοὶ δοκεῖ οὐχ ὅτι τὸ θεῖον ᾤοντο μὴ δύνασθαι τῶν ἡσυχῇ φθεγγομένων ἐπαΐειν, ἀλλ' ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶναι τὰς εὐχάς, ἃς οὐκ ἄν τις αἰδεσθείη ποιήσασθαι πολλῶν συνειδότων. Quare hanc veriorem, *sed tectius optat*, ea quæ in vetustis quibusdam libris exstat, lectionem esse existimo, *sed tutius optat*. Sic enim infra idem Poeta:

Præcipit & nata mater studiosa, quod optat,
Illa aliud tacita iam sibi mente rogat.

Et lib. II.

Vos celebrem cantate Deum, pecoriq; vocate,
Voce palam pecori, clam sibi quisq; vocet.
Aut etiam sibi quisque palam; nam turba iocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curua sono.

Et Catullus:

Non ingrata, tamen frustra, munuscula diuis
Promittens, tacito suspendit vota labello.

 Vbi ta-

Vbi tamen liber vetus *succendit*. Martial. lib. I. Epigr. XLI.

Si quis erit recti custos, imitator honesti,
Et nihil arcano qui roget ore deos.

Persius Satyra II.

At bona pars procerum tacita libabit acerra.

Et: *Haud cuiuis promptum est murmur, tacitosq́ susurros*
Tollere de templis, & aperto viuere voto.

Cicero in Maniliana: *Hoc breuissimè dicam, neminem vnquam tam impudentem fuisse, qui à Diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas Dii immortales ad Cn. Pompeium detulerunt.* Et Appul. Apolog. I. *Votum in alicuius statuæ femore assignasti: igitur magus es: aut cur signasti? Tacitas preces in templo Deis allegasti, igitur magus es? aut quid optasti?* Idem verò Tibullus lib. I. Eleg. VIII. & illud è Græco fonte deduxit:

Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Sæpeq́ mutatas disposuisse comas?

Callimachum enim altero versu expressit, casu ne an dedita opera, non habeo dicere. Nec enim vnus Propertius Rom. ille Callimachus, sed & Catullus ipse *comam Berenices*, & Tibullus hic illum exprimere voluit. Sic enim ille λουτροῖς Παλλάδος, v. 21.

οὐδ᾽ ἥρη. Κύπρις δὲ διαυγέα χαλκὸν ἑλοῖσα,
Πολλάκι τὰν αὐτὰν δὶς μετέθηκε κόμαν.

Angelus sic reddidit feliciter:

Nec Iuno: sed sola Venus se splendido in ære
Vidit, eandem iterum disposuitq́ comam.

Viuus vidensque *Prouerbium. Liuor à morte quiescit. Locus Martialis è Philosophia depromptus.*

CAPVT XII.

SApiens semper habitum genus Poëtarum, qui primi & Theologi & Philosophi habiti sunt: illi quippe de deorum natura, de ipsa rerum origine, deque animorum conditione, doctè & eleganter disseruerunt. Quis autem existimet etiam in nepotum nepote Martiali hoc genus doctrinæ contineri? Equidem quoad potero, in præsens declarabo. Sic enim de se lib. I. Epigr. L

Cui, lector studiose, quod dedisti
Viuenti decus atque sentienti,
Rari post cineres habent poetæ.

Rursum lib. VIII. Epigr. XXXVIII.

Qui præstat pietate pertinaci

Sensu-

Sensuro bona liberalitatis
Captet forsitan, aut vicem reposcat:
At si quis dare nomini relicto
Post manes, tumulumq; perseueret,
Quarit quid, nisi parcius dolere?
Refert, sis bonus, an velis videri?
Praestas hoc, melior, sciente fama:
Qui solennibus anxius sepulti
Nomen non finis interire Blaesi,
Et de munifica profusus arca
Ad natalicium diem colendum
Scribarum memori piaeq; turbae,
Quod donas, facis ipse Blaesianum.
Hoc longum tibi vita dum manebit,
Hoc & post cineres erit tributum.

E media Philosophorum Schola depromptum est, praecipuè verò ex primo Ethicorum Aristotelis, vbi de felicitate agens humanâ, videri ait homini quoque mortuo bonum quiddam esse, & malum, sicuti & viuenti, nec sentienti contingit; vt honores & infamiae liberorum & posterorum, & prosperitates aduersitatesque. Ad haec igitur Aristotelica respiciens Martialis, non sibi ait contingere, quemadmodum nonnullis viuentibus, quibus non-sentientibus prosperitates obueniunt: sed & viuenti sibi & sentienti delatos esse tales honores, quales paucis post mortem & non-sentientibus contingunt. Sed & Plinius lib. VII. cap. XIII. *consecratus est viuus sentiensque oraculi eiusdem iussu.* Et Cicero pro Sestio: *Viuus, vt aiunt, & videns, cum victu aut vestitu suo publicatus.* Illorum tamen aliquando placuit esse sententiae, qui sic illud Martialis carmen accipiunt, sibi viuenti sentientique contingere, quod aliis tantum post mortem contingere datum est, vt ait Iustinus : *Sufficit enim mihi in hoc tempore indicium tuum: apud posteros, cum obtrectationis inuidia decesserit, industria testimonium habituro.* Propert. lib. III. initio:

Omnia post obitum fingit maiora vetustas,
Maius ab exsequiis nomen in ora venit.

Item Ouid. lib. I. Eroticῶν:

Pascitur in viuis liuor: post fata quiescit.

Idem Martialis libro V. Epigr. X.

Esse quid hoc dicam quod viuis fama negatur?

Verum enimuerò sententiae priori libentius accedo. His autem plura addet collega noster Matthaeus Raderus, qui Martialem quà mendis, quà spurcis perpurgauit.

Moto-

Motoriam agimus fabulam & desultorem. Illud Martialis lib. XI. Epigram. XXIII.

——*nec in clara balnea luce placent.*

Nemo hactenus enodauit, lucemque accipit è Iulii Cæsaris loco libro VI. de bello Gallico de puberibus, quem & Mercurialis Medicus singulari doctrina lib. variarum Lect. VI. cap. XXIII. explanat: sed, verum vt fatear, capitis illius initio, quàm aberrat de cognoscendis puberibus! Quæ de solo Martialis loco dilucidantur, etsi loca sint Medicorum infinita, quæ idem prodant.

Tibullus è Græcis scriptoribus lucem accipit.

CAPVT XIII.

SCITVS & elegans tum in verbis, tum in numeris Tibullus: sed qui è Græcis pleraque fontibus expresserit. Exemplis fidem faciam.

I. Lib. I. Eleg. I.

Martia cui somnos classica pulsa fugent.

Eadem Bacchylides apud Stobæum in Sermone de Pace:

χαλκέων δ' οὐκ ἔστι σαλπίγγων κτύπος οὐδὲ συλᾶται
μελίφρων ὕπνος ἀπὸ βλεφάρων ἁμός.

Et Claudianus de bello Gildon.

Excitet incestos turmalis buccina somnos.

II. Eleg. II.

Vidi ego qui iuuenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem.

Euripides apud Plutarchum Romanis Quæst. eadem extulit.

ἀλλ' ἢ τὸ γῆρας τὴν Κύπριν χαίρειν ἐᾷ,
ἢ Ἀφροδίτη τοῖς γέρουσιν ἄχθεται.

III. Sub finem libri primi.

——*at tristia duri*
Militis in tenebris occupat arma situs.

Prius hoc idem dixit Bacchylides, in Pæanibus, eod. *de Pace* Serm. apud Stobæum:

ἐγχεά τε λογχωτὰ
ξίφεά τ' ἀμφάκεα δάμναται.

Hastæq; præferrata, Ancipitesq; gladii iacent.

IV. Tibull. lib. II.

Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.

Eadem, sed longo pòst interuallo, in Ῥωμαϊκοῖς Problem. habet Plutarchus: Ῥωμαῖοι τὸ παλαιὸν ἐν ταῖς ἑορταῖς οὐδὲν ᾠκονόμουν, οὐδὲ ἐφρόντιζον, ἀλλ' ἢ περὶ τοὺς θεοὺς

θεοὺς ἠκολούθουν, καὶ τοῦτο ἔπραττον, ὥσπερ ἔτι νῦν προκηρύττουσιν οἱ ἱερεῖς ἐπὶ τὰς θυσίας βαδίζοντες.

V. Eadem Elegia:

Ludite, iam nox iungit equos, currumq; sequuntur
Matris lasciuo sidera fulua choro.

Expressit Tibullus Theocritum Idyll. II.

———χαίρετε δ' ἄλλοι
Ἀστέρες εὐκήλοιο κατ' ἄντυγα νυκτὸς ὀπαδοί.

Idemque dixit Isidorus Pelusiota Cathena in Lucam, & ibidem B. Chrysostomus, quæ ad Obseruationes sacras reseruo.

VI. Elegia V.

Et fætus matrona dabit, gnatusq; parenti
Oscula compressis auribus eripuit.

Hoc de osculandi modo Plutarch. lib. περὶ ἀκούειν: οἱ πολλοὶ τὰ μικρὰ παιδία καταφιλοῦντες, αὐτοί τε τῶν ὤτων ἅπτονται, καὶ τούτοις τοῦτο ποιεῖν κελεύουσιν, αἰνιττόμενοι μετὰ παιδιᾶς, ὅτι δεῖ φιλεῖν μάλιστα τοὺς διὰ τῶν ὤτων ὠφελοῦντας. Theocritus εἰδ. ε.

Οὐκ ἔραμ' Ἀλκίππας. ὅτι με πρὰν οὐκ ἐφίλασε,
Τῶν ὤτων καθελοῖσ', ὅκα οἱ τὰν φάσσαν ἔδωκα.

VII. Lib. III. Eleg. IV.

Ite procul vani, falsumq; auertite visum:
Desinite in votis quærere velle fidem.

Ita loquitur Chorus in Sophoclis Electra, de quodam nocturno viso immisso Clytemnestræ:

Ἤτοι μαντεῖαι βροτῶν
Οὐκ εἰσὶν ἐν δεινοῖς ὀνείροις
Οὐδ' ἐν θεσφάτοις, &c.

VIII. Elegia VI.

Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa:
Difficile est tristi fingere mente iocum.

Similia postea Iustinus Martyr ad Serenum, sed soluta oratione, dixit: ἀδύνατον γάρ ἐστιν ἑαυτοῦ κατήγορον ἵνα γενέσθαι.

IX. Lib. IV. Panegyrico Messallæ:

Nec qua vel Nilus, vel regia lympha Choaspes
Profluit. ———

Plutarchus περὶ φυγῆς. εἶτα τῶν μὲν Περσῶν βασιλέων καταγελῶμεν, εἴγε δὴ ἀληθὲς τὸ τοῦ Χοάσπου μόνον ὕδωρ πίνοντες, ἄνυδρον αὐτοῖς τὴν ἄλλην ποιοῦσιν οἰκουμένην. Eadem Clemens in Pædagogo.

X. Tibull. in laude Sulpiciæ ad Martem:

Illius ex oculis, cum vult exurere Diuos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

G Ceci-

Cecinit hæc prius Euripides, Hippolyto coronato:

ἔρως, ἔρως, ὁ κατ' ὀμμάτων
στάζεις πόθον, εἰσάγων γλυκεῖαν
ψυχᾷ χάριν, οὓς ἐπιστρατεύσῃ.
O Cupido, ô Cupido, qui per oculos
Stillas desiderium dulcem animis
Inducens voluptatem, quos quidem inuaseris.

In Natalitiis epulis laridum *appositum. Plautus & Iuuenalis explicati.*

CAPVT XIV.

NAtali die quotannis recurrente conuiuari solitos veteres vel pueri norunt. Illud tamen quæri video, cur porcus Genio, natali Deo, & Lari immolaretur, Horatii auctoritate lib. III. Carm. Oda XVII. ad Ælium Lamiam:

———cras genium mero
Curabis, & porco bimestri.

Et Satyr. III. lib. II. Sermonum.

———immolet æquis
Hic porcum laribus.———

Quo in loco Dion. Lambinus, *curare* pro immolare interpretatur, probatque Martinus de Roa lib. de die Natali. Alter tamen Martinus Delrio ad Senecæ Medeam, *curare genium* pro indulgere, sic accipit, vt nefas duxerit natali Deo Genio animal immolari. Viderint Critici. Equidem credam porcam & laridum natalibus epulis apponi de more solitam. Suillam igitur, etsi non apud Iudæos, in deliciis natali festo fuisse, testem dabo M. Accium Plautum in Pseudolo, scena *Exite:* Vbi tamen in vasto illo Taubmanni Commentario tot tantique Critici magis quam pisces muti tacent:

Mihi hodie natalis dies est, decet eum vos omnes concelebrare, &c.
Pernam, callum, glandium, sumen, facito in aqua iaceant.

Et Iuuenalis Sat. XI.

Moris erat quondam festis seruare diebus,
Et natalitium cognatis ponere lardum,
Accedente noua, si quam dabat hostia, carne.

Sed quidnam esse causæ dicemus, cur suilla & laridum potissimum natalitiis apposita? An quia dapsilis admodum caro ac tenera? Vel quia ad pastum natum animal, cui, vt Chrysippus dicebat, *anima pro sale est, ne putiscat*, auctor Cicero II. de Natura Deorum. Alia longè sed nihil huc pertinentia, colligit argumenta

menta Plutarchus lib. IV. Symposiac. Quæst. vlt. vt homo Ethnicus, de ritu Iudæorum à suilla religiosè abstinentium causas quasi diuinans. Morem porro munera mittendi Natalitiis, quando disertè alii explanarunt, non attingam.

Diomedes Danaum fortissimus. *Seruii error.* Creusa *à matre Deûm liberata. Virgilius locis duobus illustratus.*

CAPVT XV.

Operæ pretium facturus videbor, si, cur Diomedem *Danaûm fortissimum* I. Æneid. Virgilius dixerit,

——ô Danaûm fortissime gentis
Tydide. ——

Amquiram, cum Achilles viuis ablutus vndis, Deûm soboles, citra dubium eo fortior fuerit. Fortiorem quoque Diomede Aiacem fuisse tradit Homerus, Iliad. η. vers. 178.

ὧδε τις εἴπεσκεν ἰδὼν εἰς οὐρανὸν εὐρύν.
Ζεῦ πάτερ ἢ Αἴαντα λαχεῖν, ἢ Τυδέος υἱόν,
ἢ αὐτὸν βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης.

Et Iliad. δ. Sthenelus eius militiæ comes refert, se, & Diomedem patribus esse meliores:

Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.

Quid autem Seruius super hoc carmine coniiciat, non transcribam. Id tamen dictum crediderim ad imitationem Homeri Iliad. ζ. apud quem Helenus fortissimum Græcorum *Tydidem* nuncupauit, vers. 277.

Αἴκεν Τυδέος υἱὸν ἀπόσχῃ Ἰλίου ἱρῆς
Ἄγριον αἰχμητὴν, κρατερὸν μήστωρα φόβοιο.

Eundem Q. Flaccus lib. I. Oda VI. vocat *superis parem.* Et Od. XV. *patre meliorem*, id est, fortiorem, vt & Sat. V. lib. I.

Qui locus à forti Diomede est conditus olim.

De *Creusa* autem à Matre Deûm liberata, ex auctoritate Pausaniæ, quod dixit Virgilius II. Æneid. extremo v. 788. fictitium esse minimè credendum:

Sed me magna Deûm genitrix his detinet oris.

Poetæ quidem Interpres Seruius de Cybele multa affert, ad historiam verò ne gry quidem attulit: quo certè nomine culpa non vacat. Attamen non adeo mirum videri debet, cum ea non fuerit rerum Græcarum præditus cognitione, quæ Virgilianum interpretem decebat. Sed ne quis hoc maledicendi causa à me dictum existimet, sic confirmo, quod idem Seruius in expositione operis maioris Virgilii dixerit, *Eoum* ab ἠώς dici, cum illud η Græcis sit longum, & ε in *Eous* breue apud Latinos. Virg.

Vota Deûm primæ victor soluebat Eoo.

Dicendum igitur erat descendere ab ἰώς. Idem quoque in Bucolicis ait *Corydonis* nomen Virgilium effinxisse cum antea à Theocrito vsurpatum fuerit. Sed ad rem redeo. Quod Virgilius dixit de Berecynthia Creusam Troianæ ruinæ eripiente, Pausanias expressit: Sic enim in Phocicis: ἐπὶ δὲ τῇ Κρεούσῃ λέγουσιν, ὡς ἡ Θεῶν μήτηρ καὶ Ἀφροδίτη δουλείας ἀπὸ Ἑλλήνων αὐτὴν ἐρρύσαντο. εἶναι γὰρ δὴ καὶ Αἰνείου τὴν Κρέουσαν γυναῖκα. Λέσχευς δὲ καὶ ὁ ποιήσας ἔπη τὰ κύπρια διδόασιν Εὐρυδίκην γυναῖκα αὐτῷ.

Eodem libro Virgilius Chorœbi erga Cassandram amorem declarans, Homerum more suo expressit:

Addunt se socios Ripheo, & maximus annis
Iphitus, oblati per lunam, Hypanisq́; Dymasq́;
Et lateri agglomerant nostro, iuuenisq́; Chorœbus
Mygdonides, illis qui ad Troiam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore.

Quod hic de Chorœbo Maro, Homerus de Othryonæo tradit XIII. Iliad. vers. 363. Idomenei gesta referens.

πέφνε γὰρ Ὀθρυονῆα Καβησόθεν ἔνδον ἐόντα,
ὅς ῥα νέον πολέμοιο μετὰ κλέος εἰληλούθει.
ᾔτεε Πριάμοιο θυγατρῶν εἶδος ἀρίστην
Κασσάνδρην, ἀνάεδνον. ὑπέσχετο δὲ μέγα ἔργον,
ἐκ Τροίης ἀέκοντας ἀπωσέμεν υἷας Ἀχαιῶν.
Lyctius Idomeneus vicit strauitq́; superbum
Othryonea manu, qui nuper ab vrbe Cabeso
Venerat, insano Cassandræ incensus amore,
Iliacam ad Troiam: Priamo qui pactus amatæ
Cassandræ thalamos, etiam sine dote: sua vi
Et virtute sua, Troia promisit ab oris
Pulsurum Danaos, nisi sponte abscedere mallent.

Opera & meritum, *pro culpa. D. antiquè interposita. Catullus aliique illustrantur.*

CAPVT XVI.

QVemadmodum M. Tullium *beneficium* pro *culpa* vsurpasse docui libro III. Nodorum Ciceron. ita & Catullum eius æqualem, *operam* obseruo posuisse: vt in Carmine illo festiuissimo in passerem, vt Muretus quidem olim edendum curauit:

O factum malè. ô malæ tenebræ.
Tua nunc opera m. p.
Flendo turgiduli rubent ocelli.

Codex

Codex in membranis non contemnendæ vetustatis A. CIƆ.CCCC.XXVIII. manu Matthæi Palmerii scriptus, (qui & anno CIƆ.CCCC.XXV. primum repertum esse Catullum, pessimeq; acceptum in manus hominum venisse adnotarat:) quem mihi Ant. Couarruuias Iureconsf. egregius Toleti vtendum dedit, sic habebat:

Bonum factum: malè, ô misellè passer.

Achilles Statius, homo diligens reposuit, è suis codicibus an ab ingenio incertum, certè è vestigiis scripturæ veteris odoratus sagaciter hanc lectionem:

O factum malè, ô misellè passer.

Et verò illud *Bonum factum* ex ora irrepsisse suspicor, cum tanquam contrarium illius, *ô factum malè* esset ab homine docto adscriptum, de qua boni ominis formula memini adolescentem me ad Auctorem de Viris Illustribus (siue is Corne. Nepos est, siue C. Plinius, aut Sex. Victor) ex Plauto, Suetonio, Tertulliano adnotasse plurima. Legebam igitur è vestigio codicis illius, vt hiatus expleretur:

O factum maled, ô misellè passer.

Ex D. ficta factaq; affinis est littera B. & more cusum *bonus ille passer*. D. autem addi antiquitus solet vt hiatus vocalium impediretur, vt ab eodem illo Poëta: *At tu Catulled obstinatus obdura.*
Et lib. III. Carmin. Flaccus

——maled' ominatis
Parcite verbis. Et
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum,

Assentior Mureto Var. lect. lib. XV. cap. XIX. scripsisse poëtam, *tibid illuxisse supremum.* Plautus Rudente, *tibi propinod eccum.* Hinc etiam *mederga, tederga, medeccum*, & similia apud eundem Comicum. & in basi quoq; columnæ Duilianæ rostratæ, PRAEDAD. ALTOD. MARID. reperias, quod & M. Fabius lib. I. Orator. Institut. notarat. Pandectæ Florentini (sic enim masculinè efferendum docuit Ant. Augustinus, V. C. edito pridem Ilerdæ *Propriorum in Pandectis Nominum Indice*) præferunt lib. XLVI. Tit. III. *sed haeredem, pro se haeredem*: vt facile assentiar in iisdem cusam & *Redhibitionem*, quomodo & *Redeo*, & *Redintegratio* apud Terentium, vbi in suo longè antiquissimo codice scriptum etiam fuisse, *Amantium iræ amoris reintegratio*, Pet. Bembus Card. disertissimus affirmabat.

Operam, vt ad rem redeam, sic apud Nonium in *Frangescere* Accius Eurysace adhibuit: *Nunquam erit tam immanis, cum mea opera exstinctum sciat, quin frangescat.* Corn. Nepos: *Hac victoria Lysander elatus, cum antea semper factiosus audaxq́; fuisset, sic sibi indulsit, vt eius opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii peruenerint.* Sic & Porcius Poëta (quem nescio cur etiam *Licinium* nominat Agellius lib. XVII. extremo) de Terentio Comico, tribus tum principibus

 viris,

viris, *Lælio, Scipioni, & Furio*, qui tum agebant facillimè, caro, non tamen *eorum ille opera, ne domum quidem habuit conductitiam;*

saltem vt esset quod referat obitu domini seruulus.

Meritum quoq; Tibullus sequiori sensu, pro culpa, vel delicto sumsisse videtur. lib. I. Eleg. II.

Non ego si merui, dubitem procumbere templis.

Exaudiendum *culpam* vel *noxam*. Propert. lib. IV.

Præcipueq; oculos, qui meruere, ferit.

Et Ouid. lib. de Ponto. Eleg. I.

Alter ob huic similem priuatus lumine culpam,
Clamabat, media se meruisse via.

hoc est, *peccasse*. Et apud Comicum, senex ille se-ipse puniens peregrè profecto filio:

Sic meritum, inquit, *est meum.*

Versus Homeri, Epicharmi, Et Euripidis in Fulgentio repositi.

CAPVT XVII.

FVlgentius lib. III. Mythologicωn *Berecynthiam quasi mortuam dominam* dictam putat. Credo scripsisse *montium dominam*, quasi ὀρῶν κυρίαν: sed ineptè ludit ille in Etymologiis ex Græcis fontibus derivandis, vt contra M. Varro nimio sæpe linguæ latinæ studio. Mox in Epicharmi illis: πυγκράτης σέφανος καὶ περὶ αἰκτῶν προβάτῃ ἡ χρυσάλλος, in aliis προβαίνει, in nonnullis προβάλω excusum vidi. At in scripto, quo olim vsus sum, longè diuersa leguntur. κινθοειδὴς στεφοφόρος καὶ οἰναχθεὶς προὔβηκε χρύσαλλος: *floriger & coronatus atq; ebrius præcessit Chrysallus*. τὸν κίνθον Attica dialecto *florem* significare docet, qui vulgò ἄνθος, vnde & ὑάκινθος. Vulgata lectio repudianda. Nec enim hic quadrat. Vereor ne ab aliquo mediocriter Græcè intelligente ex obscuris veteris scripturæ vestigiis, vt sæpe fieri amat, vel ex interpretatione subiecta, conficta sit. Eiusdem verò poëtæ, cuius dicitur

Plautus ad exemplum Siculi properare Epicharmi,

Illa laudat Fulgentius in Musis, ex Diphili Comœdia: θαλῶν ὡς οὐ βλέπει, βούλιμος ἐπίταξεν.

Ceterum ex iisdem membranis Homeri versum repone, depromptum ex illa Nestoris, qua de virtutibus suis senex gloriosè prædicat, oratione, Iliade ά vers. 279. σκηπτοῦχος βασιλεὺς ᾧ τε Ζεὺς κῦδος ἔδωκεν. Cybelem autem quasi *cydos balcon* deriuat, *gloriæ firmitas*, puto scribendum κῦδος βέβαιον.

Alte-

Alterum Homeri locum à Bapt. Pio nescio an satis piè, excogitatum obseruaui. Hic cum forte ἀτρειδῆ vocem vocandi casu legisset, ex Iliad. β'. hunc versum, qui tum forte occurrebat, per fas & nefas obtorto collo intrusit:

'Ατρείδη, τίο δ' αὖτ' ἐπιμέμφεαι, ἠδὲ χατίζεις.

Qui & ipse versus hic non quadrat in dæmonum etymologia, itaq; rescribo de veteri lib.

ὦ μάκαρ 'Ατρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον,

ex Iliad. γ'. vers. 182.

E vestigio Euripidis quoq; versus in editis absunt, ex iisdem schidis restituendi:

ὁ γὰρ μακάριος, κ' οὐκ ὀνειδίζω τύχας
Διὸς πεφυκώς, ὡς λέγουσι, Τάνταλος:

Quæ in Oreste Euripidis initio leguntur. Fulgentius tamen ex Electra, memoria fortè lapsus, citat, vertitq; malè, *Iouis æqualis*, pro *à Ioue genitus*. Si modò illius, non Grammatistarum sunt interpretationes. Tragicus enim nescio quis, siue is Ennius est, siue Accius, qui multa Euripidis Latina fecit, apud Fabium Quinctil. lib. IX. Cap. III. περὶ κλίμακος, hæc reddidit:

Ioue propagatus est vt perhibent Tantalus;
Ex Tantalo Pelops; ex Pelope autem satus
Atreus, qui porro nostrum propagat genus.

Quæ postrema sunt ex illis Euripidis:

οὗτος φυτεύει Πέλοπα, τοῦ δ' Ἀτρεὺς ἔφυ.

De Virgilii IV. Æneidos loco & altero Seruii Honorati disputatum.

CAPVT XVIII.

Virgilius lib. IV. de Venatione Æneæ & Didonis verba faciens, arma & ornatum vtriusq; describit. ac de Ænea quidem:

Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum:
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

Legendum hic putem non *ex humero*, sed *ex auro*, tum quod Æneæ diuitias illo carmine monstrare voluerit; tum etiam quod antiqua omnis lectio sic præfert. Accedit etiam, hanc figuram Virgilio familiarem ac nimis peculiarem esse, quam Cicero *Traductionem*, alii ἐπάνοδον, alii verò πλοκὴν appellant. Adde & illud, quod apud me plurimum valet, Isidori lib. I. Originum: Eclipsis fit, vt: *Cui pharetra ex auro.* Virgilius sæpius hac vsus est, vt lib. I. Æneid.

Aurea

Aurea cui gradibus surgebant limina, nexæq;
Aere trabes, foribus cardo stridebat ahenis.

Et lib. VII. Quod huic loco propè geminum videatur.

Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, fuluum mandunt sub dentibus aurum.

Item Ecloga VIII. de Medea liberos trucidante, indignata quòd à Iasone repudiata esset:

Sæuus amor docuit natorum sanguine matrem
Commaculare manus. Crudelis tu quoq; mater,
Crudelis mater magis, an pater improbus ille?
Improbus ille pater, crudelis tu quoq; mater.

Sic enim bis legere rectè mea sententia maluit *pater* quam *puer*, vir doctissimus Io. Meursius erudito ad Lycophronis Alexandram Commentario.

Rursus Ecloga vltima:

Illum etiam lauri, illum etiam fleuere myricæ,
Pinifer illum etiam sola sub rupe iacentem.

Imitatus in his namq; Theocritum est, qui I. Eidillio:

Πολλαὶ οἱ παρ ποσὶ βόες, πολλοὶ δέ τε ταῦροι,
Πολλαὶ αὖ δάμαλαι καὶ πόρτιες ὠδύραντο.

Et paullò post idem Theocritus:

Ἦνθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, ὠπόλοι ἦνθον,
Πάντες ἀνηρώτευν τί πάθοι κακόν· ἦνθε. &c.

Quem noster imitatus in eadem Ecloga, sic ait:

Venit & opilio, tardi venere bubulci,
Vuidus hyberna venit de glande Menalcas.

Lib. quoq; secundo Æneid.

Sanguine placastis ventos & virgine cæsa,
Cum primùm Iliacas Danai venistis ad oras,
Sanguine placandi reditus, animáq; litandum
Argolica.

Ouid. item lib. II. Metamorph.

Aureus axis erat, temo aureus, aurea summæ
Curuatura rotæ, radiorum argenteus ordo.

Venit & illud in mentem quod apud Seruium lib. I. Georg. vers. 113. legimus,

Cum primum sulcos æquant sata-----

Sanè hemistichium hoc vnum est ex inuictis, mendosum haud dubiè videri. Ecquæ enim alia *inuicta* apud Maronem annotauit? An quæ obscuritatis nomine explicari, ac veluti expugnari nequeant? Suspicor Honoratum scripsisse *de iniunctis*, pro *non coniunctis*, vt sæpe Cicero, *vincta* pro *iuncta* in Philosophicis dixit:

cis dixit: vel certè de *iniectis*, vel *insertis* rescribendum videri, vt ex eo numero sit versuum, de quibus Ioan. Philoponus disseruit, qui quouis inserti loco sensum eiiciunt, de quibus supra Cap. I. disserebamus, cum de Cyclicis ageremus.

Iulia Domna *Seueri. Oppiani Cynegeticon explicatur. Spartianus emendatur.*

CAPVT XIX.

SVauis in primis poëta Oppianus Cilix est, qui Venationum libros Antonino Bassiano Caracallæ Septimii Seueri F. offerens,

Retulit acceptos regale numisma Philippos.

Sic enim in initio affatur.

> Αὐσονίου Ζηνὸς γλυκερὸν θάλος Ἀντωνῖνε
> Τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτήσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

Non me fugit doctissimos interpretes Brodæum ac Bodinum Gallos, ac nuper, Rittershusium I. C. in Noricis pereruditum, de *Domina* nescio quid argutari, quasi δόμνα Graiis, quæ Romanis *Domina, Diua, Augusta*. Atqui ex antiquis numismatum in pectionibus *Domnæ* cognomentum *Iuliæ Syræ* adhæsisse didici, in quibus sic legitur: IULIA DOMNA AUG. & : IOVΛIA ΔOMNA CEB. &: IOVΛIA ΔOMNA CEBHPOV. Et Scæuula I. C^tus^ li. XXXII. Tit. 38. An ad *Iuliam Domnam*, quæ habuit patruum maiorem Iulium Agrippam, pertinerent. Ex hac porro *Iulia* secunda vxore, *Bassianum & Getam* liberos Seuerus sustulit, teste Dione, Xiphilino, Herodiano, Oppiano, & nummis. Capitolinus & Herodianus eius sororem *Iuliam Mæsam* agnoscunt. Spartianus tamen in Seuero è Iulia Syra, Getam; è Marcia Bassianum habuisse his verbis testatur: *Legisse me apud Aelium Maurum Phlegontis Tralliani libertum memini, Septimium Seuerum immo deratissimè cum moreretur lætatum, quod duos Antoninos pari imperio Reipub. relinqueret, Antoninum scilicet Bassianum, quem ex priore matrimonio susceperat; & Getam, quem ex Iulia genuerat.* Quæ verba præposterè locata arbitror, rescribendumq; *apud Aelii Hadriani libertum Phlegontem Trallianum*. Eius enim libertus *Phlegon* fuit, teste Eusebio, & Photio nostro ἐν μυριοβίβλῳ Volumine XCVII. ἀνεγνώσθη Φλέγοντος Τραλλιανοῦ ἀπελευθέρου τοῦ αὐτοκράτορος Ἁδριανοῦ ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγή. Ex huius autem Chronico putem Spartianum narrationem suam mutuatum hausisse: exstantq; ἀποσπασμάτια, veluti naufragii tabulæ edente Gul. Xylandro; cum Antonino de vita sua. Quod mendum magnos æui nostri Criticos fugisse, quos nihil pæne fugit, equidem miror: sed & posteris spicas relinquunt non inuiti. Illud adiicio corollarii vicem: alios pereruditos exstitisse libertos scriptis etiam claros: Augusti quidem *Hyginum*;

Tiberii *Phædrum* Æſopiarum lepidum ſcriptorem: & antea Ciceronis *Tironem*: ſic & Hadriani Imp. hunc *Phlegonta Trallianum* fuiſſe, plures etiam enumerante Suetonio Tranquillo.

Argo an vocem humanam habuerit quæſitum. Claudiani verſus reſtitutus, & Orphei correctus.

CAPVT XX.

HVmana voce præditum fuiſſe nauis Argus malum è quercu Dodonæa memoriæ prodidere Sophocles in Trachiniis, & Philoſtratus in imaginibus & Apollonius Rhodius ſæpe: Lycophron in Alexandra:

Ἀλλ' αὐτόκλητον ἁρπάζας κεραΐδα,
Τὴν γνωτοφόντιν ϛ τέκνων ἀλάστορα,
Εἰς τὴν κάληθρον κίσσαν ἡρμάλιξατο
Φθογγὴν ἐιδωλίαν χαονικῶν ἄπο
Βροτησίαν ἱεῖζαν ἔμπαιον δρόμων.

Ioſ. Scaliger ſic reddidit:

Sed & bidentem ſponte ſectantem auferens,
Germanicidam, peſtitatem liberûm
Picæ ad loquacis alueum aurigans tulit,
Humanum ab altis Chaoniticis ſonum
Tranſtris loquentis, & petita currere.

Locum verò exponens Iſacius Tzetzes interpres, *Argo*, inquit, *ſignificat, quia eius carina ex Dodonæa quercu facta eſt vocalis & loquax. Picam autem vocat, quod hæc auicula humanæ vocis imitatrix eſt.* Idem Orpheus Crotoniates in Argonauticis ait, qui λάλον τεύτων, id eſt, loquacem eam vocat, & εὔλαλον Ἀργώ. Quin & tempeſtatem quam circa Hiberniam inſulam paſſi ſunt Argonautæ, cum per Oceanum Arctoum nauigarent, Argo ipſa prædixit. In Codicibus tamen Orphei impreſſis locus deprauatiſſimus eſt: Ἔζομαι εἰ νήεσσιν ἐελνύδσιν ἄσσον, ἵκωμαι. Lego εἰ νήσοις Ἱερνίσιν, id eſt, *inſulis Hibernis*, quod ex ſequentibus conſtat. Nam à Græcis, auctore Stephano, *Hibernia* ἰερνὶς vocatur. Straboni verò ἰερνή. Vnde & à Latinis *Iuuerna*, & *Ierna*. & Iuuenalis Sat. II.

——Arma quod vltra
Littora Iuuernæ promouimus.——

Claudianus in IV. Conſulatu Honorii:

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.

Quamquam & *Ibernam* legi notat Hermolaus ex eodem Claudiano.

——totam cum Scotus Ibernam
Mouit, & infeſto ſpumauit remige Thetys.

Argus

Argus autem, vt diximus, meminit & Mela lib. III. cap. VI. & Seneca in Medea verſ. 349.

Ipſamq; vocem perdidit Argo.

Quin etiam Æſchylus ἐν Φιλελευθέροις, citante Philone, libro πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον,

Ποῦ δ' ἐστὶν Ἀργῶς ἱερὸν αὐδᾶζον ξύλον;

Argus vbi ſint ſacra ligna dicito.

Traditq; neminem ſeruum, ſed ingenuos conſcendere nauem illam paſſum Iaſonem. Ferunt & illi cum hæc nauis fabricaretur, materiam quandam loquacem à Minerua inſertam fuiſſe: vnde humana voce præditam fuiſſe tunc creditum: Et Claudianus Panegyrico:

——rurſusq; locutæ
In te Chaoniæ mouerunt carmina quercus.

Rurſus de bello Getico, verſ. 14.

——licet omnia vates
In maius celebrata ferant, ipſamq; ſecandis
Argois trabibus iactent ſudaſſe Mineruam.
Nec nemoris tantum vinxiſſe carentia ſenſu
Robora, ſed caſo Tomari Iouis augure luco
Arbore præſaga tabulas animaſſe loquaces.

At è Iouis luco domum redeamus. Tradit hanc nauem ab Argo opifice Aceſtoris filio conſtructam Mineruæ iuſſu Apollonius, & Orpheus: Pindarus in Magneſiæ opido, cui Demetriæ nomen eſt, fabricatam vult. Alii alia commenti ſunt.

C. Lucilii Satyræ caſtigantur. T. Lucretii notha non eſſe indicantur, contra Giſanium.

CAPVT XXI.

Libenter facio, vt iis auctoribus, quorum reliquiæ modò ſuperſunt, medicinam adhibeam; vt *Lucilio*; qui licet aliorum auctorum beneficio ex parte ſit conſeruatus, illuſtratusq; etiam nuper à Douziis, vt à Doctiſſimo H. Columna, & P. Merula Q. Ennivs; tamen ad nos truncatus peruenit. Lib. itaq; II. Satyrarum *——Hoſtilibus contra*

Peſtem perniciemq; catax qui Manlius nobis.

Emendo *——Hoſtibu' contra*

Peſtem perniciemq; ſagax, qui & Manlius nobis.

Libro XXX. *Caluus Palantinus quidam vir nobilis bonus bello.* Lego, *vir non bonus bello*, pro non fortis, non ſtrenuus. Tò *nobilis* enim gloſſema eſt. Eidem enim poëtæ: *Et ſæuo ac duro in bello multò optimus hoſtis.*

Et lib. IV. *Cum Pacidiano componitur optimu' multo*
Post homines natos gladiator, qui fuit vnus.

Et Iuuenalis Sat. VIII.

Esto bonus miles, tutor bonus———

Horatius: *Ceruus equum pugna melior.———*

Sic Græcis κρείττων, κάῤῥων, & ἀμείνων, pro *fortior*, vt ἥττων pro *imbecillior* dicunt. Ianus tamen Guilielmius lib. II. Verisimilium cap. III. aliter hunc locum interpolauit, & forte-an Douziani.

Idem lib. XXXVII.

Hymnis velim te id quod rerum est credere.

Et lib. XXVIII. *Hymnis ego sic animum induco, quod tu ab insano auferas.*

Tametsi librorum numerus adscriptus sit, suspecta mihi prima vox *Hymnis* de mendo. Nec enim ad sensum facit, obest potius, putemq; ex *Epodis hymnis* esse desumpta, quas laudat idem Nonius in *Eugium*: nec raro titulus libri apud Nonium cum verbis sententiæ coaluit. Cæcilius(quod est affine nomen cum *Lucilio*) in Hymnide citatur à Tullio lib. II. de Finibus,& alibi.

Idem lib. XXVIII. *Concedat homini id quod vult, deliniat,corrumpat prorsus, ac neruos omnes eligat.* De tribus Nonii locis centonem consarcinaui. Quoniam verò *delicet* quidam ediderunt, malim *elidat*. Et in Nonio *elidere* legi, vel *eligare* quasi dissoluere. Sermo est durioris senis & patris de indulgentiori patruo,quales apud Terentium in Adelphis *Mitio & Demea*. Ad T. Lucretium desultoriè gradum facio. Is lib. II. pag. Plant. 71. v. 22.

Nec satis est proquam largos exæstuat artus.

In membranis *æstu* pro *artus* reperias. quomodo lib. VI. p. 219: v. 19.

Hos igitur tellus omnes exæstuet æstus
Exspiretq; foras———

Scioppius tamen in suspectis lection. corrigebat:---*largo se exæstuat æstu*. *Æstu* id est motu. vt Iustinus lib. I. *Quæ materia in illis locis passim è terra exæstuat*. lector arbitrabitur.

Rursum libro VI. pag. 195. v. 27.

Quandoquidem semel insignem conscendere currum
Ventorum exhortantur spes; atq; obuia rursum
Quæ fuerant, sunt placato conuersa furore.

Hos vt spurios inducere omnino contendebat post editionem Lucretii Obertus Gifanius,neq; Latinè satis dici putabat: Spes ventorum vel vincendi me exhortatur,tametsi opponi illud Ciceronis posset: *Ne eos locus ipse possit ad faciendum bellum adhortari.* Itemq; hoc: *Cum & ætas & ambitio me hortabantur.* Sed erat eiusdem hoc latinum negare,& *Abstergit* formare ab *Abstergeo*: & *Dispersa* pag. 90. v. 9. à *Disperdo* deducere: Forte quia Itali hodie *Perso* pro perdito vsurpant. Illud vero quale tandem, quamq; ridiculum; quod pag 40. v. 37.

Sine

Siue puer membris muliebribus hunc iaculatur:

Puerum Cupidinem putat esse qui amatorem iaculetur? En cor Zenodoti!

Virgilii in Pollione locus, & alter in Daphnide examinatus.

CAPVT XXII.

C. Asinii Pollionis Cos. An. ɪↄccxɪɪɪ. filio recens nato Genethliaco carmine gratulatur Maro. ex libris Sibyllinis:

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo;
Casta faue Lucina, tuus iam regnat Apollo.

Augustum hic *Apollinem* vocari Seruius putat, & in Suetonii Augusto cap. LXX. & XCV. non semel repperi, & in nummis atque imaginibus priscis Augustum Apollinis specie, & idem poeta lib. VIII. de bello Actiaco Augusti cum M. Antonio, & Cleopatra:

Actius hac cernens arcum intendebat Apollo.

Turnebus verò de *Apolline Deo* accipit lib. XVI. Aduersar. cap. XIII. quasi ostenderet præsagia Apollinis iam comprobata, certaque, fidem merentur & vigent. Equidem si tertio pedatu sententiam dicere liceat, de *Diana & Apolline* Diis, qui sæculari carmine, centesimo anno, inuocari solent, vt ἀλεξίκακοι, populoque Rom. erant propitii, intelligendum censeo, eosque rectè coniunxisse Maronem, vt eâdem tempestate Horatium duplici carmine sæculari lib. I. Carm. Od. XXI. & in fine ἐπῳδῶν, vt antea à Catullo Epigram. XXXII. Pollicetur enim aureum sæculum Maro ex libris Sibyllinis, *toto surget gens aurea mundo.* Qui libri Sibyllini ibidem carmen hoc persolui iubebant à virginibus puerisque castis. Sic etiam Q. Flaccus extr. Epodon:

Quo Sibyllini monuere versus
Virgines lectas, puerosque castos,
Diis quibus septem placuere colles
Dicere carmen.

Et Catullus:

Dianæ sumus in fide
Puellæ & pueri integri:
Dianam pueri integri
Puellæque canamus.

Solebat autem *Diana* sæculari carmine, vt obstetrix vocari, vt ibidem à Catullo atque Horatio. Hinc Plautus in Aulular. Act. 4. Sc. 7. *Iuno Lucina tuam fidem.* Et Terent. Andria. Act. 3. Sc. 1. *Iuno Lucina fer opem: serua me obsecro.* Vbi

Donatus. Rectè itaque Maro, tanquam in sæculari carmine, & aureum sæculum augurans, atque exoptans, præsides Deos *Apollinem & Dianam* inuocans coniunxit, cum Horatio. Vt fortasse etiam *τὸ regnet*, optantis modo legi queat, si libri fauerent, vt supra paullo; *Siluæ sint consule dignæ*, potius quam *sunt*. Quod verò illud:

Iam noua progenies cælo demittitur alto,

ad Stoicorum opinionem ibidem Seruius retulit, ingeniosum id quidem, non tamen, mea quidem sententia cum fide bona Sibyllina oracula transtulit, vt alibi sæpè, ad Philosophorum sententias identidem respexit.

Eadem porro opera medeamur loco eiusdem poetæ corrupto Ecloga V.

Sed tu desine plura puer; successimus antro.

Hæc Menalcæ continenter verba sunt, non vt in editis aliquot, Mopsi, hunc placantis, & quasi palinodiâ mitigantis, qui molestè tulerat opponi sibi Amyntam: tum quia Mopsus iunior erat Menalca. Sic enim ait: *Tu maior*: puerum itaque vocat blandiens, iubet iram deponere, quòd eum iuuenili calore iam irritatum videbat: & quod potius ille optauerat, iam antro successimus; tu cane prior funus Daphnidis.

Debere, *Græcis ὀφλισκάνειν. Terentius contra aliorum sententiam expositus.*

CAPVT XXIII.

Apud Comicum Eunucho Pythias cum Chærea rixatur, Actu V. *Monstrum etiam vltro derisum venit.*

Pyth. *Debeam, credo, isti quidquam furcifero, si id fecerim,*
Præsertim cum se seruum fateatur tuum.

Summus Criticus Aduersar. lib. XII. accipit ex lege XII. Tabb. & Atheniensium legibus, apud quos qui liberum hominem pulsauerat, ære multabatur. Mihi secus, pace tanti viri dixerim, videtur. Græcismum enim interpretor in palliata Comœdia, & transmarinam Venerem, qua ὀφλισκάνειν δίκην, καὶ γέλωτα venustè, &, vt populari hodiè sermone, dici solitum. Loca è Platone, Demosthene, Euripide, Luciano, cæterisque afferunt Budæus & Lambinus Galliæ & ipsi lumina, quæ non exscribo. Donatus quoque *Debere*, inquit, *dicimur pœnas pro iniuria ei, cui iniuriam fecerimus. Si id fecerim, hoc est, si inuolauero in capillum eius.* Hæc ille. Quouis igitur supplicio dignum se deputet, & quamuis mereri pœnam, nisi malè illum recipiat. Eadem forma Flaccus lib. I. Carm.

Tu, nisi ventis debes ludibrium, caue.

Sic Ma-

Sic Maro lib. XI. de vita functo.

Nos Iuuenem exanimem, & nihil iam cœlestibus vllis
Debentem, vano mæsti comitamur honore.

Contra verò *debere gratiam*. Plautus, Mostell. Scena *Quid tibi. Eam mihi debes gratiam atque animo meo.*

Ennii locus vnus & item alter à Varrone expressus. Auspicium. De Satyræ Varronianæ inscriptione. Atque *pro statim.*

CAPVT. XXIV.

MAgnam in Varrone Antiquitatis doctrinam; magnam veteris ritus, sacrorum & cerimoniarum cognitionem; eumque in Ennii lectione assiduum fuisse obseruo: testes superstites subiiciemus. Sic enim Eudæmonibus, apud Nonium in *Tempestas:*

I. *Dum sermone cœnulam variamus,*
Interea tonuit bene tempestate serena.

Versum esse Q. Ennii M. Tullius augur docuit, II. de Diuinatione: *Ad nostri*, inquit, *augurii consuetudinem dixit Ennius:*

Cum tonuit lænum bene tempestate serena.

Sudo enim cœlo tonante Ioue infaustum erat augurium, cladis signum. Exempla in promtu sunt apud Homerum, Hesiodum, Virgilium, Q. Ennium, (ad quem vir nobiliss. ac doctiss. Hieronymus Columna Neapolitanus, Annali I. multa pag. 71. attulit) &, ne longè abeam, ipsum adeo Varronem lege Mœnia, apud eundem Nonium in *Rimari*, & *Plaga*: *Admirantes quod sereno lumine conniuisset, oculis cœli rimari plagas.* Alibi legitur, *inde tonuisset oculis.* Lege: *quod sereno lumine tonuisset:* vt rectè Iunius. Turnebus enim, cum in Nonii Marcelli corruptum codicem incidisset, qui *Varro Dos admæniados* præferret, in postumis illis Aduersariis, vt Deorum miniatorum Plinii & Arnobii numerum augeret, sic legit: *Varro, Deos miniatos admirantes.* lib. XXIX. Aduersar. cap. XXVIII. adeo in bonos Codd. incidisse magni refert.

Iulius Obsequens de Prodigiis. *M. Cicerone* (vulgati malè *M. Casone*) *C. Antonio Coss. Anno ab* V. C. ıↄCXC. *fulmine pleraq; decussa; sereno Varganteius Pompeius de cœlo exanimatus.*

II. Idem Varro ὄνος λύρας, apud Nonium in *Vulgus & Vulgare. Iurgare cœpit dicens, quæ facis atq; in vulgum vulgas.* Puto scripsisse M. Terentium: *Quæ scis atque in vulgum vulgas;* Atque Ennianum illud respexisse:

———*Quæ scis*
In vulgum vulgas, artemq; expromis inertem.

Labor tamen, vt Ennium potius cecinisse credam:

——— Quæ facis atque
In vulgum vulgas, artemque expromis inertem.

M. Varronis auctoritatem secutus, & *Atque* pro *statim* interpretor, vt Maronianum illud I. Georg. Agellius libro X. Noctium Attic. cap. XXIX. & Nonius *de doctorum indagine* exponunt:

Atque illum præceps prono rapit impetus alueo.

Et Ennius ipse alibi:

Atque atque ascendit muros Romana iuuentus.

Ouidii Metamorphosis illustrata.

CAPVT XXV.

I. P. Ouidius Naso sexto Metamorphoseos:

——— aries Bisaltida fallis.

Interpres nihil de ea se legisse fatetur. Assero itaque eam esse Theophanem filiam Bisaltidis, vt Arati antiquus interpres prodidit, in Arietis signo, ex qua in ouem conuersa, Neptunus in arietem conuersus Chrysovellerem genuit, qui vexit Phryxum & Hellen. Nec obstat forma patronymica: quam non producere diceret aliquis, quia à *Bisaltides* deducitur Bisaltidides masculinum, & fœmininum Bisaltis. Nam à nominatiuo desinente in *des* patronymica deducta non superant primigenia, à quibus deriuantur: vt à *Simychides* nomen patronymicum *Simychides* descendit, & à *Lycides*, *Lycides*, quod fieri videtur ad concursum duorum DD. euitandum. Theocriti Scholiastes in Idyllion ζ. Θαλυσία, ad illum vers. 21.

Σιμιχίδα, πᾶ δὴ τὺ μεσαμέριον πόδας ἕλκεις;
Simichida, portant media, quò luce pedes te?

Hæc annotat: Εἰσὶ καὶ Πατρωνυμικὰ οὕτως ἀπαραλλάκτως λεγόμενα καὶ ἐπὶ τῶν υἱῶν, ὡς καὶ ἐπὶ τῶν πατέρων. ὥσπερ ὁ Θεόκριτος Σιμιχίδα υἱὸς ὤν, Σιμιχίδαν ἑαυτὸν ὀνομάζει πατρωνυμικῶς, &c.

II. Eodem libro sexto Transformationum legitur:

Ille, vt erat pronus per crura admissa iubasque,
Voluitur, & calido tellurem sanguine fœdat.

In huius loci expositione aberrat Ra. Regius, cum *per crura admissa* exponit propinqua, equus adstrictus: cum exponendum esset per *crura admissa*, i. laxata in cursu, vt *Equum admittere*, & *frana* dicimur in celeritate cursus.

III. Libro porro sequenti de Medea loquens:

Huius in exitium miscet Medea quod olim
Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris,

Illud

Illud Echidnea memorant è dentibus ortum
Esse canis. ——

Cur Ouidius autem Cerberum canem Echidneum vocârit, non satis accuratè idem exponit Raphael. Ouidius mea sententia, ad Hesiodum in Theogonia respexit, vbi Cerberus Echidnæ filius, vt & apud Sophoclem in Trachiniis dicitur:

——τὸν ὑπὸ χθονὸς
Ἅδου τρίκρανον σκύλακ' ἀπρόσμαχον τέρας
Δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα. ——

Cicero Tusculana II. sic reddidit.

Hæc è tartarea tenebrica abstractum plaga
Tricipitem eduxit Hydra generatum Canem.

Scholiastes verò Græcus: τὸν Κέρβερον, ὃν Ἡσίοδος πεντηκοντακέφαλόν φησιν εἶναι. οὗτος ἦν τρίκρανον. Horatio etiam lib. II. Carminum *bellua* est centiceps. Confirmat etiam Hesiodus in Theogonia, Poetæ versus hi sunt:

Ἡδ' ἔρυτ' εἰν Ἀρίμοισιν ὑπὸ χθόνα λυγρὴ Ἔχιδνα,
Δεύτερον αὖτις ἔτικτεν ἀμήχανον, οὔτι φατειὸν
Κέρβερον. ὠμηστὴν, ἀΐδεω κύνα χαλκεόφωνον.

Et infra denuò:

——Δεινὸς δὲ κύων προπάροιθε φυλάσσει.

Propertio ex Euphorione lux. Fuit tanti; *Prouerbiale. Alter eiusdem Poetæ expositus castigatusq; locus.*

CAPVT XXVI.

DE Cornelii Galli morte variæ sunt & repugnantes scriptorum sententiæ, quas quia in medium alii attulerunt, nobis per singula eundi laborem ademerunt: Propertius lib. II. extremo:

Et modo formosa quâ multa Lyceride Gallus
Mortuus inferna vulnera lauit aqua.

Quod ex Euphorione Chalcidico expressisse, mihi quidem dubium non est, cum in Photii nostri Bibliothecam incidi, apud quem in Hephæstione, volumine CC. hic versus Euphorionis legitur:

κωκυτὸς μοῦνος ἀφέλκεα νίψεν Ἄδωνιν.

Euphorionem porro transtulit Gallus poeta, teste ad illud Virgilii Ecloga vltima Seruio Honorato:

Ibo, & Chalcidico quæ sunt mihi condita versu.

Eubœa insula est, in qua est Chalcis ciuitas, de qua Euphorion, quem transtulit Gallus, & hoc dicit: Ibo & Theocriti stylo scribam carmina Euphorionis. Hephæstionem

ſcio aliter accipere, & Cocytum Medicum intelligere, qui Adonin ab apro ſaucium curaret: ita enim tradit: *τοιοῦτόν ἐστι Κωκυτὸς ὄνομα, Χείρωνος δ' ἦν τῇ ἰατρικῇ μαθητὴς ἐθεράπευσε τὸν Ἄδωνιν ὑπὸ τοῦ συὸς τρωθέντα.* Equidem de Stygia aqua accipiam, qua ablutum Euphorion tradit Adonidem. Exſtat Romæ ſtatua inſignis in ædibus Tiberii Ciuoli, in qua Adonidis vulnera ad ſiſtendum ſanguinem ſpongia deterguntur. Cæterum de Adonidiis ſacris nos pluribus ad Procli Chreſtomathian, & in Obſeruationibus ſacris ex Hieremia. Alter eſt *Propertii* locus aliis intactus, Elegia XX. lib. III.

Tantiſne in lacrymis Africa tota fuit?

Sic paſſim editur: ſcriptum tamen à Poeta Vmbro exiſtimo:

Tantin' in lacrymis. ——

Scaliger nihil hîc contulit, cætera diligens: Io. Paſſeratius, quem me olim Lutetiæ audiſſe non pœnitet, ingenuè fatetur, ſi legas, *tanti*, ſe non intelligere, & aquam hærere. Mihi Prouerbii ſpeciem præferre videtur: *Fuit tanti, Non eſt tanti*, frequens Ciceroni, atque adeo ipſi Propertio. Sic enim Orator lib. XII. ad Att. Epiſt. 3. *Nihil tanti, vt à te abeſſem, fuit.* Eius æqualis Brutus T. Attico, Ep. *16.* *Nil tanti fuit, quo venderemus fidem & libertatem.* Et Cælius lib. VIII. Famil. Ep. *14.* *Tanti non fuit Arſacem capere, vt earum rerum ſpectaculo careres.* Plura è Tullii Catilinaria, Roſciana, & Officiis colligit Hotmannus lib. I I. Obſeruat. cap. *10.* quo M. Ant. Mureto reſpondet: vtiturque & Plinius Iunior lib. III. Epiſt. *9.* & lib. VIII. Epiſt. *2.* Propertius verò lib. I. Eleg. *6.* & 8. Lib. II. Eleg. *16.* Lib. III. Eleg. *12.* Lib. IV. Eleg. 3. Hunc verò ſenſum Poetæ attribuo: *Durus*, ait, *ac dirus videatur, quiſquis amori lucrum anteponit. Ergóne pluris apud illum Africanæ merces quam lachrymæ amantis fuerunt?* Sic & Ouidius in Epiſt. Didus ad Æneam:

Non ego ſum tanti, quamuis merearis, iniquè
Vt pereas. —— Et Epiſt. I.
Vix Priamus tanti, totaq; Troia fuit.

Ex his Naſonis locis, fingamus (quid enim docendi cauſa vetat?) duo illa Propertianæ Elegiæ diſticha eſſe Annæ ſororis, ſic Didonem alloquentis, cum ſacra iam fieri imperaret Regina, de Ænea vela iam faciente:

Credis eum iam poſſe tuæ meminiſſe figuræ, &c.

Vel reſpexerit fortaſſe, (vt coniectare pergam, priuſquam manum de tabula tollo) ad luctum Carthaginis Africæ, atque vlulatum, quem Maro cadente, manuſque ſibi adferente Didone, ſic affingit, vt hiſtoriam omnem, extremo lib. IV. Æneid.

——*it clamor ad alta*
Atria: concuſſam bacchatur fama per vrbem:
Lamentis, gemituq; & fœmineo vlulatu.
Tecta fremunt, reſonat magnis plangoribus æther.

De Cir-

De Circensibus Maro explicatus.

CAPVT XXVII.

CIrcensibus ludis primum omnium quatuor quadrigæ seu bigæ aut trigæ sorte ductæ ex quatuor factionibus, *Prasina, Russata, Alba, & Veneta*, in carceribus constituebantur. Deinde mappa à magistratu, qui ludis præsidebat, missa, hoc est signo dato quadrigæ carceribus emissæ, septem spacia siue curricula circa metas conficiebant. Deinde victore coronato, vnus missus peractus erat. Hi missus cum XXV. essent, atque in singulis quaternæ currerent quadrigæ, Maro dixit Georgic. III. v. 18.

Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Quo loco Seruius: id est, *vnius*, inquit, *diei exhibebo Circenses*. En tibi alterum ad id probandum insignem locum apud Suetonium in Domitiano: *Circensium*, inquit, *die, quò facilius centum missus peragerentur, singulos à centenis spaciis ad quina corripuit.* Solenne igitur fuit singulos missus septenis spaciis confici, quod L. Seneca etiam Epistola XXX. ostendit, cum scribit: *Quomodo manifestior notari solet agitatorum lætitia, cum septimo spacio palmæ appropinquent.* Naso in Halieuticis:

Seu septem spaciis Circo meruère coronam.

Et Arnobius lib. VII. aduersus Gentes: *Canterios de velocitate certantes, replicantes gyros septem.* Quamobrem efficitur singulis diebus Ludorum Circensium viginti quinque missus confici solitos: singulos verò missus septenis spaciis siue curriculis constare: quod idoneis iam auctoribus & probaui, & Onuphrius accuratius è Nummis pertractauit, post Cassiodorum Senatorem, in Variis.

Theognidis aucta & illustrata Gnomæ.

CAPVT XXVIII.

INter γνωμολόγους facilè princeps est Theognis, Megara Atticæ oriundus (vt ipse innuit, auctorque Stephanus & Harpocration) non Siciliæ, vt ante Suidam Plato lib. I. de Legibus; cum testimonium eius laudat, vt & Aristoteles, Isocrates, & Xenophon. Et, vt fieri solet, adiecta multa vulgo circumferuntur, tanquam γνήσια, ex Solonis, Tyrtæi, Mimnermi, & aliorum versibus: vt ex Xenophonte, Plutarcho, Basilio, Stobæo, & libro Ανθολογίας Epigramm. Græcorum obseruare memini. Quas ego ἐλεγειακὰς γνώμας dum animi causa cum Manuscripto Salmanticæ confero, disticha aliquot repperi, quæ hic apponere, ne altera editione necesse haberem Lectorem onerare, placuit. Ante distichon 365. Ζεῦ πάτερ, erat amplius in calamo exarato:

Φροντίδες ἀνθρώπων δ᾽ ἔλαχον πτερὰ ποικίλ᾽ ἔχουσαι
Μυρόμεναι ψυχῆς εἵνεκα καὶ βιότου.

Post distichum 539. Οὐδένα τῶν ἐχθρῶν μωμήσομαι, subiiciuntur IV. hæc disticha:

Κύρνε, κύει πόλις ἥδε· δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα
Ὑβριστήν, χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος.
Ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔασι σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ
Τετράφαται πολλὴν εἰς κακότητα πεσεῖν.
Μή μ᾽ ἔπεσιν μὲν στέργε νόου, δ᾽ ἔχε καὶ φρένας ἄλλῃ
Εἴ με φιλεῖς, καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.
Ημοφίλει καθαρὸν θέμενος νόον, ἤ μ᾽ ἀποείπων
Ἔχθαιρ᾽, ἀμφαδίην νεῖκος ἀειράμενος.

Quæ locum me auctore occupabunt trium distichorum, quæ bis eadem repetuntur Disticho 221. & 581. Sunt autem hi versus:

Οὐδείς τοι πάντ᾽ ἐστὶ πανόλβιος, ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἐσθλὸς
Τολμᾷ ἔχειν τὸ κακὸν κ᾽ οὐκ ἐπίδηλος ὅμως.
Δειλὸς δ᾽ οὔτε κακοῖσιν ἐπίσταται, οὔτ᾽ ἀγαθοῖσι
Θυμὸν ἔχων μίμνειν [al. θυμὸν ὁμῶς μίσγειν] ἀθανάτων δὲ δόσεις
Παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχοντ᾽, ἀλλ᾽ ἐπιτολμᾶν
Χρὴ δῶρ᾽ ἀθανάτων οἷα διδοῦσιν ἔχειν.

Talis est autem distich. *444.* querela de patriæ interitu, cuius lucem è Græcorum adferam Commentariis.

Οἴμοι ἀναλκίης, ἀπὸ μὲν Κήρινθος ὄλωλε,
Ληλάντου δ᾽ ἀγαθὸν κείρεται οἰνόπεδον.
Οἱ δ᾽ ἀγαθοὶ φεύγουσι, πόλιν δὲ κακοὶ διέπουσιν,
Ὡς Κυψελλίζον Ζεὺς ὀλέσειε γένος.

Suidas enim in *Colosso*, quod Cypselidarum anathema fuisse auctor est Plato in Phædro, & in Eliacis Pausanias hoc Epigramma inscriptum fuisse ait:

Αὐτὸς ἐγὼ χρυσοῦς σφυρήλατός εἰμι Κολοσσός.
Ἐξώλης εἴη Κυψελιδῶν γενεά.

Ὅπερ Ἀπελλᾶς ὁ Ποντικὸς οὕτω προφέρεται:

Εἰμὶ ἐγὼ νάξιος παγχρύσεός εἰμι Κολοσσός.
Ἐξώλης εἴη Κυψελιδῶν γενεά.

Pòst disticho 550. Ὕβρις καὶ μάγνητας, additur & hoc:

Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ᾽ ἄριστον
Πολλοὶ δ᾽ ἀπείρητοι δόξαν ἔχουσ᾽ ἀγαθῶν.

Ante distichon 584. Τοῖς ἀγαθοῖς συμμίσγε, præmittuntur hæc duo, quorum in editis nec vola nec vestigium apparet:

Τοιοῦτός τις ἀνὴρ ἔστω φίλος ὃς τὸν ἑταῖρον
Γιγνώσκων ὀργὴν καὶ βαρὺν ὄντα φέρει

Ἀντὶ

'Αὐτὴ κασιγνήτη. σὺ δέ μοι φίλε τοῦτ' ἐνὶ θυμῷ
Φράσσο, καὶ ποτέ μοι μνήσαι ἐξοπίσω.

Thebaidos Statianæ libri sæpius emendati.

CAPVT XXIX.

STatius Papinius ingeniôsus poëta, & (Iul. Cæsare Scaligero teste) multis locis nulli Poetarum secundus: de quo Satyricus:

Curritur ad vocem iucundam, & carmen amicæ
Thebaïdos, lætam fecit cum Statius vrbem.

Hæc in eo emendare ex optimis & perantiquis membranis bibliothecæ Toletanæ visum est, in gratiam poëticæ studiosorum, quibus hoc caput LIB. MER. condonabitur: omissis interim quæ iam alii occuparunt:

Lib. IX. Theba.

I. *Ergo aut inane nefas merso ter crine piauit.*

Rectè vetus codex: *Ergo vt in amne nefas.*

II. Malè etiam acceptus erat locus de Panoplia:

Ense grauis tereti, nimis iuuat aurea morsu
Fibula, pendentes circum latera aspera cinctus.

In iisdem schedis:

Ense grauis nimio, tereti ligat aurea morsu

Fibula, vbi post *ligat* videatur interpungendum. Virgiliana autem est μίμησις IV. Æneid.

Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream subnectit fibula vestem.

De quo versu iam supra Cap. XVIII. disseruimus.

Et in Ciri ad Messallam idem Maro:

Aurea solenni comtum quoq; fibula ritu
Mopsopio tereti nectebant dente cicadæ.

Et M. Varro apud Nonium in *Sagus*: *Cum neq; aptam mollis humeris fibulam sagus ferret.*

Denique:

III. *Aepitiiq; duces fugiunt Pheneiq; phalanges,*

alii *Epitiiq;*, & *Epiciiq;*, & *Telepheaq;*. Scriptura vetus

Ephistiiq; duces pereunt, Tegeaq; phalanges.

IV. Mox quoq; lego:

——vtq; feri vectorem fulminis albus
Cum supra respexit olor.——

Aquilam enim designat: quare *victorem* quod in editis legitur, ὀβελίζω: quod & occupasse Bernartium equidem non molestè fero, sed gratulor, vtriq; idem in mentem venisse.

V. In libro sequenti post versum:

Germina, terrarumq́ inclinat spiritus herbas.

Septem hi sequebantur, vulgo exsulantes, qui an legitimi sint Papinii, præstare non ausim; hic bona fide repræsentasse contentus, paruæ chartæ iactura: & Tiliobrogam è suis quoq; scidis eosdem repræsentasse ferunt:

Mille intus simulacra Dei cælauerat ardens
Mulciber, hic hæret lateri redimita voluptas,
Hic comes in requiem vergens labor; est vbi Baccho,
Est vbi Martigenæ socium puluinar amori
Obtinet, interius tectum penetralibus altis:
Et cum morte iacet, nulliq́ ea tristis imago
Cernitur, hac autem species humentia subter
Antra soporifero stipatus flore tapetis
Incubat. &c.

Post--- *& corpore nigro*, pro *pigro* in eodem codice.

VI. Contra verò extremo libro, hi tres versus in duobus scriptis absunt:

Inter se stridere facem, galeamq́ comasq́
Sentit, & vrentem thoraca repellere dextra
Conatus, ferri cinerem sub pectore tractat.

VII. Ibidem.

Sunt etiam innumero rerum vaga somnia vultu
Vera simul falsis permistaq́ tristia blandis.

Vetus scriptura:

Adsunt innumero circum vaga somnia vultu
Vera s. f. p. q. flumina flammis.

VIII. Libro verò XI.

Armorum fugere Dei, nusquam inclyta virtus
Restrinxit Bellona faces.

Restinxit Cod. Toletanus, exteriturq; littera, sic namq; & lib. IX. idem Papinius:

Hac tibi flagrantem Bromium restinximus vnda.

IX. Post idem Statius:

Tu quoq́ vt egregios fama cognouimus actus,
Non trucibus monstris Busirim infandumq́ dedisti
Cercyona, & sæuum velles Scyrone creatum,
Credo & Amazoniis Tanaim fumasse sepulcris.

Scriptus vterq; Salmanticensis, eoq; fidelior Toletanus,

Non trucibus monstris Sinonem, infandumq́ dedisti

Cercyona

Cercyona, & saeuum velles Scyrona crematum
Credo & Amazoniis Danaim fumasse sepulchris.

Illud *Busirim* manifeste falsum, repugnat enim, quod rei caput est, historiæ veritas. Nam ab Hercule interemptum constat: obstat & syllabæ longæ modulus: ne longè abiero, ille ipse Papinius supra 462.

——Immites citius Busiridis aras
Odrysiiq; famem stabuli, Siculosq; licebit
Exorare Deos.

Suspicor *Simonem* inflexisse, vt sæpe barbarica & transmarina nomina variè idem auctor, vel *Sinnim* potius scripsisse, qui Plutarcho in Theseo *Sinnis, Sinnidos*, quod & Bernartius edendum curauit, & βα syllabam adiectam, quod sæpe significationem adauget, vt βαλιμία. De his porro historiis idem Plutarchus & Suidas.

X. Sequitur in Statio:

Si patrium Marathona metu, si tecta leuasti
Cresia, nec fudit vanos anus hospita fletus.

Hecalem anum intelligit, quæ Theseum hospitio excepit, vt refert idem Chæronensis: νέον ὄντα κομιδῇ τὸν Θησέα ξενίζουσα· ἐπεὶ δὲ ηὔξατο μὲν ὑπὲρ αὐτοῦ τῷ Διῒ βαδίζοντι ἐπὶ τὴν μάχην εἰ σῶς παραγένοιτο θύσειν. Meminit & ad Iamblichum Philosophum Iulian. Imp. & Appul. lib. I. Metamorph. *Thesei*, inquit, *illius virtutes æmulaueris, qui non est aspernatus Hecales anus hospitium tenue.*

Auctor Ithyphallici Carminis in Custodem hortorum.

Aequalis tibi, quam domum reuertens
Theseus repperit in rogo iacentem.

Petronius Arbiter de Hecalesiis sacris.

Qualis in Actæa quondam fuit hospita terra
Digna sacris Hecates, quam Musa loquentibus annis
Battiada veteris mirando tradidit æuo.

Hic Callimachi Batti F. poëma Hecales nomine inscriptum intellige, vbi anum dixit habuisse φιλοξενίης στέγος ἀκλήιστον, *hospitii lares cunctis patentes.* De hoc etiam loco Politianus Miscell. ca. XXIV. H. Turnebus lib. I. Aduersarior. cap. 15. & lib. XXVI. cap. 7. H. Iunius Centuria VIII. Adagio 17. *Hecales cœna.* Plautus initio Cistellariæ: *Nunquam Hecale* (aliis *Hecate*) *fies*: in quem locum Cælius Rodig. lib. XXX. cap. II. & interpretes.

Vitulia

Vitalia putare. Horatius explicatus.

CAPVT XXX.

OCcurrit Horatii locus, qui Lambinum & Turnebum (bone Deus, quos viros!) mirum in modum exercuit. Cum enim ſeruum cum domino Saturnalibus inducit loquentem pro veteri iure, quo ſerui dominis in aurei Saturni ſæculi honorem æquabantur; Satyricus per dialogiſmum heri & ſerui. Sat. VII. lib. II.

Iam dudum auſculto, & cupiens tibi dicere ſeruus
Pauca reformido, Danúſne? ita Dauus, amicum
Mancipium domino, & frugi quod ſit ſatis, hoc eſt
Vt vitale putes: age libertate Decembri
Quando ita maiores voluerunt, vtere: narra.

Hic interpretes *mancipium frugi*, quod ſatis eſſe poſſit ad perſuadendum tibi, me vita dignum eſſe. Erat enim dominorum in ſeruos vitæ necisq; poteſtas. At ego hero, non ſeruo, illa verba puto tribuenda:

—— hoc eſt
Vt vitale putes: age, libertate Decembri, Vtere.

Vt conſcius ſibi herus tractationis & querelæ ſerui ſui, quem iam in ſumma temporis libertate expoſtulare ſecum velle videbat, nimirum inquit, id eſt *vitalia mihi amputare velle.* Commemoratio enim tuæ frugalitatis, quantum ſatis eſt, vt ais, beneficii loco ſeruata, vt & apud Comicum ſeruus ait, exprobratio quædam eſt.

Putare autem pro amputare ille idem poëta dixit: in ſimilibus enim more poetico per *ἀφαίρεσιν* ſyllaba perditur, vt Maro, *Pone metum*, pro depone.

In iiſdem Satyris: ----*peccátne ſupernè.* Accipio pro inuerecunda, nec vultu erubeſcente, vt inuerecundia ſolet: quæ res bonæ indolis eſt ſignum. Sic idem in Arte Poëtica:

—— mulier formoſa ſupernè.

Neq; enim obſcenum quid cum Dion. Lambino excogitandum, vt ſolent homines impuri, qui in his diſerti videri volunt, quæ magis tegi damnariq; & deteſtari oportebat. Turnebus lib. II. Aduerſar. Cap. XVIII. *peccare ſupernè dicitur*, inquit, *qui*, *quod inſignis aut nobilis, aut dignitate præditus ſit*, *in ſublime eminet.*

Euripidis

Euripidis locus ex Hecuba, cum eo qui est in Medea, & alter cum Enniano & Horatiano collatus: itemq; correctus.

CAPVT XXXI.

VT de naui cæsa in malum alicuius queritur in Medea Euripides, eumq; interpretatus Ennius liberius in auctore ad Herennium lib. II. Rhetoric.

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa accidisset, abiegena ad terram trabes.

Sic apud eundem in Hecuba Chorus Polyxenæ interitum miseratus deplorat, similiterq; exscensionem Troianorum in Græciam, & Paridis opera Helenæ raptum: ita queritur:

Ἰδαίαν ὅτι πρῶτον ὕλαν
Ἀλέξανδρος εἰλατίναν
Ἔταμεθ', ἅλιον ἐπ'
οἶδμα ναυστολήσων
Ἑλένας ἐπὶ λέκτρα, τὰν καλ-
λίσταν ὁ χρυσοφαὴς
Ἅλιος αὐγάζει.
Quando primum in Ida syluam
Alexander abiegnam
Incidebat, fluctus rate transmissurus
Helenæ ad thalamos, quam
Pulcherrimam auricomus
Sol videt.

Alios in eundem sensum Euripidis initio Medeæ versus exposui lib. IV. Tullianarum Quæstionum cap. XI.

Gregorius quoq; Nazianzenus in Tragœdia *Christo patiente*, seu quis alius auctor est, eandem initio querimoniam est imitatus. Ennius porrò, & Horatius ex eodem Euripide versus expressere. Apud Græcum namq; Hecuba sic expostulat coram Agamemnone, de violato iure hospitii:

καὶ μὴ δίκην δώσουσιν, οἵτινες ξένους
Κτείνουσιν, ἢ θεῶν ἱερὰ τολμῶσι φέρειν.

Horatius Oda XIII. lib. II. duo alia flagitia etiam coniunxit, hospitii scilicet ius violatum, & parentem necatum:

Illum & parentis crediderim sui
Fregisse ceruicem, & penetralia

K *Sparsisse*

Sparsisse nocturno cruore
Hospitis ——

Ennius quoq; in Hecuba apud Nonium in *Perbitere*:

Nunquam scripsistis, quis parentem & hospitem
Necasset, quo quis cruciatu perbiteret, pro periret.

Forte legendum ibidem *nunquam sciuistis*, à scisco.

Rursum interfecta ad Achillis tumulum Polyxena Priami filia, dum funus faciunt Græci, raptaturq; ad pyram cadauer, alii alios increpantes apud Euripidem sic obiurgant:

Ἕστηκας ὦ κάκιστε τῇ νεανίδι
Οὐ πέπλον οὐδὲ κόσμον ἐν χεροῖν ἔχων.

opinor reponendum pro κόσμον, meliori sensu κορμὸν, vt ad tumulum & rogum facem ferrent, vt & prius dixit:

—— κορμοὺς φέροντες πευκίνους.

Quis enim credat in funere mundum muliebrem captiuam secum gestare potuisse. Interpres quidem contra sentit, nam κόσμον legit, & καλλώπισμον exponit: sed mihi pluris est veritas, quam Græculi coniectura.

Ouidius in Ibin illustratur & emendatur.

CAPVT XXXII.

NOdi in hoc carmine Ouidiano permulti, tum quod varias historias succinctè tangat, tum quod, ne quem offenderet, apertè dicere nihil voluerit. Hinc factum est, vt alia aliò sæpe referantur, quæ aliò essent traducenda.

I. Exemplo res elucescet:

Therodomantheos vt qui sensere leones.

Qui sint illi *Therodomanthei leones* à multis quæsitum. Ego, quicquid de his leonibus comperi, licet fortasse incertum, explicabo. Puto eos fuisse, quos Macrobius ait apparuisse clasi Gaditanæ superastantes: & vocatos puto *Therodantheos* à rege Therodanthe, qui furore actus Herculis templum oppugnare aggressus est, quem Macrobius lib. I. Saturnal. *Theronem* vocat: *Nam Theron rex Hispaniæ citerioris, cum ad expugnandum Herculis templum ageretur furore, instructo nauium exercitu Gaditani ex aduerso venerunt, prouecti nauibus longis, commissoq; prælio adhuc æquo Marte consistente pugna, subito in fugam versæ sunt regiæ naues, simulq; in prouiso igne conflagrauerunt, paucissimiq; qui superfuerant hostium capti, indicauerunt apparuisse sibi leones, prioris Gaditanæ classis superstantes, ac subito*

subito suas naues immissis radiis, quales in Solis capite pinguntur, exustas.

II. Quin etiam corruptè legi apud eundem Ouidium lib. I, de Ponto credo *Teremedon*, pro *Therodamon*:

Non tibi Teremedon crudusq́ rogabitur Atreus.

Vbi si *Therodamon* legas, saniorem puto fore lectionem; cui etiam fauet codex antiquus.

Eadem opera alium ibidem locum indicabo:

III. *Comicus vt liquidis periit dum nabat in vndis.*

Ad quem referat Constantinus Fanensis apud eundem videre licet. Equidē ad *Eupolin* referendum puto cum Phil. Beroaldo, ac Turnebo lib. IX. Aduersar. cap. XXVI. quem Peloponnesiaco bello in Hellesponto submersum scribit Suidas, & Politianus in Nutriciis:

Eupolin in medium quem mendax fabula pontum
Cliniadæ manibus puppi deturbat ab alta.

Pluraq; suppeditat idem Angelus Miscellan. cap. X. quæ non describo, ne quis eius me scrinia compilasse putet.

IV. In eo ipso poëmatio legitur, vt puto vitiosè:

Aut vt Acharnides insutus pelle iuuenci
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.

cum nullus vsquam auctor reperiatur, qui *Acharniden* insutum fuisse iuuenci pelle tradat. Vnde sine hæsitatione crediderim emendandum *Achimenides*, pro *Acharrides*, de quo proditur quod Ouidius Acharnidi tribuit. Historia autem apud Herodotum Polyhymnia, & in Ctesiæ excerptis Photii nostri Bibliothecæ exstat. Vide & Turneb. 9. Aduersar. libri cap. 16. & Parrhasium Epist. 46.

V. In eodem difficili sanè poëmatio, quod multorum hactenus exercuit ingenia, lego:

Stella Lycoridæ cui fuit aqua viro.

Simonidem Poëtam intelligi arbitrantur, quem vocarit Lycoriden vel ab Apolline Lycoreo à Callimacho dicto; vel quòd genus duxerit à Lycoreo, qui Delphis vicum condidit.

VI. Post non longè:

Vtq; parum stabili qui carmine læsit Athenas
Inuisus pereas deficiente cibo.

Legendum, *Athenin* pro *Athenas*: quem Athenin & Bupalum lacerauit *Hipponax*, qui Scazontis inuentor exstitit, fameq; periit.

Ausonius in Ternarii Egripho illustratur & emendatur.

CAPVT XXXIII.

Elegans & acutum Ausonii poëmation Griphus est; in quo propter reconditam doctrinam & occultos quosdam respectus, ingenium poëta declarauit suum. Vt etiam eius terni sudarint interpretes, Galli homines eruditi, Franc. Siluius, Cl. Minos, & E. Vinetus, ad quid respexerit hoc versu,

Trina in Tarpeio fulgent consortia templo.

Indicabit Seruius ad lib. II. Æneid. *Delubrum dicitur, quod vno tecto plura amplectitur numina, quia vno tecto diluitur: vt & Capitolium, in quo est Iuppiter, Iuno Mineruа.* Eodem Augustinus lib. III. de Ciuitate Dei, cap. XV.

Eodem porro poëmate paullo antè:
Iuniadæ patris inferias misere sepulcro,

Quis non videt, vitiose illic legi, *Iuniadæ.* Quis enim tandem ille *Iuniades*? Putem sanè *Iliadæ* legendum, vt de Anchise Ilii filio intelligatur, in cuius exsequiis pueri in tres turmas diuisi Troianum agmen luserunt. vt Maro lib. V. Æneid.

Tres equitum numero turmæ, terniq; vagantur
Ductores.

Festus Pompeius, dictione *Turma*, locum amplius declarabit: *Turmam equitum dictam esse ait Curiatius, quasi terimam: quod ter deni Equites ex tribus Tribubus Titiensium, Ramnum, & Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum Decuriones dicti, qui ex eo in singulis turmis sunt, etiam nunc ternis.* Hactenus Pompeius; huius verba hic transscribere libuit, vt vel deinde constet, quid intellexerit Ausonius in eodem Gripho:

Hoc numero Tribus, & sacro de monte Tribunus.
Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.

Dum autem Anchisæ inferiarum mentio facta, occurrit locus in Sidonii Apoll. Panegyrico Cæs. Val. Maioriano, perperam à Baptista Pio intellectus vers. 165.

Qui vigor in pedibus? frustra tibi natus Ophestæ
Sicaniam tribuit palmam ——

Pius

Pius hoc ad *Ofeltem* Ouidianum refert. Equidem ad *Iasium* refero, Arcadicum victorem in cursu certaminis Siculi, quod Æneas in exsequiis patris dedit. Quia *Opheltes* dictus est Archenorus Arcadicus: ideo autem vocat *natum Ophelta*, vt *Romulida* vocantur Romani. Tu vide Hyginum Fab. 74. & 273.

Diaria, & Chœnix. Producere vitam, diuitias, liberos. *Lucilius ac Terentius illustrati.*

CAPVT XXXIV.

D*Iariam* accipio pro diurnis cibariis addictorum, seruorum, militum, comitum, agricolarum & ægrotorum. Græcis χοῖνιξ erat, quæ & ἡμερησία τροφὴ Hesychio, Laërtio in Pythagora, Palladio, & Suidæ. *Dimensum* vocat Comicus in Phormione:

Quod ille vnciatim vix de dimenso comparsit miser.

Vbi Donatus: *Quaternis modiis seruorum menstruum dimensum metitur.* Nisi vitiosus codex est. Sallustius enim (vt lib. III. cap. XXIV. dissero) & L. Seneca Epist. LXXXI. extrema *quinis* metitur. Quatuor verò sextariis Rhemnius Fannius (siue is Rhemnius Palæmon est, aut Priscianus) Chœnicem terminat:

Heminas recipit geminas sextarius vnus:
Qui quater assumptus Græco fit nomine chœnix.

De quo menstruo, Phocylides, Theodoretus Orat. VII. de Prouidentia, Hesychius σιτομετρεῖν. Fiebat id apud Græcos vltima die mensis, & apud Hesiodum ἐν ἡμέραις: apud Romanos verò Kalendis. Plautus in Sticho. Interdum verò seruis diætam constringebant, vt queruntur Iuuenalis Sat. XIV. vers. CXXVI. Saluianus lib. III. Plautus Persa, & Casaubonus ad Theophrasti characteres.

Iam verò & aliâ creditoribus oppressi debitores debebant, ab eo tempore quo plebs in Auentinum secesserat. Ita & Decemuirorum XII. Tabb. lege cautum fuit, (quod inf. lib. III. cap. XXIV. doceo vberius) *vt æris confessi reus iure indicatus, nisi indicatum faceret, in vinculis haberetur, & addiceretur: Qui si suo viuere nollet, creditor sua pecunia aleret.* Verùm ne victus nimis angustè præberetur, modus legitimè præscriptus, ne ad cætera seruitiorum incommoda, inedia & fame creditor affligeret. Et verò propter nexos ob æs alienum seditiones Romæ ortas, vrbemque intestino inter patres plebemque flagrasse odio, auctor est Liuius, Appio Claudio, & P. Seruilio Coss. An. V. C. CCLIX. Tum vt à domestica iniuria, nexu vinctorum, sumtus gratia, potentiores temperarent, præsertim quod si diurno alimento contenti non essent, amplius dari lex præ-

cipiat, eaque re potentiores, ne debitores in vinculis perpetuò habere velint, deterreat. Sic enim Plautus Menæchmis, Sc. I.

Nam ego ad Menæchmum nunc eo, quoi iam diu
Sum iudicatus, vltrò eo vt me vinciat.
Nam illic homo homines non alit, verum educat,
Recreatq; nullus melius medicinam facit.

Et Terentianus ille Phormio:

Aliis aliud est periculum, vnde aliquid abradi potest:
Mihi scio nihil esse. Dices, ducent damnatum domum.
Alere nolunt hominem edacem, & sapiunt mea quidem sententia:
Pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.

Qui verò non æris alieni, sed criminis rei in custodia habebantur, & causam dicere iubebantur, à magistratu diariam exigere solitos, è Seneca nostro didici lib. V. controuers. Sic enim de Sabino, qui ne reus quidem & sordidatus, dicteriis abstineret. *Atq; illud dixit: Nolite*, inquit, *superbè audire hominem calamitosum. Sæpè qui misereri potuit misericordiam rogat. Et cum dixisset Seianus, locupletes in carcere esse*, *Homo*, inquit, *adhuc indemnatus, vt possim viuere, paricidas panem rogem.* Paricidium appellat vinctos fame enecare, quibus fere vita ipsa supplicium; mors verò, vt ille ait, ærumnarum requies, non cruciatus est. Rectè igitur Licinius IC. pœnæ actionem ei dandam censuit, qui victum vincto inferri non pateretur. L. si victum XXXIV. D. de re iudic. & custodiendis, non puniendis reis carcerem inuentum. Prudentes L. aut damnum §. solent. D de pœnis, iudicarunt. Hinc Constantinus Imp. cap. I. L. Cod. de Custodia reorum, ne cui reum vinctum inedia interficere impune liceret, cauit: quem & Eusebius, Licinii tyranni legem sæuitiæ plenam, de Christianis famę in carcere necandis, abrogasse refert. Romæ quoque filiæ inferre victum prohibitæ, vberibus matrem alenti matris salus condonata, & perpetuum vtrique de publico alimentum. Videndus Plinius lib. VII. cap XXXVI. Val. Max. lib. V. cap. IV. & Solinus. Quæ cum ita sint, efficitur, *Diariam* & æris confessi à creditoribus, & criminis reis à magistratibus si neutri suppeteret, legibus dari iussum. Et licèt exiguè ac restrictè, sumptus tamen præberi solitos. Nefas enim & inhumanum visum, in carcere, quæ, vt dixi, custodia, non pœna reorum est, inedia necare, quod supplicium sit omnium grauissimum. Et sanè videas mortem sæpe pro vinculis optari.

Quemadmodum verò carceris alimentis, ægrorumque diæta, *mortem prohiberi, vires senescere*, ægrè vitam duci, Demosthenes & Sallustius dixerunt, ita & Plautus Trinummo, *vitam produci* donis, quæ pauperibus erogantur:

De mendico malè meretur, qui ei dat quod edit aut quod bibat:
Nam & illud quod dat perdit, & illi producit vitam ad miseriam.

Quam sententiam meritò damnat Lactantius lib. VI. Diuin. Institut. cap.

cap. XI. T. Pomponius Atticus ob doloris magnitudinem cibo se abstinens: *Mihi stat*, inquit apud Corn. Nepotem, *alere morbum desinere. Nam his diebus, quidquid cibi potusq́ sumpsi, ita produxi vitam, vt auxerim dolores sine spe salutis.* Et Seneca lib. II. Controuers. de filio alente patruum, parentemque, altero vetante: Buteonis colorem non probabat L. Latro, præstitisse *se dixit* [in alendo] *exiguum tantum quo spiritum posset producere. Et cum descripsisset pallorem eius & maciem, adiecit: Apparet illum ab inimicis ali.* Corn. Tacitus lib. XII. Annal. *Die nuptiarum* [Claudiæ & Agrippinæ] *Silanus sibi mortem consciuit, siue eo vsque spem vitæ produxerit, siue delecto die augendam ad inuidiam. Propagationem* Cicero dixit lib. V. epist. XV. *In vita maneam, in qua nihil nisi propagatio miserrimi temporis.* Et C. Plinius lib. II. Epist. VII. *proferre* dixit: *Cottius ipse tam clarum specimen indolis dederat, vt vita eius breuis & angusta debuerit statuæ honore, veluti immortalitate, proferri.* Et Lucilius lib. XXX. Sat. *Sperans ætatem eadem hac proferre posse, mansum ex ore daturum.* Vbi *potisse* si legas, versum constituas. Et M. Varronis diuina sententia est: LEGENDO ET SCRIBENDO VITAM PROCVDITO, id est, producito, vt Nonius Marcellus explicat. Et Plinius lib. I. Epist. III. *Effinge aliquid, & excude, quod sit perpetuo tuum. Nam cum reliqua rerum tuarum post te alium atque alium dominum sortientur, hoc nunquam tuum desinet esse, si semel cœperit.* Aliter idem M. Varro in lege Mœnia, apud Nonium in *Eunuchare* dixit *Producere liberos*, hoc modo: *Si qui*, inquit, *patriam maiorem parentem extinguit, in eo culpa quod facit pro sua parte, is, qui se eunuchat, aut aliquà liberos producit.* Forte pro exponit vel prostituit, nam *producere* & *perducere* Plauto in obscenis. Et Lucilius lib. XXVI. apud eundem Nonium in *Offerre*, & *Producere. Homines ipsi hanc sibi molestiam vltro atque ærumnam offerunt: ducunt vxores, producunt, quibus hæc faciant liberos.* Vbi forte *efficiant*, vel *as faciant*, seu potius *officiant* legendum. Ex illis autem Sophoclis in Antigona translata videntur:

Ὅστις δ᾽ ἀνωφέλητα φιτύει τέκνα,
Τί τόνδ᾽ ἂν εἴποις ἄλλο πλὴν αὑτῷ πόνους
Φῦσαι, πολὺν δὲ τοῖσιν ἐχθροῖσιν γέλων

Eodem etiam sensu querimoniam Democritus instituit in extrema Hippocratis Epist. ad Demagetum.

Idem Lucilius lib. XVI. apud Nonium in *Horridum:*

Hi quos diuitiæ producunt, & caput vngunt
Horridulum. ———

Frons *masc. genere*. Petilis. *Plautus Curculione, & Plotino. Item Glossarium vetus emendatum.*

CAPVT XXXV.

NOnius periisset, nisi periissent ii, quorum ille nobis fragmenta conseruauit: *Vuida*

Vuida ſuſpenditꝗ potenti
Veſtimenta maris Deo.

Cumque in Plauto liberale ingenium, ioca ſeria multa, multæ dicendi Veneres, cuius ore Muſas, ſi Latinè loqui voluiſſent, locuturas credebant, quia corruptè hæc vt plæraque in Nonio leguntur, lepor omnis periit. I. Sic enim *Plotino*, vel, vt Ioſ. Scaliger legit, *Plociona*. Eſt enim πλοκιώνη ſtuparum emptor:

Nam coloratam frontem habet, petilis habris.

Iunius & Gifanius ad Lucretium *labris* reponendum contendebant, quod à formæ ſpectatoribus exilia labra in muliere notentur. Complutenſis ſcriptus codex: *Nam coloratum frontem petilis habet petili: Petilis tenuis. Habris* verò nimis de mendo ſuſpecta vox eſt. At deſperatis medicinam adhiberi vetat Hippocrates. Illud contra rectum *coloratum frontem:* Nam *frontem* Maſculino, non ſequiore genere, hoc ipſo Plauti loco laudat Nonius in *frontem*, vt & apud Cæcilium in *Subditicio*, Agellius lib. XV. cap. IX.

Nam ii ſunt inimici fronte hilaro,
Corde triſti: quos neque vt apprehendas, neque vt mittas, ſcias.

Tollendum eadem opera mendum in Gloſſario, quod magno olim rei litterariæ bono erutum eſt: *Perſilis* μακροσκελής. Lege, *Petilis* μικροσκελής. Sex. Pompeii reliquiæ: *Petilem ſuram*, ſiccam & ſubſtrictam interpretari ferunt vulgo ſolitam: Scæuolam verò vngulam albam equi ita appellaſſe aiunt. Lucilius lib. XII.

Inſignus varis crucibus, & petilis; id eſt, exilis.

II. In Curculione quoque hic locus multos præſtanti doctrina viros exercuit: Scena, *Date viam:*

——iacit volturios quatuor.
Talos accipio, inuoco almam meam nutricem Herculem
Iacto baſilicum; propino magnum poculum.

Doctiſſimus Turnebus *Herculem Baſilicum* ſculptum ſiue pictum cultu Regio commentus eſt, Aduerſar. lib. XI. cap. VII. Quod Lipſio noſtro in Antiquis Lectionibus probare non potuit, quà interpunctione, quà explanatione, diſcedenti in alia omnia. Legit enim: *Almam meam nutricem Herculem: Iacto baſilicum.* Quod Herculi cum decumæ pollucerentur, epulum publicè præberi ſolenne eſſet, quo tales paraſiti vocarentur. *Iactum* verò *baſilicum* Veneris felicem interpretatur, quo magiſter conuiuii ſeu Modimperator (quem βασιλέα nominent Græci) creari ſolet. At *Herculem nutricem* appellari, raſas quorundam aures durius ferit. Proximè igitur veſtigia vett. codicum & Gryphianorum, quæ *Cherem* præferunt, *Cerem* repono, pro *Cererem*, vt nihilo verſus ſit productior aſpiratione duntaxat extrita. Sic autem veteres Latinos Græcorum ritu duplici modo inflexiſſe, vt & *Calcham* potius quam *Calchantem* Pacuuium & Plau-

Plautum ipsum, locuples testis est lib. I. Gramm. Charisius Sosipater: & Comici variè, *Chremes Chremis* & *Chremetis*, *Laches Lachis* & *Lachetis*, *Crates Cratis* & *Cratetis*. *Hermes* tamen *Hermetis*, & *Socrates Socratis*. Sic & supra *Schemam & Schema*, vtroque versu inflexisse docuimus. Ceres item iure *Nutrix* appellatur communis omnium parens. Hinc Δημήτηρ Græcis quasi μήτηρ τῆς γῆς teste Platone in Cratylo, & *Alma* Latinis indigitatur.

Catulli poema saltim percurritur. Sperare *pro existimare, & metuere.*

CAPVT XXXVI.

Deliciæ Veronensium doctus Catullus hoc sibi caput vindicabit, vnde hæc delibare placuit. I. Carmine ad Lesbiam tribuit sideribus oculos, vt fecit antea Plato in puerum Stellam:

ἀστέρας εἰσαθρεῖς ἀστὴρ ἐμός. εἴθε γενοίμην
οὐρανὸς ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σε βλέπω.

Euripides in Hecuba:

Ὠρίων ἢ Σείριος
Ἔνθα πυρὸς φλογέας
Ἀφίησιν ὄσσων αὐγάς.

Plutarchus in Conuiuio VII. Sapientum: τὸ δὲ τὴν ἀλήθειαν ἡγεῖσθαι σοφίαν οὐδὲν ἐμοὶ δοκεῖ διαφέρειν τοῦ τὸ φῶς ὀφθαλμὸν ἀποφαίνειν.

II. Ad Verannium cur dixit,

Iucundum os, oculosq; suauiabor?

Quid? morisne fuit oculos exosculari? fuit. Sic apud Orphea Argonauticis Peleus discedens Achillem filium deosculatur κεφαλήν τ' ὄμματά τε καλά.

III. Ad Asinium:

Quamuis sordida res & inuenusta est.

Quamuis, pro *oppido* hic accepit, vel quantumuis, vt alibi.

Quantumuis quare sit macer inuenies.

Plautus Trinummo:

Multa ego possum docta dicta, & quamuis facundè loqui.

Cic. II. de Finibus. *Hæc ego non possum dicere non esse hominis, quamuis & belli & humani: sapientis verò nullo modo.*

IV. Ad Aurelium:

Aureli pater esuritionum.

Cœnæ *patrem* vocabant τὸν ἑστιάτορα, qui Ciceroni est *epuli dominus*: Veteres dicebant & *Conuiuii dominum*, & *Dominum* sine vlla additione, & *dominia*: testis Nonius.

L V. Ad

V. Ad Alphenum:

Nec facta impia fallacum hominum cælicolis placent.

Imitatus est Homericum illud Odyss. ξ'. vers. 399.

οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν.

VI. Ad Sirmionem:

Peninsularum Sirmio insularumque
Ocelle. ———

Sic rosam αἰθέων ὀφθαλμὸν vocauit Achilles Tatius, lib. II. de Leucippe & Clitophonte, & Cytheronem ὀμμάτων τρόφον Euripides in Phœnissis.

VII. In nuptias Iuliæ & Manlii:

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Plautus:

Sensim superattolle limen pedes noua nupta.

Lucanus lib. II.

Turritaque premens frontem Matrona corona,
Translata voluit contingere limina planta.

VIII. De Arrio:

Et tum mirificè sperabat se esse locutum:

sperabat, pro *existimabat* accipitur ad Græcorum veterum imitationem, qui eodem modo ἔολπα vtuntur. Hesiodus ἐν ἔργοις α'. ver. 271.

Ἀλλὰ τά γ' οὔπω ἔολπα πλεῖν Δία τερπικέραυνον.

Sic Catullus etiam infra:

———*vtpote qui me*
Speraret, nec linguam esse nec auriculam.

Et ἔλπομαι Oppiano ἁλιευτικ.

οὐδὲν γὰρ γαίης πολυμήτορος ἔλπομαι ἄλμῃ.

Et Euripid. in Hippolyto coronato:

ἢ κἂν θεοῖσι ταὐτὸν ἐλπίζεις τόδε.

Et Sophocles in Aiace Lorario:

Ὅθ' οὕνεκ' αὐτὸν ἐλπίσαντες οἴκοθεν
Ἄγειν Ἀχαιοῖς ξύμμαχόν τε καὶ φίλον.

IX. *Sperare* alias pro metuere καταχρηστικῶς, Seruio teste, cum tamen Spes Metui à Philosophis opponatur. Maro I. Æneid.

At sperate Deos, memores fandi, atque nefandi.

Et lib. IV.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Iterum Cæsar lib. II. belli Gallici pro desperatione dixisse videtur. *At hostes etiam in extrema spe salutis tantam virtutem præstiterunt, vt cum primi eorum cecidissent, proximi iacentibus insisterent, atque ex eorum corporibus pugnarent.*

Fabu-

Fabula Neurorum explicata. Val. Flaccus de coniectura emendatus.

CAPVT XXXVII.

NEuri antiquorum testimonio in lupos quotannis vertebantur. Habitabant porrò ad ortum Borysthenis. *Neurarum* quidem insularum meminit Plinius lib. IV. Nat. Hist. cap. XII. Fabulæ porrò de *Neuris* meminit Herodotus Melpomena, & Mela lib. II. cap. I. & Val. Flaccus initio Argonaut. lib. VI.

——& raptor amorum
Neurus, & expertes canentis Iazyges æui.

Ausim legendum asserere, *& raptor agnorum*, quod præclaros interpretes hactenus fugit. Cumque Neuri in lupos apud fabulosos poetas conuersi ferantur, proprium est eorum in agnos sæuire, rapere, dilacerare, & certè commodus omnino sensus ex hac lectione erui posse videtur. Equidem quid interpretes per hos amores intellexerint nescio. De hominibus in lupos, & maribus in fœminas mutatis varii variè disputant, qui nostra memoria pluribus de Magia disseruerunt, vt Hieron. Mercurialis lib. VI. variar. Lect. cap. XX. Neque verò est quod quemquam hic syllabæ modulus *Agnorum* offendat, durusque consonantium concursus. Nam Græcos vt in argumento, sic & in phrasi est imitatus in eo genere liberiores, apud quos vna liquida vocalem breuem facit communem, vt in Ἄρης, & μέλος, Persiumque dixisse credimus *Pegaseium melos*, non *nectar*, vt Politiano visum. De L. & R. extra controuersiam res est: de M. & N. grauior quæstio. Licentia tamen poëtica quid non perfringit? quæ præcepta non transilit? Exemplis fidem faciamus. Horat. lib. II. Oda IV.

Mouit Aiacem Telamone natum
Forma captiua dominum Tecmessæ.

Et Ouidius apud Priscianum lib. I. Gramm. de liquescentibus.
Val. Martialis lib. VI.

Delectat Marium si pernitiosus ichneumon.

Ouid. Fast. V.

Dissensere Deæ quarum Polymneia cœpit.

Vbi tamen alii *Polyhymnia* malunt, vt apud Horatium Oda I.

Euterpe cohibet nec Polyhymnia.

Silius Italicus lib. VIII.

Ecce inter primos Terapnæo à sanguine Clausi.

Quæ autem huic loco gemina, en tibi Ouidium lib. VIII. Metamorph.

Debuit illius misereri, & ignoscere nobis.

Et lib. VI. *Ad mandata Prognes, & agit sua vota sub illa.*

Quod quidem carmen traducta voce corrigere nonnulli conati sunt *Mandata ad Prognes*, sed perit omnis venustas. Sic enim & Petronius Arbiter:

Dignus amore locus, testis siluester aedon,
Atq; vrbana Progne, quæ circum gramina fusa.

Horat lib. IV. Oda III.

——*multis quoq; piscibus*
Donatura cygni, si libeat sonum.

Ausonius Epistola XX. ad Paulinum:

Longæve tantum superamus honore senectæ.
Quid refert? Cornix non ideo ante cygnum.

Alia plurima litteratores forte suppeditent.

Virgilius & Iuuenalis à calumnia vindicati.

CAPVT XXXVIII.

Reprehenderent nonnulli Virgilium in hoc versu lib. II. Æneid.

Iamq; adeo super vnus eram, cum limina Vestæ
Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio, &c.

Et post paullò:

——*Subit ira cadentem*
Vlcisci patriam.——

Quòd descripserit scilicet Æneam virum fortem & magnanimum vindictam sumere expetentem de Helena muliere imbelli. Ego Virgilium in hoc culpari æquo animo non patior, quin necesse sit Euripidem antea taxare in Oreste, quem secutus Maro sit:

νῦν δ' ὑπὲρ ἁπάσης Ἑλλάδος δώσει δίκην.

Vnde difficile sit tam præstantes Poetas, alterum sapientissimum Tragicum, alterum elegantissimum Epicum malè accipere.

Quinetiam Iuuenalem Cælius Rhodiginus in hoc versu traducit:

——*nullos Nummorum exstruimus aras.*

Quod visus fuerit hoc carmine indicare *Nummos* carere diuinitate, cum tamen in Deos relati sint. Sed immeritò Cælius: cum B. Augustinus lib. IV. V. VI. & VII. quam plurimos Deos connumeret, quibus nondum aræ erectæ, inter quos *Argentinus & Esculanus.* Non enim negat Iuuenalis Deam esse *pecuniam*, sed nondum aram & templum illi constitutum esse. Sicut & aliis multis obscurioribus diis, quos Varro recenset. Et apud Christianos itidem videmus multos in Sanctorum numero haberi, quorum templa nulla araeue exstent.

Valerii

Valerii Flacci lib. I. & IV. illustrantur & emendantur.

CAPVT XXXIX.

VAl. Flacco, nobili poëtæ, hoc detur Caput. In cuius lib. I. Argonauticῶn ita leges:

I. *Protulit vt crinem densis luctatus in extis*
Ignis, & ascendit salientia viscera tauri.

Quid si *accendit* legamus? sanior sensus eruetur: & mox:

II. ——*quæ ratis omina vincet,*

Omnia hîc legi malim.

III. Infra paullò:

Cœperat à gemina descendere Sestos Abydo.

malim *discedere*. Deinde:

IV. ——*quoties paucos ad littoris ictus*
Deficiant, Scythicum metuens pontumq́ Cretamq́.

Ægidius Maserius corrigit *Cyramq́* pro *Cretamq́*. Laurentius autem Liliensis homo Hispanus, Notis in hunc poëtam eruditis, *ratemq́* emendat, Ludouicus Carrio noster, *polumq́* legit. Sustineri equidem posse suspicor *Cretamq́*, quod mare iuxta Cretam tempestatibus obnoxium sit, teste Sophocle Tragœdo:

——τὸ δ' αὔξει βιότου
πολύπονον ὥσπερ πέλαγος
Κρήσιον.——

Et Gr. Interpretis auctoritate, qui ait: ὡς πάνυ χειμαζομένης τῆς περὶ κρήτης θαλάσσης. Syllabæ verò modulus minus impediet. Nec enim vera perpetuo Grammaticorum norma, E longum esse apud Latinos tradentium, quod à Græco H deductum. En illud Ausonii:

Sed Cytheron toties ternas ex æde sacrauit.

& Maro lib. I.

Parce metu Cytherea——

Item in *diastema* Sidonius Apollinaris:

Sic placidum Paphien seruare diastema quantum:

quem immerito Hermolaus Barbarus reprehendit. Eadem namq; ratione reprehendat Persium Sat. I. extrema.

Atq́ hic in crepidas Graiorum ludere gestit,

Item Catullum:

——*& crepidas lingere Carpatinas*

à Græco enim κρηπὶς *Crepida* deriuata.

V. Inferius paullo Val. Flaccus:

——ac frater plenior actis
Maluit Ancæo vellus contingere Phryxi.

Equidem malim *annis*. Sic namq; Apollonius lib. II.

τὸ ἄμφω γνωτὸς προγενέστερος.

VI. Sequitur:

——nataeq; moratus
Coniugio videt è grata nunc stirpe nepotes.

quid si *Graia* legam? quam etiam vocem corruptam Valerio Maximo alibi reposui. Et mox pro *dona ferat*, reponam *damna ferat*.

VII. Infra:

Non hiemem missosq; putant consurgere ventos.

Lego ex coniectura, *iussosq;*. Infra non parum:

——tollitq; vicissim
Pontus habet.

Mihi *auet* probatur. Post paucos versus:

——Coit agrestum inscia priscum
In nemus. *anxia* equidem prætulero.

Non longo interuallo:

Omnis equis, plenisq; redit cortina pharetris.

Legendum procul dubio *Gortyna*.

VIII. Locus lib. IV. à Maserio non dico explicatus, sed magis implicatus est:

Cesseaeq; manus, & qui tua iugera nondum
Eruis ignotis insons Arimaspe metallis.

Quid *Cesseae manus* sint, dicere nequiuit. Equidem ex auctoritate Zenobii nostri in Parœmia 25. Centuria V. vt nuper edendo distinximus; Νόμος καὶ χώρα, locum intelligendum puto; Cæsias ait in alicuius ortu flere; in obitu autem gaudere; Καίσιοι ἐπὶ γενομένοις δακρύουσιν, ἐπὶ δὲ ἀποθνήσκουσι χαίρουσι. Thraces quoq; die Natali deplorasse recens natos; in funere contra exultasse, ad Melam Pomponium olim docuimus.

Ouidius in Heroidum Epistolis illustratur, & defenditur.

CAPVT XL.

ELegantes sunt Epistolæ Ouidii fateor, at non omnibus æquè, vt apparet, claræ. Multi enim in illarum expositione, correctioneq; adhuc cæcutiunt

tiunt. Prima quidem Epiſtola, Penelope abſentiam mariti ſui, & pericula belli Troiani, in quibus illa verſabatur, aſſiduè animo voluens, hac cum ſententia domum reuocare conata eſt:

Siue quis Antilochum narrabat ab Hectore victum,
Antilochus noſtri cauſa timoris erat.

Quem locum explicans doctiſſim. Politian. c. LXXVI. Συμμίκτων, non *Antilochũ Neſtoris F. ſed Amphimachũ* Creati F. reponendũ videri ex hiſtoriæ veritate lib. XIII. Iliad. qua Homerus narrat *Amphimachum* ab Hectore occiſum, & *Antilochũ à* Memnone. Vnde proculdubio, aut pro *ab Hectore, Memnone*, aut pro *Antilochum Amphimachum* legi vult. In alia equidem omnia diſcedo: ꝙ ibi Naſo non *occiſum ab Hectore* prodat, ſed *victum*: vt & doctiſſimo Parrhaſio in mentem veniſſe pòſt deprehendi. Victum autem ab Hectore Antilochum, teſtis idem Homerus eſt, Iliad. ι'. Etſi non me fugit pleroſq; Grammaticos Politiano aſſentiri, Homeri tamen auctoritas plus, vt debet, apud me valeat, neceſſe eſt. Sic enim ille verſus:

Τοῖς δ' Ἕκτωρ ἐνόησε κατὰ στίχας ὦρτο δ' ἐπ' αὐτοὺς
Κεκληγώς. ἅμα δὲ Τρώων εἵποντο φάλαγγες
Καρτεραί. ———

In Epiſtola quoq; Hypſipyles hic locus occurrit,

Faxq́ ſub arſuros dignior ire rogos,

malè ab Interpretibus acceptus: cuius tamen declaratio è Sexto Pompeio Feſto adeò aperta eſt, amplius vt nihil addi poſſit. Sic igitur ille: *Rapi ſolet fax, quæ prælucente noua nupta deducta ab vtriuſq; amicis, ne aut vxor eam ſub lecto viri ea nocte ponat, vt vir in ſepulcro comburendam curet: vtroq; mors propinqua alterius vtrius captari putabatur.* Res nunc aperta. Plura fortaſſe ſuggerent, qui felici hoc ſæculo multa de ritu connubiorum poſt Tiraquellos, Briſſonioſq;, Galliæ in Iure ciuili lumina, contulerunt.

Oppianus in Cynegeticis aliquot verſibus ſuppletus.

CAPVT XLI.

Operæ pretium fuerit Salmanticæ olim venuſtum poëtam Anazarbium cum editis comparaſſe, & non quod pueri in fabis iactent, reperiſſe. Præter enim locos ſanatos plurimos, & Scholiaſten longè vberiorem repertum, verſus aliquot, qui in vulgatis deſiderantur omnibus, cui & Vaticani acceſſit codicis

codicis auctoritas, nunc exhibemus, prætermissis iis, quos accuratus ac diligens homo Conr. Rittershusius I. C. Noricus occupauit. Lib. IV. ad post versum 88.

I. Ἵπποις, ἠελίου τε βολῇ, καὶ νόσφιν δρωγῶν,

additur in Manuscriptis Vaticano & Salmanticensi:

ἐν γὰρ τῷ ἠελίου φλεγμῷ οἱ θῆρες κάμνουσιν.

II. Versui deinde 109.

Αὐτὰρ ὅγ᾽ ἐκ βόθροιο δοκεύμενος αὐλιν᾽ ἀλύξειν.

hic subiicitur:

Ἐχθρὸς κ᾽ ἀγχαλόων ποδὶ δ᾽ ἐκεῖ νόσος ἔπιμος.

III. Post versum 197. ἀφρὸν ἀποσταλάει. Ita alium interserit scriptus codex: ποτὶ χέρσον αἱματόεντα.

Εἴκελος αἰδομένῳ δὲ ποτὶ χθόνα κάνθον ἐρείδων.

Vbi Vaticanæ membranæ ἐρείδει præferunt: & pro χέρσον forte melius χέρον legat.

V. Post versum 430. item alius interseritur:

Ναὶ μὴν ἀτραπιτοῖο πολυστιβέα ἀλεείνειν

Καὶ πάτον ἐν δ᾽ ἄρα τοῖς γεωμορίοισιν ἐλαύνειν.

Quomodo & Vatic. cod. nisi quod τῇσι γεωμορίῃσιν rectius habeat.

IV. Post versum 402.

Γυμνὸν ὅπου λεύσσει πεδίον πολύ. κεῖθεν ἔπειτα.

adde hunc è codicibus Vaticano & Salmanticensi:

Ἐξείης κατὰ νῶτον ἐγειρόμενος λόχος ἀνδρῶν.

Lib. III. Cyneget. extremo tres hos versus, vt alienum insidentes locum, expungendos arbitror, qui ex libro IV. vers. 74. huc sunt translati: vbi in membranis antiquis δνοφεροῖο νότοιο scriptum inueni.

Ες δὲ Βορῆα ζαλαγεύμενος ἐπὶ δροσεροῖο νότοιο,
Εὖρον δ᾽ ἱσταμένοιο [illegible] ζεφυρίῃσιν αὔραις,
Κινυμένου ζεφύρου δὲ θοῶς εἰς εὖρον ἐλαύνειν.

Verum serram reciprocando varia ntes quasdam scripturas ex iisdem membranis apponam: nescio an Rittershusio in mentem manumq; allatas. *Libro* itaq; I. V. 9.

(Ευμενέες Τιτὰν Φαέθων, καὶ Φοῖβος Ἀπόλλων.)

Vaticanus liber Ευμενέοι, vt & libro IV. Ιλαευλακῶν, v. 28. Ευμενέως legitur. Et mox v. 15. pro θέει κλυτὸς ἠελίοιο, πέλει ibidem scriptum obseruaui.

V. 71. Ηλάρον αἰγάγροις, in Vatican. Ηλάμνον. Forte melius λαμν᾽, δυϊκῶς.

V. 120. Οππότε ποντοπόροισι βατὴ πλώουσι θάλασσα.

in Vat.

In Vat. erat, ϛαπὶ πίλυσι θήλασαι. tentabam πλήθυσι pro πίλυσι.

V. 32. Αγχιπυρὸς κλινθεὶς ὀπλίσατο δόρπον ἀμοργός. Ibi ὁμοργός. Malim ἀμορβὸς, ἢ τι ὁδοιπόρος. Vt infra lib. γ'. medio: de lupis agens:

Εἴδεα δ' ἀλλήλοις ἀνόμοια πιμπρήσαντο

Φῶτας ἀμορβῆες ——— Statim V. 134. Αὔξαν τ' ἠελίου. in membranis calamo exaratis,

Αζονὸς ἠελίου. Malim tamen si optio detur tertio pedatu: Αζην τ' ἠελίου, vt in eodem libro III. Ἠὲ καὶ ἀπηλιγὸς ἀφεγγὲς εἰσόκεν ἄζης Ἠέλιος πάυσαιτο.

Libro II. verf. vltimo:

Τὴν καὶ νῦν ἀλαόν τι μένει, καὶ λάβον ἰδωδῆς

In Vaticano cod. legi καὶ λαῦλον ἰδωδαῖς.

Libro III. Versu à fine 88.

Ακροισιν κεφαλῆσιν ἐεδομένοισι κορύμβοις.

Hic erat in membranis:

κεφαλὴ δ' ὀκέει δὲ μὲν οἷσι κορύμβοις.

Et quarto post versu scriptum:

Αοιὴς δ' ἰοφόρον πέλας αὐτῇ κάρδωνον. pro quo editur πελάσαν τ' ἤειρε κάρδωνον. Et sequenti ὑπείδηλον pro ὑπείσυρεν.

LIBRO IV. paulo ante extremum:

Ὅς θ' ὕπατον μὲν ἔναιεν ὄρει κεράεσσιν ὑπ' αὔτευ.

In calamo exarato Vaticanæ Bibl. pro κεράεσσιν erat scriptum καὶ ῥοῆσιν. Malim tamen καὶ ῥώσιν.

Hyphen obseruatum lucem obscuris locis adferre. Virgilius enodatus.

CAPVT XLII.

ERrant qui ὑφὲν, quo signo diuulsæ voces ritè copulantur, aut negligunt omnino, aut certe ad Typographorū duntaxat operas relegant. Magnum enim eius vsum comperi in scriptorum veterum nodis explicandis, tum præcipuè poëtarum, & in his potissimum Propertii. Enimverò in Marone in præsens specimen adfero; in Bucolicis quidem Eclog. 1.

Namq. erit ille mihi semper-Deus.

ἀΐδιος; vt T. Lucretio lib. I. *Semper-florentis Homeri*; Terentio, *Heri semper-lenitas*; & Senecæ Tragico Herc. furente, *Semper-alienum Iouem*; in Thebaide, *semper-cruente*; & Hippolito, *semper-furentes caminos.*

Idem poëta Rei rusticæ lib. III. de generoso equo, verf. 92.

Hunc quoq. vbi aut morbo grauis, aut iam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.

M Seruiu

Seruius hic titubat, ac veluti in luto hæret: nescio an etiam Pet. Danielis, & Ioannes Auratus Cantero suggessit turpi hiatu videri legendum, *& turpi ignosce senectæ.* lib. VI. Nouarum lect. cap. VIII. At mihi potior visa sententia, ignoscendum esse senectuti minimè turpi, vt *nec-turpis* per ὑφὲν sit, vt *furtum nec-manifestum*, in XII. Tabb. & *nec-opinanti*, atq; id genus alia. Vetus autem apud M. Tullium poëta, de equo:

Sicut fortis equus, spatio qui forte supremo
Vicit Olympia, post senio confectu' quiescit.

Æneas deniq; Æneid. I. suos sic alloquens:
O socii, neque enim ignari sumus ante-malorum.

Ante-malorum προγεγονότων κακῶν, & vetus Pet. Danielis Glossarium *præteritorum* exponit. Sic itaq; dictum, οὐκ ἀμνήμονες ἐσμὲν πρώτων κακῶν. idemq; Honoratus interpres ὑφὲν disertè exponit, vt & alibi diximus fusius lib. I. Obseruat. cap. IX.

Rhesus Euripidis aliquot locis emendatur.

CAPVT XLIII.

RHesum Euripidis, si eius modo est, nam Critici abiudicant, æstiuis mensibus, horisq; subseciuis dum se æstus frangeret, euoluebam, quod eius Tragici sententias mirificè à M. Tullio ac Theone Sophista commendari meminissem, siue ea notha est Tragœdia, vt quidam autumant, seu legitima, vt in scholas ac reliquum recepta numerum. Multa è membranis Vaticanis Romæ, fecimus, voluimus quidem certè meliora:

I. φυγῇ πρὸς οἴκους τῆς δ' ἀφορμῶσι χθονός.
Codex vetus præfert ἀφόρμησιν.

II. Inferius: χρυσὸς γάρ ἐστιν, εἰ τόδ' αἰτήσεις γέρας. πάρεστιν mallem.

III. Post aliquot versus κατόχαμβρον ἐς χέρας γόον, præter rei historiam hoc dixit poëta. Non enim Agamemnon gener fuit Helenæ, sed frater ratione Menelai, qui ambo erant Atridæ, vt vel pueris notum.

IV. Infra: Ἔφαυσε λαίφη τῆς δὲ γῆς μέγας πνέων: præferrem ἔθραυε.

V. Mox ξυνὼ τοῖς δ' αὐτοῖς οἶδα πλὰς πορπήμασιν.
Totum versum elegantius præferunt membranæ:
Ξυνὼ τοῖς δ' αὐτὸν οἶδα πλὰς πορπήσμασιν.

VI. Pag. sequenti.
Ὅς εἰς Ἀθήνας σηκὸν ἔναγχος μολὼν
κλέψας ἄγαλμα ναῦς ἐπ' Ἀργείων φέρει.

Non

Non ſeruatus hic temporum ordo ab Euripide, poſt hæc enim geſta Palladium Vlyſſes abſtulit.

VII. Infra: τίς ὁ λόγος; πόθεν ἔβας; πόθα; τίς εἶ; interrogatione vna ablata legit vetus liber: ποδαπὸς εἶ; vt & initio omnino: τίς οὐδ᾽ ἢ φίλος φθόγγος; τίς ἀνήρ;

VIII. Poſt paullò: ὕβριζ᾽ ἴσως γὰρ εἰς βόλον τις ἔρχεται. Æm. Portus ſcribendum putat ἄβριζ᾽ ἴσως: liber ſcriptus ὕφισος ἐνβόλῳ γὰρ ἴσως τις ἔρχεται, ſuſpicor legendum ὕφισ᾽ ἴσως γὰρ.

Hic & ille *promiſcuè interdum capi. Vulcanus è cœlo deiectus. Virgilius Bucolicis tùm illuſtratus, tùm emendatus.*

CAPVT XLIV.

DOcent litteratores *hic* & *ille* ſic referre antecedentia, vt *hic* proximam, *ille* remotam perſonam reſpiciat; vt Græcis ὁ μὲν, ὁ δὲ. At interdum negligi vel inuerti obſeruaui apud poëtas ſiue ſtudio, ſiue metri neceſſitate: Vt Maro Ecloga. IV.

I. *Non me carminibus vincet, non Thracius Orpheus,*
Non Linus; huic mater quamuis, atq; huic pater adſit:
Orphei Calliopeia, Lino formoſus Apollo.

Vbi *huic* ad Orpheum remotum reſpicit, & rurſum ad Linum proximè antecedentem. Hunc locum expreſſit Ouidius elegia elegantiſſima de morte Tibulli:

Quid pater Iſmario, mater quid profuit Orpheo?
Carmine quid victas obſtupuiſſe feras?
Et Linon in ſiluis idem pater edidit altis,
Dicitur invicta concinuiſſe lyra.

Item Caſſius Parmenſis in Orpheo:

Et nunc maternis inhiat, nunc illa paternis
Cantibus, hinc illinc diſcens dependet vtrinq;.

II. In iiſdem Bucolicis idem Maro:

Nec DEVS hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

ait Seruius à Ioue Vulcanum præcipitatum in Lemnum: quam fabulam Politianus à Seruio fictam ait. Equidem iure ab eo Seruium taxari contenderim, & Politianum multo enarrare doctius Seruio, & expoſitione, ſi non vera, veræ ſimiliori. Nam Seruius nec menſam nec cubile tangit, nec

aliis ambiguitatibus satisfacit, quas intactas relinquere nefas erat. Sed etiam quod Seruius scribit à Ioue præcipitatum, falsum est, vt patet ex Pausania, & ex anonymo Homeri interprete; cuius verba sunt: δύο ῥίψεις τοῦ Ἡφαίστου. προτέρα μὲν ἡ ὑπὸ τὴν γένεσιν ὑπὸ τῆς Ἥρας. δευτέρα δὲ ἡ ὑπὸ τοῦ Διὸς διὰ τοὺς δεσμοὺς τῆς Ἥρας. Patet quoq; in hac deiectione Vulcani, non minus Seruium quam Politianum errare, quòd hic semel è cœlo expulsum Vulcanum putauit; & quod ille priorem expulsionem à Ioue factam scribit, cum Iuno expulerit. Quod autem bis expulsus fuerit Vulcanus significat Val. Flaccus lib. II. Argonauticon.

——& iam summis Vulcania surgit
Lemnos aquis, tibi per varios defleta labores
Ignipotens.——

III. Vitiosum etiam Maronem puto Ecloga extrema:
Perq; niues alium perq; horrida castra secuta est.

Credo namq; legendum *alpum*, pro *alpium*, quòd huic lectioni magis arrideat vetus lectio, & multum lepôris tribuat Virgilio: præsertim cum ipse subiiciat mox in eadem Ecloga:

Alpinas ah dura niues, & frigora Rheni
Me sine sola vides: ah ne te frigora lædant.

Trium locorum Statii Papinii correctio.

CAPVT. XLV.

NOn patiar insigne mendum residere in Statio VIII. Thebaidos, vbi de Tydeo mox perituro sic ait Ver. 704:

——Densis iam consitus hastis
Ferratum quatit vmbo nemus, tergoq; fatiscit,
Atq; humeris gentilis aper. nusquam ardua coni
Gloria, quippe apicem torua Gradiuus habebat
Cassidis; haud lætum domino ruet omen.——

Manifesta ἀκαταλληλία in his versibus. Ineptum illud *quippe* quod tamen in omnibus codicibus tam M. SS. quam vulgatis reperitur, locum turbat. Scribo & interpunctione sic iuuo:

——Nusquam ardua coni
Gloria; quiq; apicem torua Gradiuus habebat
Cassidis, haud lætum domino ruit omen.——

Quin & ipse Statius correctionem nostram probat, lib. IV. Thebaid. vbi Tydei eiusdem arma describit:

Pilaq;

Pilaq; saua manu, patrius stat casside Mauors.

Mens Statii; Martem, quem in cassìde sua pro insignibus gestabat Tydeus, dilapsum esse: quod malum omen erat.

I I. Apud eundem X. Thebaid. de Menæceo, qui pro Thebarum salute sese deuouebat, & iam festis acclamationibus in vrbem reducebatur: Hæc leguntur V. 780.

——subit agmine longo
Colla inter iuuenum, lætisq; fauoribus omni
Concinitur vulgo, Cadmum atq; Amphiona supra
Conditur.

Quid? an Statius Menæceum sepultum esse ait supra Cadmum atque Amphionem, id est, digniore loco? Illud certe significant hæc verba. Sed non potuit Menæceus condi supra Cadmum. Ille namque à Zetho & Amphione regno Thebano pulsus ad Illyrios sese contulerat, vbi Deorum miseratione & ipse, & vxor in serpentes mutati. Quid ergo? Errauit ne Statius! Nunquam factum. Imperiti alicuius mala manus est, qui cum Papinius scripsisset, *Conditor* edidit *Conditur*. Legendum itaque & distinguendum:

——lætisq; fauoribus, omni
Concinitur vulgo, Cadmum atq; Amphiona supra
Conditor, hoc est senator Thebarum.

Sic supra Statius, eidem Menæceo, cum iam sese deuotum iret, acclamatum fuisse ait:

—— tum vulgus euntem
Auctorem pacis, senatoremq; Deumq;
Conclamat gaudens, atq; ignibus implet honestis.

Enumerat hic Papinius duos vrbis Thebanæ conditores Cadmum nimirum & Amphionem, sed supra illos Menæceum hunc conditorem suum Thebani conclamabant.

I II. Idem initio Acchilleidis de se ita Phœbum alloquitur:

——Neq; enim Aonium nemus aduena pulso
Nec mea nunc vittis albescunt tempora primis.

In veteri Cod. legitur:

——primis augescunt tempora vittis.

Quod malim. *Augescunt* enim hic est, quod, maiora & augustiora redduntur.

Claudianus de III. Consul. Honorii:

Diues Hydaspeis augescat purpura gemmis.

Nam quod *anguescant* quidam hic legendum argutetur, quia instar anguium vittæ dependebant, nugas arbitror.

Theocriti Idyllia percurrimus.

CAPVT XLVI.

VEnit in manus Theocritus Bucoliographus: cuius Idylliis quid venustius? vt Dorico vtente sermone nouo, quo nihil lenius, nihil mitius. Quid rursum lepidius? vt qui pastorum graphicè ingenia effingat. Idyllio I. versu 56.

Αἰπολικόν τι θάημα, τέρας κε τὺ θυμὸν ἀτύξαι.

Legendum potius Αἰολικὸν monet Phauorinus Camers, & pluribus hic Græci Scholiastæ ἀντὶ τοῦ Καλυδωνικόν, ἡ γὰρ Καλυδὼν Αἰολὶς ἐκαλεῖτο.

Idyllio II. v. 70. Καί μ' ἁ Θευχαρίλα θρᾶσσα τροφὸς ἁ μακαρῖτις.

Hæc nutrix Thressa in vetere codice quo sum vsus Toleti Θεμαρίδα nuncupatur, & v. 127. Εἰ δ' ἄλλα μ' ὠθεῖτε: diserte ibi scriptum ἀλλά.

Idyllio III. v. 29. Οὐδὲ τὸ τηλέφιλον ποτεμάξατο τὸ πλατάγημα. Explicat, vt obscurum, Iulius Pollux lib. IX. cap. de ludis Conuiualibus, & Græca hic Scholia.

Idyllio IV. v. 28. Χὰ σύριγξ εὐρῶτι παλύνεται, ἄν ποτ' ἐπάξω.

Germanica editio ἐπάξα, vetus liber ἐπάξας.

V. 61. Καὶ πολλὰ τὰν γυναῖκα τὰν καταλάμβανεν, ἆμος ἐνάργει.

μάκτραν habet vetus noster codex.

Idyllio V. v. 27. Αἰγὸς πρωτοτόκοιο κακαὶ κυῶν δήλετ' ἀμέλγειν.

In vetere Codice reperi δήλετ' ἀμέλγω.

V. 95. Ἀσπίλον ἀπὸ πρίνοιο λεπύριον.] diserte scriptum inueni Ἀστρίον.

V. 111. Οὕτω κ' ὔμμες θέλω.] δήλω scriptus liber cum δ'. vt pro θεὸς δεὸς, ἐθέλειν ἐδέλειν.

V. 127. Ἁ παῖς ἀνθ' ὕδατος τὰν κάλπιδα κηρία βάψαι.

In membranis erat τᾶς κάλπιδι κηρία βάψαι.

Idyllio VII. v. 55. Αἰκεν τὸν Λυκίδαν ὀπτεύμενον ἐξ Ἀφροδίτας.

Illic scriptum vidi ὀπλώμενον. Moxque v. 60. ὀρνίχων erat, pro quo editur ὀρνίθων.

Idyllio XI v. 56. Αἰ μὴ στόμα λῇς· ἔφερον δέ τοι ἢ κρίνα λευκά.

Vetus Cod. ita: Αἴκα μὴ στόμα λῇς.

Idyllio XII. v. 23. Ἐσσεῖθ' ὡς ἐθέλοιτε.

Liber scriptus sic: ἔσσ' ἐθέλοιτε.

Et mox V. 28.———ὡς περὶ ἄλλων:

Ibi scriptum est περὶ ἄλλα.

Ξεῖνον ἐλημήσασθε Διοκλέα.

Sed hæc hactenus. Aliò pergamus.

Tragi-

Tragicorum Æſchyli & Sophoclis, item Ouidii loca quà emendata, quà illuſtrata.

Drama Æſchyli Γλαῦκος ποτνιεύς, ἢ πόντιος.

CAPVT XLVII.

TRagœdiæ apud Græcos tres ſuperſunt principes, ſi Euripidem addas: interciderunt tamen horum Dramata, præſertim Euripidis non pauca: quorum vix nomina ad nos peruenerunt, & nuper ἀποσπασμάτια iſtorum à ſe diligenter comportata *Th. Canterus* breui vt ſpero in apertam proferet lucem. Nos in præſens hæc damus obſeruata.

I. Æſchyli hæc adfert Valerius Harpocration in X. Græciæ Oratorum Lexico, dict. χλῆδος ex Ἀργείοις. Καὶ πολλὰ κἀγκυλητῶν, καὶ χλῆδον βαλών. Vera, Ioſ. Scaligeri ſententia, correctio eſt: Καὶ παλτὰ κἀγκυλητά, καὶ χλῆδον βαλών. P. Maro expreſſiſſe videtur, cum de ciuili ſeceſſione ait:

Iamq́; faces, & ſaxa volant: furor arma miniſtrat. 1. Æneid. 154.

Παλτὸν enim *miſſile* quoduis ſignificat: ἀγκυλητὸν vero, quod aliis, ἀγκυλωτὸν, eſt, *amentatum.* Similia colligit Victorius lib. VIII. variarum cap. 15. & addo Naſonem ac Claudianum. Ille enim in epiſt. Hypſipyles ad Iaſonem:

Qualibet iratis ipſe dat arma dolor.

Quem verſum ita in duobus Codicib. perantiquis legi:

Quodlibet ad facinus ipſe dat arma dolor.

In altero etiam Abbatiæ S. Iacobi Leodicenſis: *furor* erat ſcriptum, quod ad Virgilii ſenſum accedit propius. Item Claudianus Epigrammate XXIX. de iracundo:

In iaculum quodcunq; gerit dementia mutat:
Omnibus armatis rabies pro cuſpide ferri.
Cuncta volant, dum dextra ferox in vulnere ſæuit.
Pro telo geritur quidquid ſuggeſſerit ira.

II. M. Cicero adoleſcens, vt Plutarchus refert, poëſi in primis delectatus, *Pontium Glaucum* tetrametris luſit, quam ſua etiamnum ætate exſtitiſſe commemorat, hodie vero, ne γρῦ quidem reliquum. Æſchyli forte Tragœdiam eiuſdem tituli quam Strabo, & Athenæus citant, legerat. Nam ἐν Γλαύκῳ Ποντίῳ Græci etiam Scholiaſtæ ſæpenumero aduocant, ſed pro Ποντίῳ legendum cenſet vir eruditiſſimus Th. Canterus Ποτνιεῖ ex indice ab Aldo maiore Æſchyli Tragœdiis præfixo. Aut igitur diuerſæ Tragœdiæ ſunt, aut ſi eadem ſit duplici fortaſſe titulo, vt alias ſæpè inſcripta fuit. Sed diribitoris in morem ſuffragia colligamus. Γλαύκῳ Ποντίῳ nominauit Strabo lib. X. Geograph. Athenæus lib. III. δειπνοσοφ. Euripidis Scholia in Phœniſſis & auctor vitæ Arati in Phænomenis. Γλαύκῳ tantum inſcribit Pindari interpres in Pythiis Oda 1. Et in Phœniſſis Euripidis Gloſſematographus, & Pauſanias in Bœoticis pag. 299.

Πινδά-

Πινδάρῳ δὲ καὶ Αἰσχύλῳ πυνθανομένοις περὶ Ἀνθηδονίων, τῷ μὲν οὐκ ἐπιπολὺ ἐπῆλθεν ᾆσαι τὰ ἐς Γλαῦκον. Αἰσχύλῳ δὲ καὶ ἐς ποίησιν δράματος ἐξήρκεσε. At Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, citat Hesychius in voce ἴτηλον τὸ ἔμμονον, καὶ οὐκ ἐξίτηλον. Αἰσχύλος Γλαύκῳ Ποτνιεῖ. Aristophanis Scholia in Ranis semel, iterumque, Sophoclis item interpres in Oedipo Tyranno, eiusdem argumentum Tragœdiæ quæ Πέρσαις inscribitur. Sic enim ait: Ἐπὶ μένωνος τραγῳδῶν Αἰσχύλος ἐνίκα Φινεῖ, πέρσαις, Γλαύκῳ Ποτνιεῖ, προμηθεῖ. Scholiastes denique Euripidis in Oresten.

III. Venio ad Sophoclem, cuius Tragœdia intercidit, ab Athenæo Dipnosophista lib. XIII. adducta ἐν Ποιμέσιν, hoc ab iniuria temporum fragmentum conseruauit, itemque Harpocration in voce Νάννιον:

Ἑωθινὸς γὰρ πρὶν τιν' αὐλητῶν ὁρᾶν
Θαλλὸν, χιμαίρᾳ προσφέρων νέος πόδα
Εἶδον στρατὸν στείχοντα παρ' ἀλίαν ἄκραν.

Primo versu αὐλιτῶν reponendum: in altero vero νεοσπάδα, pro termite oliuæ, aut ramo recens auulso: vt monuit Casaub. Animaduers. Athenæi lib. XIII. cap. VI. Αὐλίτης vero est χωρίτης *rusticus* casulas & tuguriola habitans.

IV. Idem Tragicus in Τηρεῖ apud Stobæum Serm. CVI. hoc titulo:

Rerum euentus homini constanter ferendos, sic ait:

Ἀλγεινὰ, πρόκνη δῆλον, ἀλλ' ὅμως χρεὼν
Τὰ θεῖα θνητοὺς ὄντας, εὐπετῶς φέρειν.

Ad verbum hoc Q. Horatius expressit, Oda XXIV. lib. I. Carminum in P. Virgilium:

Durum, sed leuius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.

In quam sententiam, ferendum nimirum æquo animo quod mutari nequeat, Euripidem quoque sententiis refertum in Medea, & Hippolyto coronato dixisse notant interpretes.

Moschi Idyllium explanatur.

CAPVT XLVIII.

VEnusta sunt *Moschi* Siculi, & *Bionis* Smyrnæi Idyllia, nostrâ parentumque memoriâ à Theocriticis segregata. Illius est in Bionem Epitaphium. Hic versu *94.*

Πάντες ὅσοις καπυρὸν πλέθει στόμα βωκολιασταί.

Sex hi versus à Marco Masuro, homine doctissimo, quòd desiderarentur adiecti, erant integrè scripti in veteri libro, & agnoscit Ios. Scaliger, è Cod. scripto nobiliss. viri Lud. Castanei. Proximo tamen versu Εκμελισᾶν scriptum erat per ᾶ, non ῶ. Tertio item versui lucem adferent Theocriti V. *12.* & *40.* Idyllii septimi:

V. *91.*

V. 91. Οὐδὲ τόσον τὸν ἀοιδὸν ἰμύρατο Κήιον ἄστυ.

Quia hæc præteriit in Scholiis Adolphus Mekerchius Brugensis, age lucem adferamus. Liber vetus, quo sum vsus, Τήιον litteris quinque scriptum præfert, quæ patria est Anacreontis Lyrici, vt Strabo auctor est lib. XIV. Geograph. & Flaccus Oda XIV. Epodon, *Anacreonta Teium* vocat. Daniel Heinsius, Κήιον edendum curauit, vertitque Hessus:

Luget, & ipsa suo plus Ceia mœnia vate.

Laur. vero Gambara:

Insula nec Lesbos, niueis nec Cea iuuencis
Grata, suos mage deflerunt per compita vates.

Anacreontem Epitaphio Theocritus honestauit, vt & Archilochum in Epigrammatis. Quo fit vt Τήιον hîc malim. *Ceium* autem idem Strabo lib. X facit Simonidem Lyricum poetam, eiusque propinquum Bacchylidem. Vtro itaque modo legas, poetam habeas quem nominet honoris gratia Theocritus. Vnum addam: Epigrammate in Epicharmum sic legebam, aliter atque editum:

Τοὶ συνεγγύς ὄντας ἱδρύονται πελωρίως τᾷ πόλι
Οἳ ἄνδρες πολῖται
(Σωρὸν γὰρ εἶχε χρημάτων) μεμναμένοι
Τελέθει ἐπίχειρα.

In Theocrito variæ iterum scripturæ de vetere Codice.

CAPVT XLIX.

IDyllio XIII. quo Hylæ pueri raptus à Nymphis luditur, V. 15.

Αὐτῷ δ' εὖ ἕλκων ἐς ἀλαθινὸν ἄνδρ' ἀποβαίη.

In vetere Cod. quem olim in Hiberia Toleti accurate cum edito comparaui, scriptum vidimus ego & Petrus Pantinus, qui mihi tum contubernalis hærebat, ἐξέλκων.

V. 48. Πασᾶν γὰρ ἔρως ἁπαλὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν.

Vetus ille liber ἀμφεδόνησεν, ἢ ἀμφεφόβησεν: & mox V. 51.

——εἶπεν ἑταίροις

Idyllio XIV. V. 35.——ἀνειρύσασα δ' ἐπ πέπλως.] Ita Dan. Heinsius, quomodo & in scripto libro obseruaui. Alii enim edunt:

——ἀνείρυσα δ' αὐτῷ πέπλως.

Mox V. 40. pro ἀγείρειν, ἀγείρειν ibidem scriptum. Et V. 46. κίγχρημαι repperi.

Idyllio XV. V. 24. ἐν Ἀδωνιαζούσαις multa obscura sunt ac difficilia: quia dialogismus est Siculus, hoc est, acutus——Π. Ἐν ὀλβίῳ ὄλβια πάντα.

Ὧν εἶδες, χὢν εἴπας τῷ τῷ μὴ ἰδόντι.

De vetere Cod. sic sensum reddo: Omnia Ptolomæi sunt ὄλβια, ἤγουν ὀλβιώτατα (vt sit positiuus pro superlatiuo) quæ vidisti, quæ narraueris fortasse vidisse te ei qui non vidit. Multa enim narramus vidisse nos his qui non viderunt, quæ nunquam vidimus, & fingimus Midæ & Crœsi diuitias.

Mox v. 27. ——— καὶ ἐς μέσον αἰνόθρυπτε.

Scribendum per δὲ αἰνόδρυπτε veteris Cod. auctoritate, ἀπὸ τοῦ δρύπτω, τὸ ἀποξέω. Intelligendum autem Eunoam iussu dominæ aquam attulisse, sed cum vidisset heram alloquentem Gorgonem posuisse aquam in medium, prout solent frequenter famuli facere, cum intentos aliis rebus heros videnr. Tunc ergo irata domina dicit ironicè, vt capiat aquam, & iterum ponat in medium; ideoque vsurpat Prouerbium, quod solet dici in pigros & ignauos, & est, αἰνόδρυπτε αἱ γαλέαι μαλακῶς χρῄζοντι καθεύδειν.

V. 94. Μὴ φύη μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν καρτερὸς εἴη.

Sic ibidem exponitur, Quia dixerat Gorgo, πασσάμενος ἐπίτασσε, id est, *cum alueris nos, impera vt Dominus*, ideo Praxinoa ad auertendum malum omen ait; non nascatur alius qui nobis imperet, o Proserpina. Nam de vno non curo: ne mihi, ô Gorgo, malum omen nuncies. Proxime κενεὰν ἀπομάξης, Parœmia est, nata ab illo folio arboris, quo experiebantur amantes an amarentur.

V. 121. Οἷοι ἀηδονιῆες ἐφεζόμενοι, ἐπὶ δένδρῳ.

Vetus liber noster ita scriptum habebat:

Οἷοι ἀηδονιῆες ἀεξομένων ἐπὶ δένδρων.

Idyllio XVI. v. 25. Πολλὰς δ' εὖ ἔρξαι πατῶν] ῥέξαι erat pro ἔρξαι, & inf. v. 33. Φυλὴν pro Δαλὴν ἐκ πατέρων, &c.

Idyllio XVIII. v. 19. ——— βαρὺς θεὸς αἰολολήτας.] Vetus liber αἰολομίτραις præfert.

Idyllio XVIII. v. 6. Μναστήσατ' Ἑλέναν ὁ νεώτερος Ἀτρέος υἱός.

Scriptum erat Μναστεύσας, & superiori versu alibi editum κατίλιξαν, sed vetus liber κατεκλάξαν.

Idyllio XX. v. 39. Κάτμιον αὖ ναπόλος ἦλθε, καὶ εἰς ἕνα παιδὶ καθεῦδε.

Manuscriptus Cod. vetus, εἰς ἓν παιδὶ præfert.

Idyllio XXVIII. v. 2. Γυναιξὶ νόος. Aliter πόνος. Et V. 21. pro ἱεραπεναι scriptum vidimus ἱερόν.

Obseruatum & illud Idyllio IV. quod ait:

Χ' ὠ Ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ' ὕει.
Nunc pluit, & claro nunc Iuppiter æthere surgit.

Hesiodia est imitatio:

Ἄλλοτε μητρυιὴ πέλει ἡμέρα, ἄλλοτε μήτηρ:
Ipsa dies quandoq; parens, quandoq; nouerca est.

Cointus Smyrnæus lib. VIII. ὑφ' ἄλλων. sic expressit:

Ἄλλοτε μὲν τὶ φίλη πέλει ἠώς, ἄλλοτε δ' ἐχθρή.

Theo-

Theocrito de vetere Codice adiecta non pauca.

CAPVT L.

NACTVS olim virgula quadam diuina, Toleti Carpetanorum cum degerem, veterem Theocriti librum calamo exaratum, nihil duxi antiquius, quam vt vnà cum Pet. Pantino, eruditissimo Belga, conferrem, atque componerem, ad Germanicam, qua vtebar, editionem. Ecce tibi statim in limine plura, melioraque in eo chirographo de Theocriti genere occurrebant. Rectius enim ibi quam in editis: Ἀκουστὴς δὲ γέγονε Φιλητᾶ, ὡς Ἀσκληπιάδης μνημονεύει. Pro quo in vulgus editum: Ἀκουστὴς δὲ γέγονε Φιλητάδου, καὶ Ἀσκληπιάδου ὧν μνημονεύει. Sed hic *Philetas*, Doricè significatur; Ptolemæi regis etiam magister, poeta Elegiacus. Mox amplius de ætate, qua floruit poeta sub Ptolemæis, hæc cum gaudio repperi, quæ in editis libris desidero. Duplicem enim Doricam agnoscit dialectum veterem, & nouam, quomodo & duplex olim Academia fuit. Locum apponere non pigebit, vt in suum quisque codicem harum rerum studiosus referre queat: Ἐγένετο δὲ ἰσόχρονος τοῦ τε Ἀράτου καὶ Καλλιμάχου καὶ τοῦ Νικάνδρου. Ἐγένετο δὲ ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου Φιλαδέλφου. Κέχρηται δὲ Ἰάδι διαλέκτῳ καὶ Δωρίδι τῇ νέᾳ. δύο γάρ εἰσι, παλαιὰ καὶ νέα. Καὶ ἡ μὲν παλαιὰ τραχεῖά τις ἐστὶ καὶ ὑπέρογκος, καὶ οὐκ εὐνόητος: ἡ δὲ νέα, ᾗ καὶ Θεόκριτος χρῆται, μαλθακωτέρα, τῆς δὲ τοῦ Ἐπιχάρμου, καὶ Σώφρονος. Οὐ μὴν ἀπολιμπάνεται καὶ Αἰολίδος. In extremo verò opere hæc Epigrammatis adscripta ἀνέκδοτα hactenus vetus ille Codex continebat, quæ posteritati ferre expensa placuit:

Ἀρτεμιδώρου Γραμματικοῦ

Βουκολικαὶ Μοῖσαι σποράδες ποκά. νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
Ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Ἄδηλον εἰς βουκολικήν.

Ὥσπερ σκύφος γάλακτος, ἢ καὶ κισσύβιον
Ἡ βουκολικὴ πᾶσιν ἔγκειται βίβλος.
Τοὶ γὰρ ῥοφῶμεν οἱ θέλοντες τὸν λόγον
Στόμασι λάβροις, εἰ κελεύουσι φρένες.

De Vocibus animalium variè disputatum. Glossarium vetus bis castigatum, & Nasonis nomine Idyllium euulgatum, sæpius correctum.

CAPVT LI.

VT sermone hominis ingenium moresque noscuntur; ita & animantium rationis expertium naturam varietatemque sono discernere vel cæco

N 2 licet;

licet: vt quæ in aere librantur volucrum genera, quæque terra gradiuntur brutorum formæ. (Pisce etenim in aqua degente nihil est, vetere verbo, magis mutum.) Hos animantium sonos Græci Latinique iuxta paulo accuratius nominibus inde fictis ac conformatis expresserunt. In his Peripateticæ princeps Philosophiæ lib. IV. Hist. animal. in quem locum dum Criticorum huius æui Princeps Isaacus Diatribam, quam pridem promisit, exhibeat, adhuc patienter exspectamus. Interea loci minuta hæc duo in gazophylacium conferamus. M. Varro, Romanæ linguæ longe acutissimus Censor, sit in Aboriginibus: *Mugit bos: ouis balat: equi hinniunt: gallina pipit: grunnit sus. Lepido lacte satur mola mactatur porcus.* Et Dionysius Halicarnasseus lib. *de Verborum collocatione* de vocibus ita differens:

Μεγάλη τούτων ἀρχὴ καὶ διδάσκαλος ἡ φύσις, ἡ ποιοῦσα μιμητικοὺς ἡμᾶς καὶ θετικοὺς τῶν ὀνομάτων, οἷς δηλοῦται τὰ πράγματα, κατά τινας εὐλόγους καὶ κινητικὰς διανοίας ὁμοιότητας. ὑφ' ὧν ἐδιδάχθημεν ταύρων τε μυκήματα λέγειν, καὶ χρεμετισμοὺς ἵππων, καὶ φρυαγμοὺς τράγων πρός τε βρόμον καὶ πάταγον ἀνέμων, καὶ συριγμὸν κάλων, καὶ ἄλλα τούτοις ὅμοια παμπληθῆ, τὰ μὲν φωνῆς μιμητικά, τὰ δὲ μορφῆς, τὰ δὲ ἔργου, τὰ δὲ πάθους, τὰ δὲ κινήσεως, τὰ δὲ ἠρεμίας, τὰ δὲ ἄλλου χρήματος ὁτουδήποτε, περὶ ὧν εἴρηται πολλὰ τοῖς πρὸ ἡμῶν. *Magnum horum principium magistraque natura est ad nomina effingenda, quibus res decora quadam similitudine animum commouente significentur. Quibus edocti sumus dicere, tauri mugitum, hinnitum equorum, hirci fætorem: adhac fremitum ventorum, sibilum rudentum, & horum similia quamplurima, quæ partim sonum effingunt, partim formam, partim opus, partim affectiones: motum alia & quietem, vel quid simile: de quibus multi veterum multa.* Quod hic Dionysius συριγμὸν κάλων, dixit, si recte locus habet, expressit Maro noster I. Æneid.

Insequitur clamorque virûm stridorque rudentum.

Antonium quoque Getam Aelius refert Spartianus solere Grammaticis id genus quæstiones proponere, vt dicerent singula animalia quomodo vocem emitterent: velut, *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt.* Auctor verò Philomelæ falso Nasoni adscriptæ nimisque deprauatè editæ, sic quidem in editionibus habet:

Et Barrus barrit: cerui glocitant, & onagri:
Ast taurus mugit, & celer hinnit equus.

Verum in membranis longe vetustissimis ita legitur:

Et Barrus barrit: cerui clocitant: equus hinnit:
Ast taurus mugit, & mugilant onagri.

Emendandum in hac ipsa re semel iterumque vetus Glossarium ᾿Ελαφος κράζει *Bardit, rugit*, repone me auctore Ελέφας κράζει *Barrit*, & post non longe Ελέφας: Elefantus Vocliua, barrus emenda Bos Luca. Lucas enim boues elephantes dictos correctus Lactantii & Claudiani Mameri locis docui. Nodis Ciceronia-

ronianis lib. 1. cap. 18. quæ non repeto: Verum poëmation ἄδηλον de animantium vocibus hominis vt in extremo apparet Christiani, quia deprauatum nimis exstat, adscribam, vt in antiquissimis repperi membranis; & quæ variant litterarum diuersitate distinguenda curauimus. Initio pauciores esse versus deprehendes.

SCRIBERE me voces auium Philomela coëgit,
Quæ cantu cunctas exsuperat volucres.
Nam Philomela canit vocum discrimina mille,
Et cantare simul nocte dieq; potest.
Parrus enim quamuis per noctem tinnitet *omnem,*
Vox eius *nulli iure placere potest.*
Dulce pelora *sonat, quam dicunt nomine* droscam;
Sed fugiente die nempe quieta silet.
Et merulus modulans fat pulcris tinnitat odis,
Nocte ruente tamen cantica *nulla* canit.
Voce calente nouos componit acredula cantus,
Matutinali tempore rurilulans.
Et turdus truculat: *sturnus tunc* pusitat *ore:*
Sed quod mane canunt, vespere non recolunt.
Cacabat hinc perdix: hinc graccitat *improbus anser:*
Et castus turtur, atq; columba gemunt.
Plausitat arborea resonans *de fronde palumbes:*
In fluuiisq; natans ore tretinnit *anas.*
Martia grus gruit, ast cycni *prope flumina drensant:*
Accipiter pipat, miluus hiansque lipit.
Cucurrire solet gallus, gallina cacillat:
Pululat at *pauo,* trissat *hirundo vaga.*
Clangunt porro *aquilæ; vultur pulpare probatur:*
Et crocitat coruus, fringulit & graculus.
Glocterat *immenso de turre ciconia rostro:*
Pessimus at passer solstitia recolit.
Psittacus humanas depromit voce loquelas,
Atque suo Domino χαῖρε sonat, vel Aue.
Pica loquax varias concinnat gutture voces,
Scurrili strepitu quidquid & audit, ait.
Et cuculi cuculant, & rauca cicada fritinnit.
Bombilat ore legens munera mellis apes.
Bubilat horrendum ferali murmure *bubo;*
Humano generi tristia fata ferens.

licet: vt quæ in aere librantur volucrum genera, quæque terra gradiuntur brutorum formæ. (Pisce etenim in aqua degente nihil est, vetere verbo, magis mutum.) Hos animantium sonos Græci Latinique iuxta paulo accuratius nominibus inde fictis ac conformatis expresserunt. In his Peripateticæ princeps Philosophiæ lib. IV. Hist. animal. in quem locum dum Criticorum huius æui Princeps Isaacus Diatribam, quam pridem promisit, exhibeat, adhuc patienter exspectamus. Interea loci minuta hæc duo in gazophylacium conferamus. M. Varro, Romanæ linguæ longe acutissimus Censor, sit in Aboriginibus: *Mugit bos: ouis balat: equi hinniunt: gallina pipit: grunnit sus. Lepido lacte satur mola mactatur porcus.* Et Dionysius Halicarnasseus lib. *de Verborum collocatione* de vocibus ita differens:

Μεγάλη τέτων ἀρχὴ καὶ διδάσκαλος ἡ φύσις, ἡ ποιοῦσα μιμητικοὺς ἡμᾶς καὶ θετικοὺς τῶν ὀνομάτων, οἷς δηλοῦται τὰ πράγματα, κατά τινας εὐλόγους καὶ κινητικὰς διανοίας ὁμοιότητας. ὑφ' ὧν ἐδιδάχθημεν ταύρων τε μυκήματα λέγειν, καὶ χρεμετισμοὺς ἵππων, καὶ φρυαγμοὺς τράγων πρός τε βρόμον καὶ πάταγον ἀνέμων, καὶ συριγμὸν κάλων, καὶ ἄλλα τούτοις ὅμοια παμπληθῆ, τὰ μὲν φωνῆς μιμητικά, τὰ δὲ μορφῆς, τὰ δὲ ἔργου, τὰ δὲ πάθους, τὰ δὲ κινήσεως, τὰ δὲ ἠρεμίας, τὰ δὲ ἄλλου χρήματος ὁτουδήποτε, περὶ ὧν εἴρηται πολλὰ τοῖς πρὸ ἡμῶν. Magnum horum principium magistraque natura est ad nomina effingenda, quibus res decora quadam similitudine animum commouente significentur. Quibus edocti sumus dicere, tauri mugitum, hinnitum equorum, hirci fœtorem: adhac fremitum ventorum, sibilum rudentum, & horum similia quamplurima, quæ partim sonum effingunt, partim formam, partim opus, partim affectiones: motum alia & quietem, vel quid simile: de quibus multi veterum multa. Quod hic Dionysius *συριγμὸν κάλων*, dixit, si recte locus habet, expressit Maro noster I. Æneid.

Insequitur clamorque virûm stridorque rudentum.

Antonium quoque Getam Aelius refert Spartianus solere Grammaticis id genus quæstiones proponere, vt dicerent singula animalia quomodo vocem emitterent: velut, *Agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, vrsi sæuiunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt.* Auctor verò Philomelæ falso Nasoni adscriptæ nimisque deprauatè editæ, sic quidem in editionibus habet:

Et Barrus barrit: cerui glocitant, & onagri:
Ast taurus mugit, & celer hinnit equus.

Verum in membranis longe vetustissimis ita legitur:

Et Barrus barrit: cerui clocitant: equus hinnit:
Ast taurus mugit, & mugilant onagri.

Emendandum in hac ipsa re semel iterumque vetus Glossarium Ἐλέφας κράζει *Bardit, rugit*, repone me auctore Ἐλέφας κράζει *Barrit*, & post non longe Ἐλέφας: Elefantus Vocliua, barrus emenda Bos Luca. Lucas enim boues elephãtes dictos correctis Lactantii & Claudiani Mameri locis docui, Nodis Ciceronia-

ronianis lib. 1. cap. 18. quæ non repeto: Verum poëmation ἀδήλου de animantium vocibus hominis vt in extremo apparet Christiani, quia deprauatum nimis exstat, adscribam, vt in antiquissimis repperi membranis; & quæ variant litterarum diuersitate distinguenda curauimus. Initio pauciores esse versus deprehendes.

SCRIBERE me voces auium Philomela coëgit,
Quæ cantu cunctas exsuperat volucres.
Nam Philomela canit vocum discrimina mille,
Et cantare simul nocte dieq́ potest.
Parrus enim quamuis per noctem tinnitet *omnem,*
Vox eius *nulli iure placere potest.*
Dulce pelora *sonat, quam dicunt nomine* droscam;
Sed fugiente die nempe quieta silet.
Et merulus modulans sat pulcris tinnitat odis,
Nocte ruente tamen cantica *nulla* canit.
Voce calente nouos componit acredula cantus,
Matutinali tempore rurlulans.
Et turdus truculat: *sturnus tunc* pusitat *ore:*
Sed quod mane canunt, vespere non recolunt.
Cacabat hinc perdix: hinc graccitat *improbus anser:*
Et castus turtur, atq; columba gemunt.
Plausitat arborea resonans *de fronde palumbes:*
In fluuiisq; natans ore tretinnit *anas.*
Martia grus gruit, ast cycni *prope flumina drensant:*
Accipiter pipat, miluus hiansque lipit.
Cucurrire solet gallus, gallina cacillat:
Pululat at *pauo,* trissat *hirundo vaga.*
Clangunt porro *aquilæ; vultur pulpare probatur:*
Et crocitat coruus, fringulit & graculus.
Gloctorat *immenso de turre ciconia rostro:*
Pessimus at passer solstitia recolit.
Psittacus humanas depromit voce loquelas,
Atque suo Domino χαῖρε sonat, vel Aue.
Pica loquax varias concinnat gutture voces,
Scurrili strepitu quidquid & audit, ait.
Et cuculi cuculant, & rauca cicada fritinnit.
Bombilat ore legens munera mellis apes.
Bubilat horrendum ferali murmure *bubo;*
Humano generi tristia fata ferens.

Strix nocturna sonans, & vespertillio stridunt:
Noctua lucifuga cucubat in tenebris.
Ast vlulant vlulæ, lugubri voce canentes:
Inq; paludiferis butio buttit *aquis.*
Regulus atq; merops, & rubro pectore Progne,
Consimili modulo tintinulare *sciunt.*

Quadrupedum quoq; nunc audi discrimina vocum,
Quæ retinent voces, sunt vt eis species.
Tigrides indomitæ raccant, *rugiuntq; leones:*
Panther caurit amans: pardus hiando felit.
Lynces candofremunt; Vrsus nec non ferus vncat:
Porro lupus vlulat, *frendet agrestis aper;*
Et barrus barrit: cerui clocitant, equus hinnit:
Ast taurus mugit, & mugilant onagri.
Quiritat verres setosus; & oncat asellus:
Braterat ast *aries, & pia balat ouis.*
Sordida sus subigens ruris per gramina grunnit.
At micere *capris hirce petulce soles.*
Porro *canis latrat, fallax vulpecula gannit:*
Glutinat *& catulus: at lepores* vagiunt
Mus auidus mintrit: *velox* mustecula drindit.
Et grillus grillat, desticat inde sorex.
Nempe *venenosus serpendo sibilat anguis;*
Garrula limosis rana coaxat aquis.
Has volucrum voces descripsi, quadrupedumq;,
Quas natura illis grata parens tribuit.
Sed cunctas species animantum nemo notauit
Atq; sonos ideo dicere quis poterit?
Cuncta tamen Domino depromunt munera laudum,
Seu semper sileant, nocte dieue canant.

Mimnermi correcta apud Stobæum Elegia & carmine Lat. reddita.

CAPVT LII.

Mimnermus Elegiographus elegans patria Colophonius olim in delitiis ipsis etiam Poëtis, vt Propertio lib. 1. Eleg. 9. cuius hoc extat elogium:

Plus in amore valet Mimnermi versus Homero.

Et Horatius epist. ad Numicium:

Si Mimnermus vti censet, sine amore iocisq;
Nil est iucundum——

Memi-

Meminit eius Pausanias in Bœoticis, Strabo lib. XIV. Geog. Athenæus lib. XIV. XV. & XVI. & Plutarch. περὶ ἠθικῆς ἀρετῆς.

In huius dum forte apud Io. Stobæum elegantem de humanæ vitæ miseria Elegiam incidissem, vertendi cepit cupiditas. Extat ea sermone Stobæi XCVI. περὶ τοῦ βίου ὅτι βραχὺς καὶ εὐτελὴς, καὶ φροντίδων ἀνάμεστος, vbi versu 2. pro αἰψ' αἰψ muto, & disticho quinto syllabam superantem deleui:

Ἡμεῖς δ' οἷα τε φύλλα φύει πολυάνθεμος ὥρη
Ἦρος, ὅτ' αἶψ' αὐγῇ αὔξεται ἠελίου,
Τοῖς ἴκελοι πήχυον ἐπὶ χρόνον ἄνθεσιν ἥβης
Τερπόμεθα, πρὸς θεῶν εἰδότες οὔτε κακὸν,
Οὔτ' ἀγαθόν, Κῆρες δὲ παρεστήκασι μέλαιναι,
Ἡ μὲν ἔχουσα τέλος γήραος ἀργαλέου,
Ἡ δ' ἑτέρη θανάτοιο. μίνυνθα δὲ γίνεται ἥβης
Καρπὸς ὅσον τ' ἐπὶ γῆν κίδναται ἠέλιος.
Αὐτὰρ ἐπὴν δὴ τοῦτο τέλος παραμείψεται ὥρης,
Αὐτίκα τεθνάναι βέλτιον ἢ βίοτος.
Πολλὰ γὰρ ἐν θυμῷ κακὰ γίνεται, ἄλλοτέ θ' οἶκος
Τρυχοῦται. πενίης δ' ἔργ' ὀδυνηρὰ πέλει.
Ἄλλος δ' αὖ παίδων ἐπιδεύεται, ὧν τε μάλιστα
Ἱμείρων κατὰ γῆς ἔρχεται εἰς ἀίδην.
Ἄλλος νοῦσον ἔχει θυμοφθόρον, οὐδέ τίς ἐστιν
Ἀνθρώπων ᾧ μὴ Ζεὺς κακὰ πολλὰ διδῷ.

Hos sic olim amicus noster Ioan. Leuinius, vir eruditiss. Latino carmine reddidit:

Qualis vbi reducis creuerunt lumina Solis
Vere nouo frondes trudit amœna dies,
Haud aliter minimum lætamur flore iuuentæ,
Ignari læua, an prospera fata trahant.
At furuo circum geminæ stant limine Parcæ,
Hinc senii languens finis inerte situ:
Crudele hinc fatum. cedit tantumq; iuuentæ
Quot Sol in terras itq; redit vices.
Quæ postquam leti diffugit temporis ætas,
Tum mihi vel vita mors sit amica magis.
Namq; animum vexant curæ afflictiq; Penates,
Ingratum & vitæ pauperis vrget opus.
Optantem natos illum carosq; nepotes
Excipit inferni pallida Ditis aqua.
Huic mentem frangunt morbi: neq; præterit vllum.
Cui non Diuorum det mala multa pater.

In

In Heroidum Nasonis Epistolis illustrata non pauca: & De NVCE poematio: ac deniq; in Claudiano.

CAPVT LIII.

P. Ouidium, elegantem quidem poëtam, iudicio tamen in optimis amplectendis sæpe deficientem Seneca vterq; pronunciare, Rhetor parens, & in Naturalib. Quæstionib. lib. III. filius Stoicus, hoc est, seuerus Philosophus non dubitant. Ego verò illud addo: cum in eius fœcundi ingenii lusibus cæteris fortassis æqualibus fecerit satis, in Heroïdum Epistolis seipse vicisse ac superasse merito videri queat. Has dum olim animi laxandi adolescens lego, & comparo cum antiquis duobus agri Leodicensis ab amico Papio oblatis exemplaribus, hæc de multis, quæ chartæ insererem, obseruabam.

I. Ad Paridem Oenones epistola sic inibi inchoabatur, aliter atq; in editis libris vulgaribus, quos quidem viderim:

Nympha suo Paridi: quamuis meus esse recuses,
Mittit ab Idæis verba legenda iugis.

II. Hypsipyle Iasoni:

Viuit, ait: timidumq; mihi iurare coëgi.

In duobus codd.

Viuit, ait: timide quod ait iurare coegi.

Et mox narratis gigantibus è serpentis dentibus terra exsistentibus:

Detegit ingenio vulnera facta tuo. Ibi scriptum, *vuln. nostra suo.*

III. Dido Æneæ: hæc amplius quam in Gryphianis editionibus quibus tum vtebar, repperi:

Vror, ut inducta carata sulfure tæda:
Vt pia fumosis addita thura rogis.
Aeneas oculis vigilantis semper inhæret:
Aeneamq; animo nocte dieq; refert.

Post non longe:

Non ego sum tanti, quamuis merearis, inique,
Vt pereas ——— dimittis inique, est in membranis. Et mox:

Nec mihi tu curæ: In vtroq; libro scriptum est ad hunc modum, iteratione venusta:

Nec mihi parcatur: puero parcatur Iülo.

IV. Ariadne Theseo:

Aut vidi, aut certe quia me vidisse putaui:

Elegantius ibi:

Aut vidi aut fuerant quæ me vidisse putarem.

Et alte-

Et altera post pagina:

Strataq; Cætaam bellua strauit humum.

Vox hic male repetita, lege de membranis, *tinxit*, vel *tinget humum.*

V. Paris Helenæ.

Vt tulit Hippomenes Scheneïda præmia cursus,
Quæ propero cursu vicerat ante procos.

Aliud longè in vtroq; M. S. legi:

Venerat in Phrygios Hippodamia sinus.

VI. Leander ad Hero:

Luna mihi tremulum lumen præbebat eunti.

Verius ibi & concinnius:

Luna freto tremulum ----

VII. Hero Leandro.

Interea lumen, posito nam scribimus illo,
Stertuit, & nobis prospera signa dedit.

In vtroq; quidem libro *stertuit* erat, sed supra scriptum, *strepitum dedit.* Vnde colligo reponendum esse *sternuit.* Ominis enim loco sternutatio fuit habita priscis hominibus, teste Catullo & Apuleio.

Mox ibidem:

Arte laboratæ ineuntur ab æquore naues.

In duobus libris est:

——— merguntur ab æquore puppes.

VIII. Cydippe Acontio: Eius hoc principium in membranis, non vulgatis desideratum:

Littora peruenit tua quò consueuit Aconti,
Et pæne est oculis insidiata meis.
Pertimui, scriptumq; tuum ———

In elegia eleganti *de Nuce*, in quam & Desiderius scribere, & Thomæ Mori omni tyrannide maioris liberis mittere, vt his tanquā nucibus luderent, non erubuit: hæc obseruata videre graue ne sit: non procul ab exordio:

Nunc vterus vitio est, quæ vult formosa videri.

In membranis lego:

Nunc vterus vitis, qua vult formosa videri.

Et in extremo:

Et crimen vox est inficiata suum.

Liber antiquus:

Crimen vt est vxor inficiata suum.

Motoriam agimus fabulam, & desultores sumus. In Claudiano æui longe posterioris hæc occurrebant, Panegyri in IV. consulatum Honorii Augusti vers. 54.

Flauaq; Bistonios reperirent agmina campos.

In duobus membraneis, qui olim fuerunt Iac. Susii, hominis in Belgio litterati ac nobilis, *operirent* rectius legas. Et infra in V. 214.

Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset
Care puer——

Ibidem *Natura dedisset* erat scriptum: vt mox V. 280. eidem:

Quæ tibi iam natura dedit.

Valerii Flacci Argonauticôn liber primus percurritur.

CAPVT LIV.

VEnit in manus Poëta è Græco Apollonio & Orpheo, quantus est, concinnatus. Comparabimus itaq; cum Græcis, vt par est, interdum. Libro I. in Heroum, qui Argo conscenderunt, catalogo:

Versu. 51. *Si mihi quæ quondam vires: Vel pendere pœnas*
Colchida iam & Regis caput hic atq; arma videres:
Olim annis ille ardor hebet:——

Duo hic obseruo. Primo versu interpunxi, quia ἀποσιώπησις seu Reticentia est pro, Vel pœnas luisset Æetes, vel occubuisset; Vt Maronis illud: *Quos ego: sed motos præstat componere fluctus:* & Comicus: *Quem ego si sensero.* *Olim-ardor* per ὑφὲν coalescere potest, vt apud eundem Virgilium: *ante-malorum*, & Terentium: *semper-lenitas*, & Propertium, *semper-amicitia*, similiaq; plurima alibi à nobis, in his etiam libris, & Tullianis Nodis collecta.

V. 68. ——*aut curru vt sæuos frenasse dracones*
Creditus, ignaras Cereris qui vomere terras
Imbuit, & flaua quercum damnauit arista.

Ita edit, defenditq; Lud. Carrio I.C. Brugensis. Malim tamen

——*aut curru sæuos frenasse dracones*
Triptolemi——

Nota de dentibus draconis sparsis fabula, & Gigantibus hinc existentibus. Ouidius:

Nunc ego Thriptolemo cuperem conscendere currum.

V. 94. *Moliri hunc puppem iubet, & demittere ferro*
Robora, Peliacas & iam comes exit in vndas.

Cum Ant: Sabellico *vmbras* lego, pro silua vmbrosa: vt Claudianus de bello Getico, Palladem ait vna fecasse Argo naui conficiendæ arbores; V. 15.

——*ipsamq; secundis*
Argois trabibus iactent sudasse Mineruam.

Et

Et Seneca Tragicus in Hippolyto:
Item in Medea, Actu II. Ver. 365. ---*non Palladia*

Compacta manu regum referens
Inclyta remos quaeritur Argo.

Sic & Flaccus supra paulo V. 23.

------illius omnes
Ionium quicunq; petunt. ------

Amnes malo, quam *omnes*: vt & Sil'us Italicus lib. III. belli Punici V. 41. emendandus; vbi *omnis* editur; mea sententia, de Acheloo:

Centauri, frontemq; timet minor amnis Acarnan.

V. 355. ------*Celer Asterion quem matre carentem*
Cristatus gemino fouit pater amne Cometes,
Segnior Apidani vires vbi sentit Enipeus.

Sic Carrio edendum curauit. *Cristatus* de veteri, vt ait, codice: sed Laur. Balbus, homo Hispanus, qui Compluti, Balbo huic bonam nauauit operam, *Cretaeum* tuetur contra Maserium, qui *Clenaeum* supposuit: etsi *Clenaei* Apollonius meminit lib. I. V. 37. vt & fluminis huius Enipei v. 35. Sed Annaeus Lucanus *celerem* lib. VI. nominat: vt *irrequietum* Naso, primo Metamorph. qui hic *segnior* appellatur, cum solus fluit.

Apidanus, nunquamq; celer nisi mistus, Enipeus.

Duplicem Strabo agnoscit, Thessaliae, ac Peloponnesi: qui fluuii Apollonio lib. I. V. 35. ------Ἀπιδανός τε μέγας, καὶ δῖος Ἐνιπεύς.

Mox etiam V. 365. *Euphemum* à Balbo vocari video, qui *Polyphemus* est eidem Apollonio V. 179.

V. 376. *Iuuit & Amphidamos: at frater plenior actu,*
Maluit Ancaeo vellus contingere Phrixi.

De Lycurgo sermo est. Legerim itaq; ---*plenior annis*, auctoritate eiusdem Apollonii lib. I. Argon. V. 165. τῶν ἄμφω γνωτὸς προγενέστερος. Altero versu *Ancaeon* legit tueturq; Laur. Balbus. Turnebus vero *Ancaeo*, lib. 21. Aduersariorum cap. 28. nam editur plerumq; *Anchaeos*: Turnebi interpretationem assequi se posse negat Carrio, cum *Ancaeo* sit dictum pro, *per* Ancaeum filium.

V. 412. *Pelias immissus patrios de vertice crines.*

Describit hunc Orpheus in Argonauticis v. 194.

------Ἄμωμον ἔχοντα δέμας, καὶ ἐπίφρονα μῆτιν.

V. 434. *Ostenditq; humeros fortes, spatiumq; superbi*
Pectoris Herculeis aequum Meleagre lacertis.

Ex Apollonio quoq; lib. I. V. 398. desumtum: de Meleagro Calydonii apri domitore: ------οὗ δ' εἶναι φερώτερον ἄλλον ὀΐω.
Νόσφιν γ' Ἡρακλῆος ἐπελθέμεν. εἰ κ' ἔτι μοῦνον
Αὖθι μένων λυκάβαντα μετατραφθῆ Αἰτωλοῖσιν.

Non illo virtute alius præstantior heros,
Te magno Ioue nate Deo Tyrinthie præter,
Venit, Zodiaci modo Sol dum lustrat in orbe
Ætolas inter patriis mansisset in agris.

In Claudiano Poeta variantes aliquot scripturæ è membranis selectæ. Mediolanum. Hamare. *Correctus & Paulinus.*

CAPVT LV.

INcidi nuper aliud agens in iuueniles nostras in Claudianum minime malũ poëtam, vt illa ferebant tempora, obseruationes de veteribus duobus excerptas codicibus perantiquis. Plura enim exspectamus à viro doctiss. Barthol. Morlanio Cæsar-Augustano Iureconsulto, amico singulari, qui in Poëtam illum meditatur non vulgaria. Igitur Panegyri in sextum Honorii Aug. Consulatum, Versu 453.

Mox & per Latium stellarum more videbam
Barbaricos ardere focos———

In membranis vetustis aliter lego:

Nox erat, & latè stell. more videb.

V. 500. *Latio hinc fano recipit fortuna vetusto,*
Despiciturq́ vagus prærupta valle Metaurus.

Legendum arbitror *Fano recipit Fortuna.* vt *Fanum Fortunæ* seu *Fanensis* ciuitas intelligatur, de qua C. Plinius lib. III, Natural. hist. cap. XIV.

V. 548. ——*& in hunc sibi prospera fata*
Gratantur durasse diem——*fati* est in vtroq; nostro codice quod & in suis reperisse annotat doctissimus Faber semestrium lib. II. cap. XXV.

De Mallii Theodori Consulatu, V. 101.

——*quæ vis animauerit astra*
Impleritq́ choros———

Libri tres antiqui: *Impuleritq́ choros.*

V. 161. ———*similem quæ pertulit ætas*
Consilio vel Marte virum?

In membranis duplicibus *protulit* est longe concinnius. Mox v. 195. est *confectos hostes* pro consertos: Vtrumq; rectum. nam & *manu-consertum* in Legib. decemuiralibus legas, & Q. Ennio. v. 220.

V. 220. *Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.*

In trib. libris scriptum video, *nec verba reposcis.* Et mox pro *murmure, robore* ibidem. Statimq; *lapsisq́ minentur Pontibus*: in trib. codd. *lassisq́* est.

Libro

Libro I. de laudibus Stiliconis: vers. 156.

——heic crine decoro

Armenius——cum crine decoris Armeniis, in duob. libris legitur.

Et statim:

Hic Rhodani procera cohors, heic miles alumnus
Oceani——

Pro *Alumnus* in quatuor libris est *Alanus*. Mox v. 184.

AEgra caput mediis erexit Gracia flammis.

In membranis tribus, *campis* est.

Libro II. v. 119.

Deniq; non diuis sub te pro rure paterno
Vel laribus pallet: non insidiator oberrat.

Alibi sic interpungitur:

——pro rure paterno
Pallet, vel laribus non insi. oberrat.

V. 135. *Blanda quidem vultu.*

Vultus est in membranis, & v. proximo *fuscata*, pro *fucata*.

V. 171. de Amphione:

——quibus haud Amphiona quisquam
Praeferat Aonios meditantem carmine muros.

In quatuor Codd. constanter est: *Aonias——Musas*. Vt mox v. 185. *optant* rectius quam *aptant*.

Scitum votum illud:

Si mihi sint linguae centum, sint oraq; centum,
Ferrea vox.

V. 196. *Agnoscit causas.* Rectum est *caulas*: etsi Aldina editio *casas* praeferat.

Et sequ. versu malim è duobus libris *non credit*, quam *cedit*. Terrae enim semina credit agricola.

V. 276. *——tremit ore corusco Tam domus.*

Orbe corusco, scilicet clypei, in IV. libris calamo exaratis scriptum video.

Et inf. v. 290.

Sub iuga quo gentes captiuus Regibus egit

egit in iisdem animaduerto.

Libro III. v. 86.

Imperat, & spectant aquila decreta Senatus.

Libri duo membranei, *exspectant*.

Et statim: ——*hac vltro fastos ornare coegit*.

Ibidem *fasces* lego.

V. 356. *Tyrrhenas fetus Libycos amplexa per vndas.*

O 3 In duo-

In duobus pro *amplexa,adnixa* scriptum est;in totidem, *adnexa.*

Mox V. 360. pro *Tyrrhenaq. Nereus*, lego *terrenaq.* auctoritate codicum quinque.

Panegyri extrema de Probini & Olybrii fratrum Consulatu, ver. 224.

Palla graues humeros velat, quam neuerat vxor
Illi percurrens vitreas sub gurgite telas.

In antiquissimo Codice scriptum repperi: *quam neuerat vxor*
Ilia, percurrens.

Oda II. versu 14. Repono de quatuor codicibus:

Resonet Quirite Thybris, non *Quirine.*

Et statim versu quarto sic:

Procul audiant Iberi
Fluit inde(vel, *vnde*)*semen aula.*

Et V. 25. *vineta*, pro *vireta.*

De nuptiis Honorii, V. 133.

Aegaas seu frangit aquas——

Ogygias pro *Aegaas* in membranis tribus.

Ver. 156. *Hispida tendebat bifido vestigia cornu.*

In membranis est:

Aspera tentabat. Et V. 160.

Audito Tritone feris——*rumore*, est in libris duobus, pro *Tritone.*

Ver. 182. Mediolanum designans, eiusque originem:

——*ad mœnia Gallis*
Condita, lanigera suis ostentantia pellem.

Mediolanum enim dictum auctor est B. Ambrosius, à dimidia sue lanata, cum eius vrbis fundamenta Galli iacere vellent, effosso solo reperta. Plura And. Alciatus Iureconsultus egregius etiam in Emblematis, aliique de patria prodiderunt: quæ non sollicito.

V. 196. *Molle lyra festumq. canunt*
faustumq. canunt. Et mox melius:
Confundat turba proceres: rectius quam *Confundant.*

Et statim V. 209. rectius:

Contendat: pars nectareis conspergere tecta
Fontibus.

V. 267. *Quam vincto leuiter sese discrimine confert*
Vmbra supercilii?

Quam iuncti, est in duobus, in vno *iuncto.*

V. 292. ——*& notos hinnitu flagitat amnes*
Naribus accensis.——

In membranis quinis: *flagitat ignes Naribus accensus.*

In lau-

In laude Serenæ Reginæ, vxoris Stiliconis, v. 87.

Vbera prima dabant gremiis redolentibus aura.

Legendum censeo omnino *Horæ*, pro *curæ*; quo & ipsæ Deæ, vt norunt Poetarum παῖδες.

In Herculis laude extrema: v. 112.

Nodosumue rapis grauato pondere robur:

Emendo *clauato*. Sic Paulinus ad Cytherium, (siue Citarium, quem Siculum in Burdegalensibus nominat Professoribus Ausonius:) *Clauante ferro*: vbi tamen G. Fabric. legendum *Cauante* existimat. Equidem in Paulino reponendum arbitror:

Clauata ferro firma ligni robora
Aeuo terente soluerat.

Sed funem reducamus, retroque legamus: In Rufinum libro II. v. 358.

Flexilis inductis hamatur lamina membris:

Etsi libri multi *animatur* præferunt, & amplectitur hic Mart. Delrius noster, & ad Senecæ Troadem Actu IV. Scen. *Quicunq; hamatur* retineo; quæ vox multis vsitata: vt in Cicer. *Honores adhamare*, vbi *adamare* editur apud Nonium. Petronius Arbiter: *Artis seueræ si quis hamat effectus.* Sidonius lib. I. ad Orontium, & lib. III ad Claudium: ac rursum lib. IX. Papæ Fausto: *Tergiuersantum linguam inhamantibus.* Plura ibidem Io. Sauaro I.C. Aruernus.

Valerius Flaccus lib. I. Argonauticωn emendatus & illustratus.

CAPVT LVI.

ARgonautarum ad aureum vellus è Colchide aduehendum iucunda lectu expeditio, conficta primum quidem à Græcis Poetis, Orpheo, & Apollonio Rhodio; qui quidem nunc in manibus sunt: postea vero à Latinis post Varronem Atacinum Heroico carmine pariter tractata à Valerio Flacco Balbo: Hunc etiam parentum memoria Compluti apud Hiberos à Laur. Balbo Annotationibus illustratum olim vidimus, nostra etiam ætate à Ludouico Carrione Belga, homine eruditissimo: sed qui, vt fit, posteris etiam aliqua reliquisse videantur. Tentabo limen ipsum, quando & Andream Alciatum, Iuris Antecessorem egregium, & antea Politianum non puduit hæc attingere: statim occurrit, dedicans opus Domitiano Imp. sic appellando:

—— Versam proles tua pandit Idumen,
(Namq; potest) Solymo nigrantem puluere fratrem,
Spargentemq; faces, & in omni turre furentem.
Ille tibi, cultusq; Deûm, delubraq; genti

Insti-

Instituet, cum iam genitor lucebis ab omni
Parte poli. ———

Putabam equidem legendum ac rescribendum potius ad hunc modum:

——— *Versam proles tua panget Idumen,*
(Namq; pote) & Solymo nigrantem puluere fratrem.

Idque Suetonii auctoritate, qui in Domitiano, cap. XI. *Simulauit*, ait, *& ipse mire modestiam, inprimisq; Poeticæ studium tam insuetum antea sibi, quam postea spretum & abiectum; recitauitq; etiam publice.* Ex quo etiam illud illustro; quod genti Flauiæ delubra refert hic instituta. Narrat enim idem Tranquillus natalem domum in templum gentis Flauiæ conuertisse, quod & Pub. Victor agnoscit in Regionibus vrbis Romæ.

Adhæc Statius Papinius lib. V. Siluarum de Abascantii in Priscillam pietate, v. 239.

——— *Est hic (agnosco) minister*
Illius æterna modo qui sacraria genti [Flauiæ]
Condidit, inq; alio posuit sua sidera cælo.

Hoc est, in altero cœlo indigetauit, & transcripsit suos iam consecratos, ac Diuos. Adhæc:

——— *nigrantem puluere fratrem:*

Expressum ex illo Horatii, Flacci pariter cognomento, Oda VI. lib. I. videatur:

Puluere Troico nigrum Merionem.

Pignora & Pectora. *Ritus funerum. Valerius Flaccus emendatus, & Propertii defensa lectio.*
CAPVT LVII.

VAlerii Flacci duos, si potero, nodos, in præsens enodabo. Sic enim apud vatem lib. Argonauticõn primo, v. 604. Boreas loquitur:

——— *da mergere Graios*
Insanamq; ratem. Nil me mea pectora tangunt.
Tantum hominum compesce minas.

Equidem *pignora* legi malim quam *pectora.* Nam Zethem Boreæ ex Orithyia filios intelligit. Quæ voces & alibi inuicem commutatæ. Propertius lib. IV. Elegia 7.

Andromedeq; & Hypermnestre, sine fraude marita,
Narrant historiæ pectora nota suæ.

Vbi *pignora* quoque puto rescribendum, vt idem extrema Elegia, Corneliæ ad Paullum:

Quid

Quid mihi coniugium Paulli, quid currus auorum
Profuit, aut fama pignora tanta meæ?

Sic dixit de vrbe Roma disertissimus ille Chrysostomus: τῆς ἱστορίας αὐτῆς μεγάλης ἐπιθυμία πολλοῖς ἀποδημίας πρόφασις γέγονεν. Pudicæ, inquit Poëta, illæ coniuges narrant nota pignora suæ historiæ, id est quæ sibi suisque acciderint. Scaliger *corpora* probat de vetere libro. At aliud est *corpus historiæ*, vt Ciceroni dicitur, *Corpus orationis, ac defensionis*. Passeratius ad Hypallagen hic confugit: Narrant historiam notam pectoribus suis, id est, sibi. Sed quid erat necesse? Sic enim lib. III. elarè Eleg. 22. idem canit:

Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ:

hoc est, rerum à te gestarum. Subiicit autem de Andromeda:

Hæc summa æternis queritur liuore catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.

Lipsius, qui Propertium suum appellare delitium solet, reponebat de vetere libro Antiquarum Lectionum lib. II. cap. 20.

Hæc sua maternis:

sed mihi non probat. Nimis enim durum est profectò *maternis* dicere *catenas*, pro *matri debitas*. At mea quidem sententia *summa brachia* eleganter vocat, quasi extrema, qua in manum desinunt. Et certè sequenti versu, velut seipse explicans, *manus* appellat, quæ *summa brachia* vocarat. Sed ad Valerium à Propertio redeo. *Pignoris* vox retinenda quoque in Claudiano, lib. III. de Laudibus Stiliconis v. 181.

Quod te iam toto meruisset pignore ciuem.

Vbi *pectore* malè Basileæ editum; & *tanto* legi malim, quam *toto*. Item Lucanus lib. IX. Pharsal. Psyllos aquilæ comparans:

——sic pignora gentis
Psyllus habet, si quis tactos non horruit angues.

Val. Flaccus iterum funeralia tractans extremo lib. I. sic ait, v. 781.

Tergeminam tum placat heram, Stygiasque supremo
Obsecrat igne domos; iam iam exorabile retro
Carmen agens. Neque enim ante leues niger auehit Vmbras
Portitor, & cuncta primis stant faucibus Orci.

Veterum enim superstitione creditum non aliter posse cineres quiescere, nisi vmbra ab Erebo submoueretur. Idque tunc putabant accidere, cum iusta essent persoluta, parentalia, & suprema omnia peracta. Quo fit, vt hoc loco erudita quadam audacia scribendum censeam: *Obserat igne domos*, non *Obsecrat*. Ita Homerus Iliad. ψ'. v. 75.

Καί μοι δὸς τὴν χεῖρ', ὀλοφύρομαι. οὐ γὰρ ἔτ' αὖτις
Νίσομαι ἐξ ἀΐδαο, ἐπήν με πυρὸς λελάχητε.

Da dextram misero, precor, & quoniam tibi promptum,
Eripe me his inuicte malis. Non sedibus istis
Ad te iterum veniam, rapido consumptus ab igne.

Statius lib. I. Thebaidos, v. 295.

Dic patruo, superas senior se attollat ad auras
Laius, exstinctum nati quem vulnere nondum
Vlterior Lethes accepit ripa profundi.
Lege Erebi: ferat hæc diro mea iussa nepoti.

Et Ausonius in Parentalibus, de Iulia Veneria amita, XXVII. Epigr.

Cui breuia mela modifica recino.
Cinis vti placidula supera vigeat.
Loca tacita celeripes adeat Erebi.

Patrare. Impetritum. Bene-parta. Anademata. Mitræ. *T. Lucretii locus lib. IV. recens castigatus. Pisonis Frugi & Nauii querimonia* de adolescentum vitiis, & amantium. Bene-parta. Bona lacerare, Patrimonium deuorare, *similiaq;.*

CAPVT LVIII.

ANimaduerto eruditos duos viros magna contentione, atque vtinam sine conuitio T. Lucretium emendandum parentum memoria suscepisse, Lambinum, inquam, & Gifanium: qui nihil propemodum intactum reliquerunt, hoc tamen vlcus non attigerunt, quod lib. IV. legitur, de Miseriis atque erroribus amantium: qui contra vetus illud Prouerbium, quo *Male parta male disperire* dicuntur, etiam Bene-parta parentum luxui ac Veneri nimium indulgendo dissip re solent. Sic enim Poeta canit:

Et bene-parta patrant; fiunt anademata mitræ.

Etsi Turnebus lib. XXVI. cap. XXII. extremo legat, interpreteturque: *Et bene parta patrum. Parta* pro patrata, tamen ita omnino legendum primus monuit Doctiss. Ant. Couarruuias, I.C. Didaci frater, cum passim edatur; *Et bene-parta patrum*, nullo sensu: idque auctoritate B. Isidori lib. IX. Originum seu Etymologiarum cap. 5. *Pater*, inquit, *dictus quod patratione peracta filium procreat. Patratio enim rei Veneriæ consummatio est.* Et illo longè antiquior M. Fabius Quinctil. lib. VIII. cap. 3. *Ductare exercitum, & patrare bellum, apud Sallustium dictum sanctè & antiquè, videtur à nobis.* Hæc ille. Antea ergo in obscœnis *Patrare* erat, vt à *Ductare*, *Perductores* lenones dicti Plauto & aliis: post tralatum honestè, pro perficere, ad exitumque adducere, *vt Patrare bellum*, pro debellare ac finire, & *Ductare exercitum.* Persius Sat. I. ——*patranti fractus ocello.*

Glossa-

Glossarium vetus: *Patrat* μαστῶν. Hinc *patrantes oculi* qui Horatio *putres*, pro lasciuis & impudicis: item *patrans voluptas* B. Hieronymo, Quæstionibus in Genesin, pro συνουσιασμὸς. Et composita *perpetrare* & *impetrare* & *Impetratum* verbumque Augurum *Impetritum*, quasi firmum & in peti a fixum: de qua voce è Cicerone, Plinio, & Val. Maximo, Turnebus lib. V. Aduers cap. 18. & Lib. XXIII. c. XI. ex Plinio. Et lib. 26. cap. 22. Et Scaliger in lib. IV. Tibulli. Denique Glossarium: *Impetratus* θυσία: mallet Scaliger καλλιέρησις. Quod enim in Sacrificiis *Litare* est, id in Auspiciis *Impetrire*. Næuius Poëta apud Carisium Sosipatrum, Lucretio assensus: *Vbi*, inquit, *isti duo adolescentes habent, qui hic ante-parta patria peregrè prodigunt*. Et Calpurnius Piso, Frugi cognomento, in Annalibus suis queritur adolescentes *peni deditos esse*, apud Ciceronem lib. IX. Epist. 22. Papirio Pæto scribentem de Stoicorum paradoxo, quo nullam in verbis turpitudinem esse, etsi in re esset, affirmabant. *Caudam*, ait, *antiqui penem vocabant. Ex quo est propter similitudinem peniculus. At hodie est in obscænis.* Et Octauianus Augustus inter alios iocos Q. Horatium, forte ob libidinem, *penissimum, & lepidissimum homuncionem* appellabat, vt in huius Vita (nescio an à Suetonio conscripta, certè à P. Nannio in Miscellaneis publicata) reperias. B. Augustinus in Dialecticorum principiis cap. VII. Tom. I. Hæc Sallustii in Catilinaria Coniuratione pag. 25. Plant. ita recitat: *Non offenditur aurium castitas, cum audit;* Manu, ventre, pene, bona patria lacerauerat. *Offenderetur autem si obscœna pars corporis sordido ac vulgari nomine appellaretur.* Sic *bene-parta*, apud Sallustium C. Cæsar dixit: *Profecto Virtus atque Sapientia maior in illis fuit, qui ex paruis opibus tantum imperium ferre, quam in nobis, qui ea bene-parta vix retinemus.* Et lib. I. Historiarum in Orat. M. Æmilii Lepidi Cos. *Non aliter salui, satisq. tuti in imperio eritis, nisi Vettius Picent. scriba Cornelius aliena bene parata prodegerint.* Vide Scalig. in lib. IV. Tibulli. Sed ad Lucretii carmen gradum referamus:

——*fiunt anademata mitræ.*

Ambiguum sane an gignendi, vel nominandi casu dictum *mitræ*; vtroque versum accipere liceat.

Expressit autem ferè Maro lib. IX. Æneidos:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Hesychius: Ἀναδέσμη, μίτρα, ἀνάδημα. οἱ ᾗ, εἶδος κόσμου ἐπὶ κεφαλῆς.

Nunc rem in pauca conferam. In decoctores dictum obseruo, vt à T. Lucretio *Bene-parta patrare*, vt ex Isidoro docuimus; & *bene-parta lacerare* Sallustius, vel vt alii legunt *dissipare*, vt Plautus Mercatore, *lacerare bona:* atque *edere*, pro consumere in Truculento. *Lancinare*, & *Expatrare*, Catullus Epigram. XXX. in Cæsarem: *Abligurire* Terentius Eunucho, vbi Donatus, & Cicero Catilin. III.

Patrimonium deuorare, Catul. & Cic. in Pisonem: Contra, *vomere*, vt explicat Pet. Victorius lib. XXII. var. Lect. cap. *14*. *Profundere patrim.* Cic. Catilin. 2. Atque ad hanc fere formam concinnari exoptem Synonyma seu Polyonyma ling. Lat. locis auctorum breui adscriptis.

Virgilius quinies emendatus notâ meliore.

CAPVT LIX.

IN Marone, ne erres quædam adhuc deprauata occurrent, quæ facere meliora conabar. Vt illud Ecloga II. ex persona fortasse Poetæ, cum Augusto expostulantis, quod ereptos sibi agros ac veteranis distributos nondum restitueret:

I. *O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:*
Nil nostri miserere: mori me denique cogis.

Credo equidem scripsisse vatem futuro tempore *coges*. Theocritum enim toto hoc Poematio expressit, qui Idyllio III. ἀπάγξασθαί με ποιήσεις.

II. Rursus in eadem Ecloga:

Quam diues pecoris, niuei quam lactis abundans.

Sic interpungi laudo vt τὸ *niuei* ad sequens *lactis*, non *pecoris*, referatur. Docent enim Rhetores epithetis sic data opera vti Poetas, etsi redundare videantur, quod apud Demetrium Phalereum lib. περὶ ἑρμηνείας legas. Sic Cratinus in Odysseis:

——χορταζόμενος γάλα λευκόν.

M. Varro Andabatis *Candidum lacte* pro lac dixit.

Albius Tibullus: *Et niuei lactis pocula mista mero.*

Athenæus lib. II. Δειπνοσοφ. Κλέαρχος φησὶ τὸ μὲν ὕδωρ, ὥσπερ καὶ τὸ γάλα, λευκὸν λέγεσθαι. οἶνον δὲ καθάπερ καὶ τὸ νέκταρ, ἐρυθρόν.

III. Æneidos lib. VI. ver. *105*.

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

Argutatur hic Seruius Honoratus, sed vt Aristophanis vsurpem, φλυαρίαν φλυαρεῖ: vnde colligo *percepi* legi maluisse quo modo vulgo editur. Audire iuuat ineptientem, tu modo risum, si potes teneto: *Sed occurris*, inquit, *si nouit omnia, quid consulit numen? sed nosse se dicit omnia, quantum ad labores pertinet & concedit totam petitionem, vt ad illud veniat, quod possit patrem videre. Præcepi* melius esse, hoc quidem loco, doctis hominibus assentior. Prudentiæ enim est longe ante prospicere, ac prouidere futura, eaque longe ante animo meditata habere, vt Comicus Afer in Phormione Act. I. ait:

Omnes

Omnes cum secundæ res sunt, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia.

Quæq; laudat M. Tullius Tusculana III. ex Posidonio Philosopho, vt citat Galenus lib. IV. de Hippocratis & Platonis dogmatibus: vterq; autem ex Euripidis Theseo: nimirum, quæ mala putantur, prouisa esse leuiora. Et Æschylus dixit in Promotheo πάντα προὐξεπίσταμαι, quod est; *Omnia præcepi.*

IV. Æneidos lib. VII. V. 255.

Hunc illum fatis externa ab cæde profectum
Portendi generum ——

Equidem malim legi, pace doctorum hominum, *prouecto* quasi sibi iam ratiocinando prouecto Ilioneo. Antecedit enim *voluendi* vox, qua mentis agitatio, meditatioq; designatur; quæq; à *volando* à nonnullis deducitur, vt & à vectatione *prouectus*. Latinus enim Orator *longius iam prouehi Orationem* frequenter vsurpat. Natum autem hic mendum arbitror, si quod est, quia præmisit vates paulo ante:

Hinc illum Coryti Tyrrhena ab sede profectum.

Quo factum arbitror, vt & hîc librarii loco *profecto* denuo scripserint *profectum*. Sed iudicent eruditiores.

V. Æneidos lib. XI. V. 272.

Et socii amissi petierunt æthera pennis,

De Diomedis sociis in aues mutatis ait, de quibus & Ælianus lib. I. Hist. Animal. in limine, & *Erodios* fuisse opinantur. Seruius annotat legi hîc à nonnullis: *admissis pinnis*; quam lectionem amplectitur Germanus Valens: quomodo *Admittere equos* Cæsar dixit, qui ad cursum incitantnr. Mihi sanè secus videtur & malim *amissis*, pro emissis *pennis* legi prisco vocabulo, vt idem Terentius in seipsum puniente Act. III. Scen. I.

Prius perditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium.

Amittas ait Donatus, pro dimittas, priscè, & ipse adeò Maro. II. Æneid.

Quisquis es, amissos hinc iam obliuiscere Graios.

Et vero M. Fabius censor grauissimus Maronem antiquis delectatum vocibus & Archaismos interdum affectasse admonet lib. VIII. Institut. Orator.

C. Cilnii Mæcenatis in Horatii funere, variè versus elucidati.

CAPVT LX.

DEmus in hoc Poëtarum vetere choro chorago *C. Mæcenati* locũ, vt agmen claudat, qui vnus Poëtas tam liberaliter fouit, quantũ Horatius ac Proper-

 tius

tius prædicant. Non enim eruditus modo fuit, sed & eruditorum, singularem se sub Augusto vsq; eò patronum præbuit, vt hoc etiam nomine, qui eruditos foueant, hodieq; appellemus, & Poëta canat Hiberus;

Sint Mæcenates non deerunt Flacce Marones.

Eius etiam carmina quædam legimus: vt hoc Q. Horatii obitum plorantis, numeris Phaleucis, quod Isidoro lib. XIX. Originum seu Etymologiarum cap. 32. acceptum referimus: molle quidem illud, qualem in omni vita fuisse L. Seneca prodit, at mirum in modum temporis vitio mendosum: Vt IV. Viri, quos apponam, coniecturis suis, quò integritati redderent, nauiter sudarint. Primo And. Alciatus, vt ætate sic & industriæ laude prior, lib. Παρέργων sic legendum censuit:

Lucentes, mea vita, nec smaragdos
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes
Nec præcandida margarita quæro:
Nec quas Thynica lima perpoliuit
Annellos, nec Iaspios lapillos.

A quo vix latum vnguem discessit excellens alter Iureconsultus Hispanus, Ant. Couarruuias, Didaci Episc. Segobiensis germanus frater, mihi olim Toleti perfamiliaris: variat tamen quod initio legat *Lugenti*, & in altero versiculo, *mihi mitte*, omisso nomine *Flacci*: vt velet pretiosos sibi lapides ab amicis mitti, quod eorum vsus delinire lugentem nequeant, vt ipsius Flacci, quem luget extinctum, verbis vtar, lib. III. Carminum Oda I.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delinit vsus: ———

Hadr. Turnebus lib. XX. Aduers. cap. 2. ternos priores versus sic concinnabat, siue ab ingenio, quo multum valuit, siue membranarum ope, incertum,

Lugent te, mea vita, te smaragdos,
Beryllus quoq;, Flacce, nec nitentes
Nunc per candida margarita quæro.

Deniq; in Belgio Duza sic eosdem versiculos redintegrabat:

Lugens te, mea vita, nec Smaragdos
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes
Inter candida margarita quæro.

Beryllos enim inter candida margarita nitentes prædicat & C. Plinius lib. IX. cap. XV. in Lolliæ Paulinæ, quæ C. Imp. vxor fuit, ornatu ac mundo muliebri: Idemq; lib. XXXVII. cap. 5. auctor est beryllos cum smaragdis communem vim efficaciamq; naturæ habere. Et C. Pedo Albinouanus in Ele-

Elegia, qua calamitosum doctis tunc hominibus Mæcenatis funus deplorat, sic de Beryllo illi, dum viueret, in deliciis habito:

Vincit vulgares, vincit Beryllus arenas;
Littore in extremo quas simul vnda mouet.

Sunt autem eiusdem quoq; Mæcenatis de Morte Horatii versiculi in huius Vita perantiqua reperti:

Ni te visceribus meis, Horati,
Iam plus diligo, tu tuum sodalem
Ninnio videas strigosiorem.

Pe. Nannius, homo pereruditus, è suis membranis Buslidianis edidit:

——Titum sodalem
Mimo (al. *nimio*) *me videas strigosiorem.*

Ninnio pro hinnulo Pithœus edidit. Additur in eadem Vita:

Sed multo magis extremis, tali ad Augustum elogio:
Horati Flacci, vt memor esto mei.

Vbi Ant. Contius lib. II. Institut. Iustin. Tit. 10. ita legit, non necessario: *extremis indiciis*:

Octauianus quoq; Cæsar Aug. mollitiem, vt dixi, styli Mæcenatis notans, cum ad eum scriberet, eodem se comparauit modo, teste Macrobio, lib. II. Saturnal. cap. 3. in quibus & *berylli* mentio ac *Margaritii*, quibus impensius delectatum apparet:

Vale mel gentium, melcule,
Ebur ex Etruria, laser Aretinum,
Adamas supernas, Tiberinum margaritum,
Cilniorum smaragde, iaspi figulorum
Berylle Porsenæ, carbunculum habeas. &c.

Vnde *Cilniæ* gentis fuisse paret, quamuis *Ciliniæ* contendat Fuluius Vrsinus suis ad T. Liuii lib. X. & ad Corn. Taciti lib. VI. Annalium Notis: Non sequor. & vltima illa vox, *habeas* de mendo mihi suspecta est. Proprium subiiciendum, vt aliis. Lusisse vero *Mæcenatem* & alia Poematia, ex epigrammatis à Pet. Pithœo, homine accurato, pridem collectis didici, Pag. 4. 39. & 41.

Anacreontis Teii reliqua ab aliis cetera diligentissimis prætermissa.

CAPVT LXI.

VEnusta ac lepida *Anacreontis* poëmatia parentum memoria à typographorum στεφάνῳ & reperta & elaborata Scholiis, post etiã à Fuluio Vrsino Romano

Romano Plantinianis aucta atq; ornata ſunt typis, vt tamen aliis poſt ſe colligenda (vt eruditiſſimo Th. Cantero, qui nobiſcum perhumaniter, vt ſolet, communicauit) nonnulla eius Poëtæ reliquerint; vt in Epodis Q. Flacci verbis vtar,

Qui perſæpe caua teſtudine fleuit amorem:

Rurſumq; lib. IV. Carminum:

Nec ſi quid olim luſit Anacreon
Deleuit ætas ——

Eius Poëtæ hæc Ælianus lib. IV. Hiſtoriæ Animalium cap. 2. adfert: Πορφύρεαν δὲ ὥσπερ οὖν τὴν Ἀφροδίτην ὁ Τήϊος ἡμῖν Ἀνακρέων ᾄδει, πορφυρῆ τε λέγων, καὶ χρυσῷ δὲ εἰκασμένη φανείη ἄν. Ioannes Stobæus hunc Anacreontis verſum adducit pag. 410.

Ἀπέκειρας δ᾽ ἁπαλῆς κόμης ἄμωμον ἄνθος.

Apollonius Grammat. lib. I. cap.

Σὲ γὰρ περγήλιος ἐμμελῶς δίζοκεῖν. Et Etymologic. in Ἀβάκης: Ἐγὼ δὲ μισέω πάντας, οἱ χθονίους ἔχουσι ῥυθμοὺς καὶ χαλεποὺς μεμαθήκασιν, ὦ μεγίστη τῶν ἀβακιζομένων. Euſtathius in Homer.

Μεὶς μὲν δὴ ποσειδεῖον ἕστηκε
Νεφέλαι δ᾽ ὕδατι βαρύνονται
Ἄγριοι δὲ χειμῶνες παταγοῦσι.

Et in anonymo quædam hæc repperi: Ἐγὼ δὲ ἦν τοῦ Ἀνακρέοντος μνήσης, ὡς ἐν κατασκευαστικῷ μοίρᾳ ὑποτραγῳδήσω τῇ ἑορτῇ, καὶ ἅμα ἔλεγε:

Θεάων ἄνασσα Κύπρι,
Ἵμερε κράτος χθονίων
Γάμε βιότοιο φύλαξ,
Ὑμέας λόγοις λιγαίνω,
Ὑμέας στίχοις κυδαίνω,
Ἵμερον γάμον Παφίης
Δέρκεο τὴν νεᾶνιν, δέρκεο κοῦρε.
Ἔγρεο μή σε φύγῃ πέρδικος ἄγρα
Στρατόκλεις φίλος κυθήρης
Στρατόκλεις ἀνὴρ Μυρίλλης.
Ἴδε τὴν φίλην γυναῖκα.
Κομάει, τέθηλε, λάμπει
Ῥόδον ἀνθέων ἀνάσσει
Ῥόδον ἐν κόραις Μυρίλλα.
Ἥλιος τὰ στέθεν δέμνια φαίνει,
Κυπάριττος πεφύκοι σου ἐνὶ κήπῳ.

PINDA-

PINDARI Fragmenta ab aliis non allata in medium.

CAPVT LXII.

PINDARI Lyræ ac Dithyrambici carminis principis reliquos nobis adhuc fecit temporum felicitas libros IV. Ludorum Græciæ nominibus inſcriptos: quomodo Herodotus nouem Muſarum nominibus libros totidem ornauit, illius quæ reperimus fragmenta aliis intacta hic appendere libuit: Quod apud Plutarchum legitur lib. Bellóne Athenienſes an ſapientia clariores?

Ἰσμηνὸν ἢ χρυσηλάκατον μελίαν,
Ἢ Κάδμον ἢ Σπαρτῶν ἱερὸν γένος ἀνδρῶν
Ἢ τὸ πάνυ σθένος Ἡρακλέος ἢ Ἑλᾶν.

Locupletius apud Lucianum hoc modo legas in Encomio Demoſthenis: quorum verſus primus à Dione Chryſoſtomo etiam in Tharſica priore allatus eſt. Sic enim Sophiſta Samoſatenus:

Ἰσμηνὸν ἢ χρυσηλάκατον μελίαν,
Ἢ Κάδμον ἢ Σπαρτῶν ἱερὸν γένος,
Ἢ τὰν Κυανάμπυκα Θήβαν,
Ἢ τὸ πάντολμον σθένος Ἡρακλέος,
Ἢ τὰν Διονύσου πολυγαθέα τιμὰν
Ἢ γάμον λευκωλένου Ἁρμονίας
Ὑμνήσομεν. ——

Philo Iudæus lib. de mundo incorruptib. Διὸ καὶ Πίνδαρος ἐπὶ τῆς Δήλου φησὶ, χαῖρ' ὦ θεόδμητε λιπαροπλοκάμου παίδεσσι Λατοῦς ἱμεροέστατον ἔρνος, πόντου θύγατερ, χθονὸς εὐρείας ἀκίνητον τέρας, ἅν τε βροτοὶ Δᾶλον κικλήσκουσι. μάκαρες δ' ἐν Ὀλύμπῳ τηλέφατον κυανέας χθονὸς ἄστρον. Strabo, ſeu quis alius, cuius iam non memini: Ἦν γὰρ τὸ πάροιθεν οὐ φορητά φησιν ὁ Πίνδαρος κυμάτεσσι παντοδαπῶν ἀνέμων ῥιπαῖσιν, ἀλλὰ καὶ ὁ γένος ὁ ποτ' ὠδίνεσσι θυίαις ἐπιβαίνειν, δὴ τέσσαρες ὀρθαὶ πρέμνων ἀπώρουσαν χθονίων ἂν δ' ἐπὶ κρανᾶς σχέδον πέτρας ἀδαμαντοπέδιλοι κίονες, ἔνθα τεκοῖσ' εὐδαίμον' ἐπόψατο γένναν.

Zenobius Centuria V. Adag. 59. & Diogenianus noſter Cent. VII. Adag. 12. Ἀτιζόμενοι Σκύθαι νεκρὸν ἵππων λόγῳ, κρυφᾷ δὲ σκολιοῖς γάνυσιν ἀναδέρουσι πόδας.

Ariſtides:

Ἐπέρχεταί μοι καὶ τὸ τοῦ Πινδάρου [illegible]θῆναι,
Ἄστρα τε καὶ ποταμοὶ καὶ κύματα πόντου.

Sextus Empiricus Philoſophus contra Pyrrhonios: Δεόντως οὖν καὶ οἱ ποιηταὶ περὶ τούτων ἀπεφήνατο. ὁ μὲν γὰρ Πίνδαρος φησὶν Ἀελλοπόδων μέν τιν' εὐφραίνουσιν ἵππων τιμαὶ

τιμαὶ καὶ στέφανοι. Τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά. τέρπεται δέ κέ τις ἐπ' οἴδματι ἅλιον ναῒ θοᾷ διασείων. Artemidorus lib. IV. de Insomniis: Ἄλλα δὲ ἄλλοις νόμιμα σφίτερα δέδεικται ἑκάστης. Pausanias in Achaicis. Ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τ' ἄλλα πείθομαι τῷ ᾠδῇ, καὶ μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν τύχην, καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφὰς τι ἰσχύειν. Io. Stobæus in Physicis Eclogis: Γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισι, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. Aristides Florent. edit. pag. 150. Ἐν ἅρμασι δὲ νικᾷ τύχα οὐ σθένος, σὲ δ' ἐγὼ παρ' ἁμῶν αἰνέω μὲν γηρυόνη· τὸ δὲ μὴ Διὶ φίλτερον σιγῶμι πάμπαν. Item pag. 99. θεῶν ἄπο πλέον τι λαχών. Iterum p. 56. οὔτις ἑκὼν κακὸν εὕρετο. Ibidem: Ὦ πόποι, οἷ' ἀπατᾶται φροντὶς ἐφημερίων οὐκ εἰδυῖα. Et pag. 156. ὁ Πίνδαρος τὸν Κάδμον φησὶν ἀκοῦσαι τοῦ Ἀπόλλωνος, μουσικὰν ὀρθὰν ἐπιδεικνυμένου. Rursum pag. 59. & 60. Ἀλλ' ὥσπερ ἔφη Πίνδαρος, θεοῦ δείξαντος ἀρχὴν, οὐδὲν δὴ τὸ κωλῦον. Θεοῦ δέ φησι δείξαντος ἀρχὴν εὐθεῖα δὴ κέλευθος εὑρεῖν τὸ προκείμενον. Pausanias lib. IV. & libro X. semel vtrumq; Pindarum citat: & Priscianus lib. de Metris sæpius. Herodotus in Thalia. ὀρθῶς μοι δοκέει Πίνδαρος ποιῆσαι Νόμον πάντων βασιλέα φήσας εἶναι. *Morē omnium esse regē.* Quo de aureo dicto Pindari Aristides differit Orat. I. de Rhetorica, & Plato. Dionysius Halicarnasseus in Rhetoricis, pag. 179. v. 20. Wech. Gr. Πρέπει δὲ ὄλοισιν ὑμνεῖσθαι καλλίσταις ἀοιδαῖς. Τοῦτο γὰρ ἀθανάταις τιμαῖσι ποτὶ ψαύει μόνον ῥηθέν. Θνάσκει δ' ἐπιταθὲν καλὸν ἔργον. Fred. Sylb. pro ὄλοισιν legit ἐσλοῖσιν, id est, ἀγαθοῖς: & pro ἐπιταθὲν, ἐπιλασθέν. Libanius in Epistolis ὁ μὲν Πίνδαρος που φησι μή λωντι χρυσῶν εἶναι φύλαξ, τὰ δὲ εἶναι μουσῶν, καὶ τούτων ἄλλοτε ἄλλοις νέμειν. Galenus denique in Protreptico ad artes: οὐ γὰρ γεωμετρίας, οὐδ' ἀστρονομίας ἀφίσταται, ἀλλὰ τά τε τῆς γῆς νέρθεν καὶ τὰ ὕπερθε τοῦ οὐρανοῦ κατὰ Πίνδαρον ἐπισκοπεῖ.

ANDR.



ANDR. SCHOTTI

OBSERVATIONES HISTORICÆ ET GEOGRAPHICÆ.

LIBER III.

IN HISTORICOS

LATINOS	GRÆCOS
C. Iulium Cæſarem	Thucydidem
C. Salluſtium Criſpum	Herodotum
T. Liuium	Cteſiam
L. Annæum Florum	Dion. Halicarnaſſeum
Corn. Nepotem	Herodianum
Sex. Aur. Victorem	Xiphilinum
C. Suetonium Tranquillum	Heliodorum
Valerium Maximum	Achillem Tatium
Velleium Paterculum	Theophilactum Simocattam
Paullum Oroſium	Procopium
Eutropium	Agathiam.
Ammianum Marcellinum	
Auguſtæ hiſtoriæ Scriptores.	

Res ſecundæ vitiis obtentui. Locus è Thucydide & Demoſthene à Salluſtio expreſſus.

CAPVT I.



Simius Thucydidæ Salluſtius. Eius nunc documentum damus. Sic enim in M. Æmilii Lepidi Coſ. oratione: *res ſecundæ mirè ſunt vitiis obtentui.* Quod ex Thucydide lib. III. Peloponneſiaci belli hauſit. quamuis negent duo locum in Hiſtorico reperiri. Eſt autem in oratione Cleonis:

Εἴωθε δὲ τῶν πόλεων αἷς ἂν μάλιστα καὶ δι' ἐλαχίστου ἀπροσδόκητος εὐπραγία ἔλθῃ ἐς ὕβριν τρέπειν. τὰ δὲ πολλὰ κατὰ λόγον τοῖς ἀνθρώποις εὐτυχοῦντα ἀσφαλέστερα ἢ παρὰ δόξαν· καὶ κακοπραγίαν ὡς εἰπεῖν ῥᾷον ἀπωθοῦνται ἢ εὐδαιμονίαν διαφέροντα.

II. Hunc in T. Pomponii Attici vita locum : *Ipsum Pompeium coniunctum non offendit*, deprauatum quoque existimo, nec succurrunt interpretes: Forte *iam victum*, vel sic: *seipsum Pompeio coniunctum non ostendit*: quam emendationem sequentia facile probant, cum dicat Cæsari adeò gratam Attici quietem fuisse, vt cum cæteris pecunias impetaret, huic non solum molestus non esset, sed etiam sororis filium, & Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit.

III. Post paulò: *Sed etiam qui aduersariis eius se dabant*, forte *cedebant*, vt adulationem significet, vel *sedabant*, id est, non omnino hostis, sed qui hostes ex animo fuerunt: vt illud, *Antonii familiares* sequebantur, glossema videatur, vel *familiam insequebantur*, pro *insectabantur*.

IV. Mox: *Sed sensim is à nonnullis optimatibus reprehendebatur.* Quod si *sensus eius legamus*, intelligetur commodius, quid velit Nepos, & statim, *sui iudicii*, videtur glossema ex orâ assutum.

V. Circa finem: *Exaltum his terris.* Lego *ex vltimis terris*, de Ægypto accipio, quomodo nos in Tullianis Nod.s ad Manilianam Cic. Orationem pluribus disserebamus lib. I. cap. XXI.

Liberum, Herculem, Apollinem, Dianam *quinam potissimum imitati.*

CAPVT III.

NOn modo *Alexandrum* M. veteres plerique Romani & Græci, vt infr. cap. XIX. docebimus, sed & Heroas *Bacchum & Herculem*, imò & *Apollinem*, & *Dianam* gestu præ se tulerunt, nomenque adoptarunt.

I. *Mithridates* rex Ponti *Bacchum* à Trallianis se dici passus est, vt ait Cicero pro Flacco: *Mithridatem*, inquit, *Deum, illum patrem, illum conseruatorem Asiæ, illum Dionysium, Bacchum, Liberum nominabant.* Caussam porrò cur hoc nomen assumserit, è Plutarch. I. libro συμπο. reddit Muretus lib. I. cap. II. variarum.

II. *Antigonus* apud Herodianum lib. I. initio: Ἀντίγονος Διόνυσον πάντα μιμούμενος, καὶ κισσὸν μὲν περιθεὶς τῇ κεφαλῇ ἀντὶ καυσίας, καὶ διαδήματος Μακεδονικοῦ, θύρσον δὲ ἀντὶ σκήπτρου φέρων.

III. Apud Romanos *C. Marius*: de quo Valerius Maximus lib. III. cap. VII. *Iam C. Marii pene insolens factum. Nam post Iugurthinum, Cimbricumque & Teutonicum triumphum, cantharo semper potauit, quod Liber Pater inclytum (lego indicum) ex Asia triumphum ductus hoc vsus poculi genere ferebatur, vt inter ipsum haustum vini victoria eius suas victorias compararet.* Idem Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας, & Plinius lib. XXXV. cap. XI.

IV. *M. Antonius* III. Vir R. P. C. Athenis agens *Dionysius* est appellatus, cui Græculi Palladem suam desponderant: quibus ille dotis nomine nimium quantum imperauit: vt nos ad Senecæ Rhetoris suasoriam I. ex Dione notabamus. Bacchum item egit Ephesi. M. Antonius ait Plutarchus. Plinius lib. XIV. cap. vlt. Paterculus & Had. Iunius lib. V. Animaduersorum cap. I.

V. Cn. Pompeius Magni cognomento non modo Alex. Magnum rerum fulgore æquauit, sed & Liberum patrem, atque Herculem, vt auctor est C. Plinius lib. VII. Natur. Historiæ cap. XXVI.

VI. *Caius* item *Cæsar Caligula*: de quo Athenæus lib. IV. Cenæ, *Caius Imp. cognominatus Caligula, quia in exercitu & castris natus fuisset, non solum nouus Bacchus nominabatur, sed Bacchicam vestem totam indutus prodibat in publicum, & cum eo vestitu ius reddebat.* Aurelius Victor in Historia Augusta, & in Epitoma. Bacchi autem vestis syrma fuit, teste Solino, cap. LVI. de Taprobane, & Seneca in Herc. furente.

VII. *Nicias* seruum manumisit, quod Bacchum imitatus esset. Plutarchus.

1. *Herculem* sunt imitati *Alexander Magnus*, de quo lib. XII. Athenæus: *Ephippus scribit Alexandrum sacras etiam vestes in conuiuiis gestasse, &c. Cætera fermè quotidie chlamydem purpuream, tunicam albo distinctam, causiam, qua diadema regium sustineret, & amicis ad eum conuenientibus talarem, petasum in capite, in manibus, caduceum nonnunquam, leonis pellem, & clauam, vt Herculem.* Quis autem fuerit habitus *Herculis*, pellis leonina, & in dextra claua, docebit in Lapithis Lucianus, & Galenus in Exhortatione ad artes.

2. *Pyrrhus* Epirotarum rex, vt genus maternum ab *Hercule* deriuabat, sic pugnans identidem cum Romanis nauiter resistentibus, vt Herculi, ita sibi quoque cum hydra Lernæa rem esse iactabat. L. Florus lib. I. cap. XVIII. & Scriptor de Viris Illust. cap. XXXV. Idem Pyrrhus Achillis æmulus, teste in eius vita Plut. à quo paternum genus repetebat, vt maternum ab Hercule, contra atque ibi Scriptor de Viris illustr.

3. *Commodus* Imp. Hercules & Iouis filius cognominatus: testis eius æqualis Herodianus lib. II. & Athenæus lib. XII. *Commodus Imp. apud nos in curru appositam habuit clauam Herculeam, substrata ipsi leonis pelle, & Hercules cognominari voluit.*

4. De *Maximino maiore* Iulius Capitolinus: *Ne hoc quoque illius famæ accederet, quod Maximinum virum temporis sui fortissimum, & quem alii Herculem, Achillem alii, alii Aiacem vocabant, à suo exercitu dimoueret.*

5. Vt *Valerio Diocletiano* Iouii, sic Maximiano Herculei cognomen adhæsisse auctor est Aurelius Victor cap. XXXIX. historiæ Augustæ. Hinc legiones *Iouiana* & *Herculeiana*.

6. Ap-

6. Appuleius lib. VIII. Milesiam eum ait *de Charite*, quæ maritum mortuum indutum Liberi habitu diuinis honoribus colebat.

1. Transeo ad *Apollinem*: quem se fecit Clearchi Heracleæ præfecti filius iunior, tempore Alexandri hac inscriptione:

Dorica quem genuit Phœbæo sanguine mater.

2. *Augustus* Apollinem egit in conuiuio duodecim Deorum. Suetonius cap. LXX.

Dianam Apollinis sororem exhibuit se quoque Alexander, teste Athenæo, eodem libro XII. Omitto, quod se *Iouem Ammonem*, eiusque filium iactarit, atque adeo vt Deum coli Persico ritu, vt & postea Romæ Domitianus voluerit, teste Theone, Diodoro, & Æliano. Plura de *Alexandro M.* moribus expresso infra cap. XIX. huius libri:

——*En quo dementia Reges*
Perduxit miseros!——

Saguntum. *Sallustiana ab aliis non allata. Cicero illustratus.*

CAPVT IV.

CArisius auctor est *Saguntium* dixisse Sallustium: & *Saguntiorum* pro Saguntinorum Cælium, quem Sallustio prætulit Hadrianus Imp. teste Ælio Spartiano. Sed quid mirum? cum & Catonem Cicerone, & Virgilio Ennium præstantiores putarit? De hac Hispaniæ vrbe hoc in D. Hieronymo Sallustii ab aliis præteritum legens repperi in cap. II. Habacuc Prophetæ: Crispus in Historiis loquitur: *Saguntini*, inquit, *fide atque ærumnis inclyti per mortalium studium maiores quam opibus. Quippe qui etiam cum semiruta mœnia, domus intecta, parietesq́; templorum ambusti, manus Punicis ostentabant.* De his & Petronii Arbitri illud ex Satyra extrema adscribere libet, cum agam de Saguntinis: quorum & opidum spectaui olim cum voluptate, & amphitheatrum lino sum dimensus: *Saguntini oppressi ab Hannibale humanas carnes, nec hereditatem exspectabant.* Vbi & de Numantinorum fame & *Petamorum*, qui à T. Liuio lib. XXIII. & Sex. Iulio Frontino lib. IV. *Petilini* vocantur.

Libro IV. historiarum, vbi de Mithridate agit, de situ Asiæ Minoris, & Euphratis fluuii multis eum argumentis scripsisse didici: tum verò ex Isidori lib. XIII. cap. VI. quod totum ex Sallustianis contextum arbitror, vbi de Ponto Euxino, sic & de palude Mœotica egisse ex Rufo Auieno Festo in Iambis versibus oræ maritimæ descriptione ad Probum obseruaui:

Interrogasti, si tenes, Mæotici
Situs quis esset æquoris, Sallustium
Noram id dedisse, dicta vt eius ab omnibus

Frain-

Praiudicatæ auctoritatis ducier,
Non abnuebam: Ad eius igitur inclytam
Descriptionem, qua locorum formulam
Imaginemq́, &c.

Sallustius lib. IV. cum de Ponto Euxino ageret, hæc habet: *Amissumq́, assideri sine prælijs audiebat.* Hic certè *Amisin* legendum, ex Plutarcho, quæ Ponti ciuitas est, teste Strabone, vel *Azilim*, quæ Africæ. Nam in Græcorum Commentariis & illud Sallustianum repperi: Ἄζιλις πόλις Λιβύης, οἱ περὶ Σαλούστιον οὐ πόλιν ἀλλὰ τόπον φασὶ καὶ ποταμὸν εἶναι. τινὲς δὲ Ἄζιριν μετὰ τοῦ ρ λέγουσι τὸν χῶρον. Cicero in Maniliana de Lucullo aduersus Mithridatē misso. *Patefactum nostris legionibus esse Pontum, qui antea populo Romano ex omni parte clausus esset, Sinopem atq; Amisum, quibus in opidis erant domicilia Regis, omnibus rebus ornata atque referta, cæterasq; vrbes Ponti & Cappadociæ permultas vno aditu atque aduentu esse captas.* Et Plutarchus in Lucullo de hac ipsa re: Σαλλούστιος μὲν οὖν φησι, χαλεπῶς διατεθεῖσθαι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν, εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ, καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάραξι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας. i. *At Sallustius quidem fuisse milites iam inde à principio belli male in Lucullum animatos, quod ad Cyzicum & iterum ad Amisum duas hiemes eos in castris continuisset.* Sed hæc lib. Histor. Sallustii legas. Locum quoque de Pompeio M. Sallustianum è Vegetio haustum prætermissum annotat Muretus lib. XIX. variarum cap. XXI.

Muria *quid. Elegans in scriptore de Viris illustribus emendatio.* Turdus *in deliciis.* Incendere annonam, & Flagellare.

CAPVT V.

Historia quoquo modo scripta ea sit, delectat & docet, inquit Plinius *lib. V. Epist. VIII.* Præclarè igitur faciunt, quale tandem vitæ genus, studiorumque sectentur, qui in eius lectione acquiescunt: quod semper ad omnem vitæ vsum prudentiores doctioresque dimittat. Apud Scriptorem de Viris Illust. quem malè nimis acceptum, adolescens emendaram, & Commentario explicaram, feceramque nisi me amo, meliorem, veterum codicum auctoritatem secutus. In M. Druso cap. LXVI. vulgò legitur, *Philippo Consuli legibus agrariis resistenti, ita collum in Comitio obtorsit, vt multus sanguis efflueret è naribus: quæ ille luxuria comprobans, morti iam detrudi se dicebat.* Quæ, ni fi quid iudicans fallor, nullum commodum sensum habent, sed ægrorum somnia sunt. Nos è vestigiis veterum librorum, in quibus erat: *quæ ille luxuriam obprobrans, mori aut detur dixisse dicebat.* Veram hanc lectionem exsculpsimus: *quem ille, Luxuriam obprobans, muriam de turdis esse dicebat:* quam postea integrè repperi in antiquissimo libro, vt de

vt de lectionis sinceritate amplius dubitari non debeat. Duacenses porro operæ *iniuriam* pro *muriam* primò excudendo iniuriam fecerant. Ceterum *muria* ex thynno fere conficiebatur, quæ Catoni, Palladio, Columellæ & Plinio lib. IX. cap. XVII. salsilago fictitia est: De dura vero *Muria* differit Hieron. Mercurialis lib. II. variarum lect. cap. XXVI. idemque de turdis lib. III. cap. III. Et apud Flaccum lib. II. Sat. II. inter gulæ delicias & condimenta à Catio Epicureo, heluone summo, laudata muria ex thynno Byzantio liquefacto.

Quod pingui miscere mero, muriaq; licebit
Non alia, quam quâ Byzantia putruit orca.

Post è quibusuis esculentis, inuitante gula Philoxeni ab Apiciis popinæque magistris muria excogitata. Plin. lib. XXXI. cap. VII. & VIII. Hinc Drusus cruorem qui è naribus Philippi Cos. hominis gulæ dediti, effluebat, *iniuriam turdorum* iocosè appellabat. *Turdi* enim in auium genere grati palato, probantur maximo illi nepotum gurgiti Apicio: Martiali quoque Xeniis:

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Medicorum quoque principi Galeno lib. III. de aliment. facult. & lib. de cibis boni & mali succi; & de attenuanda victus ratione: Columellæ, M. Varroni lib. III. de re rustica, & Horatio probantur:

—— cum sit obeso
Nil melius turdo. ——

De his quoque Persius:

Nec tenuem sollers turdorum nosse salinam.

Lucilius lib. XXX. *& circumuolitant ficedulæ, turdi*: Varro Ταχῆ Μενίππου: *οἱ ῥ ἀπομύναντο Edones Rom. vt turba intendat annonam: sed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, nisi volantem, non video.* Apud Nonium in *Edones* & *Phagones*. Vbi *incendat annonam* legi malim, vt apud eundem Varronem lib. III. rei Rust. obseruaui. *Epulas incendere annonam*: Vnde rectè de veteri libro locum Manilii Poetæ restituit Lud. Carrio Antiqu. Lect. lib. I. cap. X. & Turnebus lib. XXII. cap. XXXIII.

Et grauia annonæ speculantem incendia, ventis
Credere opes.

Et Quinct. Declam. XII. *Frumentum vt carius quidam venderent, ad annonæ incendium repressum est.* At *vexare annonam* dicebantur, qui à Iurisconsultis *Dardanarii* in veteri Glossario σιτοκάπηλοι vocantur. Cicero in Pisonem, *flagellabant annonam* dixit, & Martial. lib. II. Epigr. XXX. & lib. V. Epigr. XIII.

Arca flagellat opes.

Patrimonium deuorare, Catul. & Cic. in Pisonem: Contra, *vomere*, vt explicat Pet. Victorius lib. XXII. var. Lect. cap. *14*. *Profundere patrim.* Cic. Catilin. 2. Atque ad hanc fere formam concinnari exoptem Synonyma seu Polyonyma ling. Lat. locis auctorum breui adscriptis.

Virgilius quinies emendatus notâ meliore.

CAPVT LIX.

IN Marone, ne erres quædam adhuc deprauata occurrent, quæ facere meliora conabar. Vt illud Ecloga II. ex persona fortasse Poetæ, cum Augusto expostulantis, quod ereptos sibi agros ac veteranis distributos nondum restitueret:

I. *O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas:*
Nil nostri miserere: mori me denique cogis.

Credo equidem scripsisse vatem futuro tempore *coges*. Theocritum enim toto hoc Poematio expressit, qui Idyllio III. ἀπάγξασθαί με ποιήσεις.

II. Rursus in eadem Ecloga:

Quam diues pecoris, niuei quam lactis abundans.

Sic interpungi laudo vt τὸ *niuei* ad sequens *lactis*, non *pecoris*, referatur. Docent enim Rhetores epithetis sic data opera vti Poetas, etsi redundare videantur, quod apud Demetrium Phalereum lib. περὶ ἑρμηνείας legas. Sic Cratinus in Odysseis:

——χορταζόμενοι γάλα λευκόν.

M. Varro Andabatis *Candidum lacte* pro lac dixit.

Albius Tibullus: *Et niuei lactis pocula mista mero.*

Athenæus lib. II. Δειπνοσοφ. Κλέαρχος φησὶ τὸ μὲν ὕδωρ, ὥσπερ καὶ τὸ γάλα, λευκὸν λέγεσθαι. οἶνον δὲ καθάπερ καὶ τὸ νέκταρ, ἐρυθρόν.

III. Æneidos lib. VI. ver. *105*.

Omnia præcepi atq; animo mecum ante peregi.

Argutatur hic Seruius Honoratus, sed vt Aristophanis vsurpem, φλυαρίαν φλυαρεῖ: vnde colligo *percepi* legi maluisse quo modo vulgo editur. Audire iuuat ineptientem, tu modo risum, si potes teneto: *Sed occurris*, inquit, *si nouit omnia, quid consulit numen? sed nosse se dicit omnia, quantum ad labores pertinet & concedit totam petitionem, vt ad illud veniat, quod possit patrem videre. Præcepi* melius esse, hoc quidem loco, doctis hominibus assentior. Prudentiæ enim est longe ante prospicere, ac prouidere futura, eaque longe ante animo meditata habere, vt Comicus Afer in Phormione Act. I. ait:

Omnes

Omnes cum secunda res sunt, tum maxime
Meditari secum oportet, quo pacto aduersam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia.——

Quæq; laudat M. Tullius Tusculana III. ex Posidonio Philosopho, vt citat Galenus lib. IV. de Hippocratis & Platonis dogmatibus: vterq; autem ex Euripidis Theseo: nimirum, quæ mala putantur, prouisa esse leuiora. Et Æschylus dixit in Promotheo πάντα προὐξεπίσταμαι, quod est; *Omnia præcepi.*

IV. Æneidos lib. VII. V. 255.

Hunc illum fatis externa ab cæde profectum
Portendi generum——

Equidem malim legi, pace doctorum hominum, *prouecto* quasi sibi iam ratiocinando prouecto Ilioneo. Antecedit enim *voluendi* vox, qua mentis agitatio, meditatioq; designatur; quæq; à *volando* à nonnullis deducitur, vt & à vectatione *prouectus*. Latinus enim Orator *longius iam prouehi Orationem* frequenter vsurpat. Natum autem hic mendum arbitror, si quod est, quia præmisit vates paulo ante:

Hinc illum Coryti Tyrrhena ab sede profectum.

Quo factum arbitror, vt & hic librarii loco *profecto* denuo scripserint *profectum*. Sed iudicent eruditiores.

V. Æneidos lib. XI. V. 272.

Et socii amissi petierunt æthera pennis,

De Diomedis sociis in aues mutatis ait, de quibus & Ælianus lib. I. Hist. Animal. in limine, & *Erodios* fuisse opinantur. Seruius annotat legi hic à nonnullis: *admissis pinnis*; quam lectionem amplectitur Germanus Valens: quomodo *Admittere equos* Cæsar dixit, qui ad cursum incitantur. Mihi sanè secus videtur & malim *amissis*, pro emissis *pennis* legi prisco vocabulo, vt idem Terentius in seipsum puniente Act. III. Scen. I.

Prius perditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quam abs te amittas filium.

Amittas ait Donatus, pro dimittas, priscè, & ipse adeò Maro. II. Æneid.

Quisquis es, amissos hinc iam obliuiscere Graios.

Et vero M. Fabius censor grauissimus Maronem antiquis delectatum vocibus & Archaismos interdum affectasse admonet lib. VIII. Institut. Orator.

C. Cilnii Mæcenatis in Horatii funere, variè versus elucidati.

CAPVT LX.

DEmus in hoc Poëtarum vetere choro chorago *C. Mæcenati* locũ, vt agmen claudat, qui vnus Poëtas tam liberaliter fouit, quantũ Horatius ac Proper-

tius prædicant. Non enim eruditus modo fuit, sed & eruditorum, singularem se sub Augusto vsq; eò patronum præbuit, vt hoc etiam nomine, qui eruditos foueant, hodieq; appellemus, & Poëta canat Hiberus;

Sint Mæcenates non deerunt Flacce Marones.

Eius etiam carmina quædam legimus: vt hoc Q. Horatii obitum plorantis, numeris Phaleucis, quod Isidoro lib. XIX. Originum seu Etymologiarum cap. 32. acceptum referimus: molle quidem illud, qualem in omni vita fuisse L. Seneca prodit, at mirum in modum temporis vitio mendosum: Vt IV. Viri, quos apponam, coniecturis suis, quò integritati redderent, nauiter sudarint. Primo And. Alciatus, vt ætate sic & industriæ laude prior, lib. Παρέργων sic legendum censuit:

Lucentes, mea vita, nec smaragdos
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes
Nec præcandida margarita quæro:
Nec quas Thynica lima perpoliuit
Annellos, nec Iaspios lapillos.

A quo vix latum vnguem discessit excellens alter Iureconsultus Hispanus, Ant. Couarruuias, Didaci Episc. Segobiensis germanus frater, mihi olim Toleti perfamiliaris: variat tamen quod initio legat *Lugenti*, & in altero versiculo, *mihi mitte*, omisso nomine *Flacci:* vt vetet pretiosos sibi lapides ab amicis mitti, quod eorum vsus delinire lugentem nequeant, vt ipsius Flacci, quem luget extinctum, verbis vtar, lib. III. Carminum Oda I.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delinit vsus: ———

Hadr. Turnebus lib. XX. Aduers. cap. 2. ternos priores versus sic concinnabat, siue ab ingenio, quo multum valuit, siue membranarum ope, incertum,

Lugent te, mea vita, te smaragdos,
Beryllus quoq;, Flacce, nec nitentes
Nunc per candida margarita quæro.

Deniq; in Belgio Duza sic eosdem versiculos redintegrabat:

Lugens te, mea vita, nec Smaragdos
Beryllos mihi, Flacce, nec nitentes
Inter candida margarita quæro.

Beryllos enim inter candida margarita nitentes prædicat & C. Plinius lib. IX. cap. XV. in Lolliæ Paulinæ, quæ C. Imp. vxor fuit, ornatu ac mundo muliebri: Idemq; lib. XXXVII. cap. 5. auctor est beryllos cum smaragdis communem vim efficaciamq; naturæ habere. Et C. Pedo Albinouanus in Ele-

Elegia, qua calamitosum doctis nunc hominibus Mæcenatis funus deplorat, sic de Beryllo illi, dum viueret, in deliciis habito:

Vincit vulgares, vincit Beryllus arenas;
Littore in extremo quas simul vnda mouet.

Sunt autem eiusdem quoq; Mæcenatis de Morte Horatii versiculi in huius Vita perantiqua reperti:

Ni te visceribus meis, Horati,
Iam plus diligo, tu tuum sodalem
Ninnio videas strigosiorem.

Pe. Nannius, homo pereruditus, è suis membranis Buslidianis edidit:

———Titum sodalem
Mimo (al. *nimio*) *me videas strigosiorem.*

Ninnio pro hinnulo Pithœus edidit. Additur in eadem Vita:

Sed multo magis extremis, tali ad Augustum elogio:
Horati Flacci, vt memor esto mei.

Vbi Ant. Contius lib. II. Institut. Iustin. Tit. 10. ita legit, non necessario: *extremis indiciis*:

Octauianus quoq; Cæsar Aug. mollitiem, vt dixi, styli Mæcenatis notans, cum ad eum scriberet, eodem se comparauit modo, teste Macrobio, lib. II. Saturnal. cap. 3. in quibus & *berylli* mentio ac *Margariti*, quibus impensius delectatum apparet:

Vale mel gentium, melcule,
Ebur ex Etruria, laser Aretinum,
Adamas supernas, Tiberinum margaritum,
Cilniorum smaragde, iaspi figulorum
Berylle Porsenæ, carbunculum habeas. &c.

Vnde *Cilnia* gentis fuisse paret, quamuis *Cilinia* contendat Fuluius Vrsinus suis ad T. Liuii lib. X. & ad Corn. Taciti lib. VI. Annalium Notis: Non sequor. & vltima illa vox, *habeas* de mendo mihi suspecta est. Proprium subiiciendum, vt aliis. Lusisse vero *Mæcenatem* & alia Poematia, ex epigrammatis à Pet. Pithœo, homine accurato, pridem collectis didici, Pag. 4. 39. & 41.

Anacreontis Teii reliqua ab aliis cetera diligentissimis prætermissa.

CAPVT LXI.

VEnusta ac lepida *Anacreontis* poëmatia parentum memoria à typographorum στέφάνῳ & reperta & elaborata Scholiis, post etiã à Fuluio Vrsino Romano

Romano Plantinianis aucta atq; ornata sunt typis, vt tamen aliis post se colligenda (vteruditissimo Th. Cantero, qui nobiscum perhumaniter, vt solet, communicauit) nonnulla eius Poëtæ reliquerint; vt in Epodis Q. Flacci verbis vtar,

Qui persæpe caua testudine fleuit amorem:

Rursumq; lib. IV. Carminum:

Nec si quid olim lusit Anacreon
Deleuit ætas ——

Eius Poëtæ hæc Ælianus lib. IV. Historiæ Animalium cap. 2. adfert: Πορφύρεαν δὲ ὡσπερ οὖν τὴν Ἀφροδίτην ὁ Τήιος ἡμῖν Ἀνακρέων ᾄδει, πορφυρῆ τε λέγων, καὶ χρυσῷ δὲ εἰκασμένη φανείη αὖ. Ioannes Stobæus hunc Anacreontis versum adducit pag. 410.

Ἀπέκειρας δ' ἀπαλῆς κόμης ἄμωμον ἄνθος.

Apollonius Grammat. lib. I. cap.

Σὲ γὰρ περγήλιος ἐμμελῶς δίζοκεῖν. Et Etymologic. in Ἀβακης: Ἐγὼ δὲ μισέω πάντας, οἳ χθονίους ἔχουσι ῥυσμοὺς καὶ χαλεποὺς μεμαθήκασιν, ὦ μεγίστη τῶν ἀβακιζομένων. Eustathius in Homer.

Μεὶς μὲν δὴ ποσειδεῖον ἕστηκε
Νεφέλαι δ' ὕδατι βαρύνοντ'
Ἄγριοι δὲ χειμῶνες παταγοῦσι.

Et in anonymo quædam hæc repperi: Ἐγὼ δὲ τὶ τοῦ Ἀνακρέοντος μέλος, ὡς ἐν κατασκευαστικῇ μοίρᾳ ὑποτραγῳδήσω τῇ ἑορτῇ, καὶ ἅμα ἔλεγε:

Θεάων ἄνασσα Κύπρι,
Ἵμερε κράτος χθονίων
Γάμιε βιότοιο φύλαξ,
Ὑμέας λόγοις λιγαίνω,
Ὑμέας στίχοις κυδαίνω,
Ἵμερον γάμον Παφίης
Δέρκεο τὴν νεᾶνιν, δέρκεο κοῦρε.
Ἔγρεο μή σε φύγῃ πέρδικος ἄγρα
Στρατόκλεις φίλος κυθήρης
Στρατόκλεις ἀνὴρ Μυρίλλης.
Ἴδε τὴν φίλην γυναῖκα.
Κομάει, τέθηλε, λάμπει
Ῥόδον ἀνθέων ἀνάσσει
Ῥόδον ἐν κόραις Μυρίλλα.
Ἥλιος τὰ σέθεν δέμνια φαίνει,
Κυπαρίττος πεφύκοι σου ἐνὶ κήποις.

PINDA-

PINDARI Fragmenta ab aliis non allata in medium.

CAPVT LXII.

PINDARI Lyræ ac Dithyrambici carminis principis reliquos nobis adhuc fecit temporum felicitas libros IV. Ludorum Græciæ nominibus inscriptos: quomodo Herodotus nouem Musarum nominibus libros totidem ornauit, illius quæ reperimus fragmenta aliis intacta hic appendere libuit: Quod apud Plutarchum legitur lib. Bellóne Athenienses an sapientia clariores?

Ἰσμηνὸν ἢ χρυσαλάκατον μελίαν,
Ἢ Κάδμον ἢ Σπαρτῶν ἱερὸν γένος ἀνδρῶν
Ἢ τὸ πάνυ σθένος Ἡρακλέος ἢ θεᾶν.

Locupletius apud Lucianum hoc modo legas in Encomio Demosthenis: quorum versus primus à Dione Chrysostomo etiam in Tharsica priore allatus est. Sic enim Sophista Samosatenus:

Ἰσμηνὸν ἢ χρυσηλάκατον μελίαν,
Ἢ Κάδμον ἢ Σπαρτῶν ἱερὸν γένος,
Ἢ τὰν κυανάμπυκα Θήβαν,
Ἢ τὸ πάντολμον σθένος Ἡρακλέος,
Ἢ τὰν Διονύσου πολυγαθέα τιμὰν
Ἢ γάμον λευκωλένου Ἁρμονίας
Ὑμνήσομεν. ———

Philo Iudæus lib. de mundo incorruptib. Διὸ καὶ Πίνδαρος ἐπὶ τῆς Δήλου φησί, χαῖρ᾽ ὦ θεοδμάτα λιπαροπλοκάμου παίδεσσι Λατοῦς ἱμεροέστατον ἔρνος, πόντου θύγατερ, χθονὸς εὐρείας ἀκίνητον τέρας, ἅν τε βροτοὶ Δᾶλον κικλήσκουσι. μάκαρες δὲ ἐν Ὀλύμπῳ τηλέφαντον κυανέας χθονὸς ἄστρον. Strabo, seu quis alius, cuius iam non memini: Ἦν γὰρ τὸ πάροιθεν οὐ φορητά φησιν ὁ Πίνδαρος κυμάτεσσι παντοδαπῶν ἀνέμων ῥιπαῖσιν, ἀλλὰ καὶ ὁ γένος ὁ ποτ᾽ ὠδίνεσσι θύοισ᾽ ἐπιβαίνειν, δὴ τότε τέσσαρες ὀρθαὶ πρέμνων ἀπώρουσαν χθονίων, ἂν δ᾽ ἐπικράνοις σχέθον πέτραν ἀδαμαντοπέδιλοι κίονες, ἔνθα τεκοῖσ᾽ εὐδαίμον᾽ ἐπόψατο γένναν.

Zenobius Centuria V. Adag. 59. & Diogenianus noster Cent. VII. Adag. 12. Ἀπιζόμενοι Σκύθαι νεκρὸν ἵππων λόγῳ, κρυφᾷ δὲ σκολιοῖς γάνυσιν ἀναδέρουσι πόδας.

Aristides:

Ἐπέρχεταί μοι καὶ τοῦ Πινδάρου πεπονθῆναι,
Ἄστρα τε καὶ ποταμοὶ καὶ κύματα πόντου.

Sextus Empiricus Philosophus contra Pyrrhonios: Διαδήλως οὖν καὶ οἱ ποιηταὶ περὶ τούτων ἀπεφήναντο. ὁ μὲν γὰρ Πίνδαρος φησὶν Ἀελλοπόδων μέν τιν᾽ εὐφραίνουσιν ἵππων

τιμαὶ καὶ στέφανοι. Τοὺς δ' ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά. τέρπεται δέ κέ τις ἐπ' οἶδμα ἅλιον ναῒ θοᾷ διαστείβων. Artemidorus lib. IV. de Insomniis: Ἄλλα δὲ ἄλλοις νόμιμα σφέτερα δέδεικται ἑκάστης. Pausanias in Achaicis. Ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τ' ἄλλα πείθομαι τῷ ᾠδῇ, καὶ μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν τύχην, καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφὰς τι ἰσχύειν. Io. Stobæus in Physicis Eclogis: Γλυκὺ δὲ πόλεμος ἀπείροισι, ἐμπείρων δέ τις ταρβεῖ προσιόντα νιν καρδίᾳ περισσῶς. Aristides Florent. edit. pag. 150. Ἐν ἅρμασι δὲ νικᾷ τύχα οὐ σθένος, σὲ δ' ἐγὼ παρ' ἀμῶν αἰνέω μὲν γηρυόνη· τὸ δὲ μὴ Διὶ φίλτερον σιγῶμι πάμπαν. Item pag. 99. θεῶν ἀπὸ πλέον τι λαχών. Iterum p. 56. οὔτις ἑκὼν κακὸν εὕρετο. Ibidem: Ὦ πόποι, οἷ' ἀπατᾶται φροντὶς ἐφημερίων οὐκ εἰδυῖα. Et pag. 156. ὁ Πίνδαρος τὸν Κάδμον φησὶ ἀκοῦσαι τοῦ Ἀπόλλωνος, μουσικὰν ὀρθὰν ἐπιδεικνυμένου. Rursum pag. 59. & 60. Ἀλλ' ὥσπερ ἔφη Πίνδαρος, θεοῦ δείξαντος ἀρχὴν, οὐδὲν δὴ τὸ κωλύον. Θεοῦ δέ φησι δείξαντος ἀρχὴν εὐθεῖα δὴ κέλευθος εὑρεῖν τὰ προκείμενον. Pausanias lib. IV. & libro X. semel vtrumq; Pindarum citat: & Priscianus lib. de Metris sæpius. Herodotus in Thalia. Ὀρθῶς μοι δοκέει Πίνδαρος ποιῆσαι Νόμον πάντων βασιλέα φήσας εἶναι. *Morẽ omnium esse regẽ.* Quo de aureo dicto Pindari Aristides differit Orat. I. de Rhetorica, & Plato. Dionysius Halicarnasseus in Rhetoricis, pag. 179. v. 20. Wech. Gr. Πρέπει δὲ ὄλοισιν ὑμνεῖσθαι καλλίστοις ἀοιδαῖς. Τοῦτο γὰρ ἀθανάτοις τιμαῖσι ποτιψαύει μόνον ῥηθέν. Θνάσκει δ' ἐπιλασθὲν καλὸν ἔργον. Fred. Sylb. pro ὄλοισιν legit ἐσλοῖσιν, id est, ἀγαθοῖς: & pro ἐπιλασθὲν, ἐπιλαθέν. Libanius in Epistolis ὁ μὲν Πίνδαρός που φησὶ μέλλοντι χρυσῶν εἶναι φύλαξ, τὰ δὲ εἶναι μουσῶν, καὶ τούτων ἄλλοτι ἄλλοις νέμειν. Galenus denique in Protreptico ad artes: οὐ γὰρ γεωμετρίας, οὐδ' ἀστρονομίας ἀφίσταται, ἀλλὰ τά τε τῆς γῆς νέρθεν καὶ τὰ ὕπερθε τοῦ οὐρανοῦ κατὰ Πίνδαρον ἐπισκοπεῖ.

ANDR.



ANDR. SCHOTTI

OBSERVATIONES HISTORICÆ ET GEOGRAPHICÆ.

LIBER III.

IN HISTORICOS

LATINOS

C. Iulium Cæsarem
C. Sallustium Crispum
T. Liuium
L. Annæum Florum
Corn. Nepotem
Sex. Aur. Victorem
C. Suetonium Tranquillum
Valerium Maximum
Velleium Paterculum
Paullum Orosium
Eutropium
Ammianum Marcellinum
Augustæ historiæ Scriptores.

GRÆCOS

Thucydidem
Herodotum
Ctesiam
Dion. Halicarnasseum
Herodianum
Xiphilinum
Heliodorum
Achillem Tatium
Theophilactum Simocattam
Procopium
Agathiam.

Res secundæ vitiis obtentui. Locus è Thucydide & Demosthene à Sallustio expressus.

CAPVT I.



SImius Thucydidæ Sallustius. Eius nunc documentum damus. Sic enim in M. Æmilii Lepidi Cos. oratione: *res secundæ mirè sunt vitiis obtentui.* Quod ex Thucydide lib. III. Peloponnesiaci belli hausit. quamuis negent duo locum in Historico reperiri. Est autem in oratione Cleonis:

Εἴωθε δὲ τῶν πόλεων αἷς ἂν μάλιστα καὶ δι' ἐλαχίστου ἀπροσδόκητος εὐπραξία ἔλθῃ ἐς ὕβριν τρέπειν. τὰ δὲ πολλὰ κατὰ λόγον τοῖς ἀνθρώποις εὐτυχοῦντα ἀσφαλέστερα ἢ παρὰ δόξαν· καὶ κακοπραγίαν ὡς εἰπεῖν ῥᾷον ἀπωθοῦνται ἢ εὐδαιμονίαν διαφέροντα.

 Sole,

II. Hunc in T. Pomponii Attici vita locum: *Ipsum Pompeium coniunctum non offendit*, deprauatum quoque existimo, nec succurrunt interpretes: Forte *iam victum*, vel sic: *seipsum Pompeio coniunctum non ostendit*: quam emendationem sequentia facile probant, cum dicat Cæsari adeò gratam Attici quietem fuisse, vt cum cæteris pecunias imperaret, huic non solum molestus non esset, sed etiam sororis filium, & Q. Ciceronem ex Pompeii castris concesserit.

III. Post paulò: *Sed etiam qui aduersariis eius se dabant*, forte *cedebant*, vt adulationem significet, vel *se dabant*, id est, non omnino hostis, sed qui hostes ex animo fuerunt: vt illud, *Antonii familiares* sequebantur, glossema videatur, vel *familiam insequebantur*, pro *insectabantur*.

IV. Mox: *Sed sensim is à nonnullis optimatibus reprehendebatur*. Quod si *sensus eius legamus*, intelligetur commodius, quid velit Nepos, & statim, *sui iudicii*, videtur glossema ex orâ assutum.

V. Circa finem: *Exultum his terris*. Lego *ex vltimis terris*, de Ægypto accipio, quomodo nos in Tullianis Nod s ad Manilianam Cic. Orationem pluribus differebamus lib. I. cap. XXI.

Liberum, Herculem, Apollinem, Dianam *quinam potissimum imitati*.

CAPVT III.

NOn modo *Alexandrum* M. veteres plerique Romani & Græci, vt infr. cap. XIX. docebimus, sed & Heroas *Bacchum & Herculem*, imò & *Apollinem*, & *Dianam* gestu præ se tulerunt, nomenque adoptarunt.

I. *Mithridates* rex Ponti *Bacchum* à Trallianis se dici passus est, vt ait Cicero pro Flacco: *Mithridatem*, inquit, *Deum, illum patrem, illum conseruatorem Asiæ, illum Dionysium, Bacchum, Liberum nominabant*. Causam porrò cur hoc nomen assumserit, è Plutarch. I. libro συμποσ. reddit Muretus lib. I. cap. II. variarum.

II. *Antigonus* apud Herodianum lib. I. initio: Ἀντίγονος Διόνυσον πάντα μιμούμενος, καὶ κισσὸν μὲν περιτιθεὶς τῇ κεφαλῇ ἀντὶ καυσίας, καὶ διαδήματος Μακεδονικοῦ, θύρσον δὲ ἀντὶ σκήπτρου φέρων.

III. Apud Romanos *C. Marius*: de quo Valerius Maximus lib. III. cap. VII. *Iam C. Marii pene insolens factum. Nam post Iugurthinum, Cimbricumque, & Teutonicum triumphum, cantharo semper potauit. quod Liber Pater inclytum (lego Indicum) ex Asia triumphum ductus hoc vsus poculi genere ferebatur, vt inter ipsum haustum vini victoria eius suas victorias compararet*. Idem Plutarchus περὶ ἀοργησίας, & Plinius lib. XXXV. cap. XI.

IV. *M. Antonius* III. Vir R. P. C. Athenis agens *Dionysius* est appellatus, cui Græculi Palladem suam desponderant: quibus ille dotis nomine nimium quantum imperauit: vt nos ad Senecæ Rhetoris suasoriam I. ex Dione notabamus. Bacchum item egit Ephesi. M. Antonius ait Plutarchus. Plinius lib. XIV. cap. vlt. Paterculus & Had. Iunius lib. V. Animaduersorum cap. I.

V. Cn. Pompeius Magni cognomento non modo Alex. Magnum rerum fulgore æquauit, sed & Liberum patrem, atque Herculem, vt auctor est C. Plinius lib. VII. Natur. Historiæ cap. XXVI.

VI. *Caius* item *Cæsar Caligula*: de quo Athenæus lib. IV. Cenæ, *Caius Imp. cognominatus Caligula, quia in exercitu & castris natus fuisset, non solum nouus Bacchus nominabatur, sed Bacchicam vestem totam indutus prodibat in publicum, & cum eo vestitu ius reddebat.* Aurelius Victor in Historia Augusta, & in Epitoma. Bacchi autem vestis syrma fuit, teste Solino, cap. LVI. de Taprobane, & Seneca in Herc. furente.

VII. *Nicias* seruum manumisit, quod Bacchum imitatus esset. Plutarchus.

1. *Herculem* sunt imitati *Alexander Magnus*, de quo lib. XII. Athenæus; *Ephippus scribit Alexandrum sacras etiam vestes in conuiuiis gestasse, &c. Cætera fermè quotidie chlamydem purpuream, tunicam albo distinctam, causiam, quæ diadema regium sustineret, & amicis ad eum conuenientibus talarem, petasum in capite, in manibus, caduceum nonnunquam, leonis pellem, & clauam, vt Herculem.* Quis autem fuerit habitus *Herculis*, pellis leonina, & in dextra claua, docebit in Lapithis Lucianus, & Galenus in Exhortatione ad artes.

2. *Pyrrhus* Epirotarum rex, vt genus maternum ab *Hercule* deriuabat, sic pugnans identidem cum Romanis nauiter resistentibus, vt Herculi, ita sibi quoque cum hydra Lernæa rem esse iactabat. L. Florus lib. I. cap. XVIII. & Scriptor de Viris Illust. cap. XXXV. Idem Pyrrhus Achillis æmulus, teste in eius vita Plut. à quo paternum genus repetebat, vt maternum ab Hercule, contra atque ibi Scriptor de Viris illustr.

3. *Commodus* Imp. Hercules & Iouis filius cognominatus: testis eius æqualis Herodianus lib. II. & Athenæus lib. XII. *Commodus Imp. apud nos in curru appositam habuit clauam Herculeam, substrata ipsi leonis pelle, & Hercules cognominari voluit.*

4. De *Maximino maiore* Iulius Capitolinus: *Ne hoc quoq; illius famæ accederet, quod Maximinum virum temporis sui fortissimum, & quem alii Herculem, Achillem alii, alii Aiacem vocabant, à suo exercitu dimoueret.*

5. Vt *Valerio Diocletiano* Iouii, sic Maximiano Herculei cognomen adhæsisse auctor est Aurelius Victor cap. XXXIX. historiæ Augustæ. Hinc legiones *Iouiana & Herculeiana*.

6. Ap-

6. Appuleius lib. VIII. Milesiarum ait *de Charite*, quæ maritum mortuum indutum Liberi habitu diuinis honoribus colebat.

1. Transeo ad *Apollinem*: quem se fecit Clearchi Heracleæ præfecti filius iunior, tempore Alexandri hac inscriptione:

Dorica quem genuit Phœbæo sanguine mater.

2. *Augustus* Apollinem egit in conuiuio duodecim Deorum. Suetonius cap. LXX.

Dianam Apollinis sororem exhibuit se quoque Alexander, teste Athenæo, eodem libro XII. Omitto, quod se *Iouem Ammonem*, eiusque filium iactarit, atque adeo vt Deum coli Persico ritu, vt & postea Romæ Domitianus voluerit, teste Theone, Diodoro, & Æliano. Plura de *Alexandro M.* moribus expresso infra cap. XIX. huius libri:

——En quo dementia Reges
Perduxit miseros!——

Saguntum. *Sallustiana ab aliis non allata. Cicero illustratus.*

CAPVT IV.

CArisius auctor est *Saguntium* dixisse Sallustium: & *Saguntiorum* pro Saguntinorum Cælium, quem Sallustio prætulit Hadrianus Imp. teste Ælio Spartiano. Sed quid mirum? cum & Catonem Cicerone, & Virgilio Ennium præstantiores putarit? De hac Hispaniæ vrbe hoc in D. Hieronymo Sallustii ab aliis præteritum legens repperi in cap. II. Habacuc Prophetæ: Crispus in Historiis loquitur: *Saguntini*, inquit, *fide atque ærumnis inclyti per mortalium studium maiores quam opibus. Quippe qui etiam cum semiruta mœnia, domus intecta, parietesque templorum ambusti, manus Punicis ostentabant.* De his & Petronii Arbitri illud ex Satyra extrema adscribere libet, cum agam de Saguntinis: quorum & opidum spectaui olim cum voluptate, & amphitheatrum lino sum dimensus: *Saguntini oppressi ab Hannibale humanas carnes, nec hereditatem exspectabant.* Vbi & de Numantinorum fame & *Petamorum*, qui à T. Liuio lib. XXIII. & Sex. Iulio Frontino lib. IV. *Petilini* vocantur.

Libro IV. historiarum, vbi de Mithridate agit, de situ Asiæ Minoris, & Euphratis fluuii multis eum argumentis scripsisse didici: tum verò ex Isidori lib. XIII. cap. VI. quod totum ex Sallustianis contextum arbitror, vbi de Ponto Euxino, sic & de palude Mæotica egisse ex Rufo Auieno Festo in Iambis versibus oræ maritimæ descriptione ad Probum obseruaui:

Interrogasti, si tenes, Mæotici
Situs quis esset æquoris, Sallustium
Noram id dedisse, dicta vt eius ab omnibus

Prain-

vt de lectionis sinceritate amplius dubitari non debeat. Duacenses porro operæ *iniuriam* pro *muriam* primò excudendo iniuriam fecerant. Ceterum *muria* ex thynno fere conficiebatur, quæ Catoni, Palladio, Columellæ & Plinio lib. IX. cap. XVII. salsilago fictitia est: De dura vero *Muria* differit Hieron. Mercurialis lib. II. variarum lect. cap. XXVI. idemque de turdis lib. III. cap. III. Et apud Flaccum lib. II. Sat. II. inter gulæ delicias & condimenta à Catio Epicureo, heluone summo, laudata muria ex thynno Byzantio liquefacto.

Quod pingui miscere mero, muriaq; licebit
Non alia, quam quâ Byzantia putruit orca.

Post è quibusuis esculentis, inuitante gula Philoxeni ab Apiciis popinæque magistris muria excogitata. Plin. lib. XXXI. cap. VII. & VIII. Hinc Drusus cruorem qui è naribus Philippi Cos. hominis gulæ dediti, effluebat, *iniuriam turdorum* iocosè appellabat. *Turdi* enim in auium genere grati palato, probantur maximo illi nepotum gurgiti Apicio: Martiali quoque Xeniis:

Inter aues turdus, si quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Medicorum quoque principi Galeno lib. III. de aliment. facult. & lib. de cibis boni & mali succi; & de attenuanda victus ratione: Columellæ, M. Varroni lib. III. de re rustica, & Horatio probantur:

——— cum sit obeso
Nil melius turdo. ———

De his quoque Persius:

Nec tenuem sollers turdorum nosse saliuam.

Lucilius lib. XXX. *& circumuolitant ficedulæ, turdi*: Varro Ταφῆ Μενίππου: *οἱ ῥωπομύναυτο Edones Rom. vt turba intendat annonam: sed propter phagones ficedulam pinguem, aut turdum, nisi volantem, non video.* Apud Nonium in *Edones* & *Phagones*. Vbi *incendat annonam* legi malim, vt apud eundem Varronem lib. III. rei Rust. obseruaui. *Epulas incendere annonam*: Vnde rectè de veteri libro locum Manilii Poetæ restituit Lud. Carrio Antiqu. Lect. lib. I. cap. X. & Turnebus lib. XXII. cap. XXXIII.

Et grauia annonæ speculantem incendia, ventis
Credere opes.

Et Quinct. Declam. XII. *Frumentum vt carius quidam venderent, ad annonæ incendium repressum est.* At *vexare annonam* dicebantur, qui à Iurisconsultis *Dardanarii* in veteri Glossario σιτοκάπηλοι vocantur. Cicero in Pisonem, *flagellabant annonam* dixit, & Martial. lib. II. Epigr. XXX. & lib. V. Epigr. XIII.

Arca flagellat opes.

T. Liuii loca plurima lib. XXII. ab V. C. è membranis restituta. Epitoma lib. XCVII. defensa vulgaris contra Sigonii sententiam lectio.

CAPVT VI.

T. *Liuio* Patauino in hoc censu locum debeo & industriam. Contuli olim ad Buslidianum Codicem Louanii, quæ appendere non piguit. Sic lib. XXII. editur:

I. *Equitum pedestre prælium, quale iam haud dubia hostium victoria fuit.* Mutandum *iam* cum *in* præpositione, eo sensu: Tale fuit prœlium pedestre equitum, quale in haud dubia hostium victoria.

II. *Parq́ magis in aduersando.* In altero è scriptis codicibus *compar* legitur, ac recte quidem. Intelligitur enim vtroque vocabulo antagonista; qua ratione *paria gladiatorum* dicimus.

III. *Ne vt reus interea m, causaq́ Consulatus accusator collega existam.* *Accusatori* legendum existimo. Sic enim supra: *L. Æmilium Paulum, qui cum M. Liuio Consul fuerat, & damnatione collega, & sua prope ambustus euaserat.* Varro Liuium Salinatorem & Æmilium reos fecerat: probata culpa ad populum Æmilius culpam in collegam transtulit. Ea res effecit, vt Varro Consul fuerit; eandem denuo necessitatem impietatis recusat, mortemq́ue præoptat. Quod si veterum libb. lectionem mauis: *alteri* aut simile quid addendum hoc modo:

Causaq́ alteri Consulatus, accusator collega exsistam.

IV. *Quadraginta millia peditum, duo millia septingenti equites & tanta propè ciuium sociorumq́ pars casi dicuntur: in his alter Consulum Quæstores.* Locus salebrosus, & alicubi vitiatus. H. Glarianus, vt numerum occisorum cum Polybio vtcunque æquet, sic legit: *Et tanta prope sociorum pars casi dicuntur.* Sed Liuius sibi in hoc numero constat. Postea enim ait: *Quinquaginta millia ciuium, sociorumq́ circa vos eo ipso die casa iacent.* Quare recte à Sigonio recepta lectio defenditur. Id haud dubiè mendosum: *In his alter Consulum Quæstores*: Et ex fide vetustiorum codicum ita mutandum: *In his amborum Consulum Quæstores L. Attilius, &c.*

V. *Sic strage exercitus grauior: fædiorq́ fuit fuga:* Quomodo hic *fædior fuga* quàm in Alliensi pugnâ? cum illic miles sine vlla dimicatione fugerit, hic tot millibus trucidatis, vt ipse statim dicit, fugientem Consulem vix quinquaginta secuti sint? Quamobrem verba hæc: *fuit fuga*, delenda arbitror: certè in quibusdam exemplaribus altera earum deest.

Non vos quidem L. Æmilii, qui se bene mori quàm turpiter viuere maluit, & tot fortissimorum virorum, qui circa eum immolati iacent, similes estis. Sed antequam

oppri-

opprimat lux, &c.] ἀπρόσδοτον est in hoc sensu. Negatur esse similis *AEmilius* cum suis, sed quorum similes sint non redditur, quod tamen maximè in exspectatione erat ob particulam, *quidem*, quæ sententiam suspendere solet ad contrariæ rei illationem. Excusari potest per ἀποσιώπησιν, seu Reticentiam, qua sermo ipse inchoari solet, sed ita, vt abrumpatur.

Virgilius Æneid. I.

Quos ego: sed motos præstat componere fluctus.

Buslidianum vetus exemplar post *sed*, hypostigmon habet: *Non vos quidem L. AEmilii, &c.* Deinde: *similes estis, sed. Antequam opprimat lux*: vt bilem stomachi iam iam se effundentem iniecto silentio retineat.

VI. *Hac apud strictos magis impetu animorum.* Scriptus codex rectè pro *strictos*, habet *victos.*

VII. *Sequere cum equite.* Si exemplaria suffragarentur, mallem: *sequere cum pedite.* Primùm, quia vbi celeritate opus est, præcedit eques, pedes subsequitur: deinde quia Maharbal equitatui præerat, qui pro verbis istis functionem suam à se relegare absurdè videtur. Certè apud M. Catonem in Originibus & Cælium in II. Historiarum, *Maharbal* equitatum ab Annibale petit, ipsum cum peditatu subsequi iubet.

VIII. *Ad consilium pensandum tempus opus esse.* Rectum non videtur, & Buslidianus codex, *pensandum* habet, hoc est, expendendum. Iam enim apprehensum erat consilium à Maharbale victis esse instandum, sed an id vtile sit, expendendum Annibali videtur: qua in re morâ temporis opus est.

IX. *Tum Fabius Maximus censuit equites expeditos & Appia & Latina via mittendos, qui obuiam euntes percunctarentur aliquos profectos ex fuga, passim dissipatos forte referant, quæ fortuna Consulum est, &c.* Locus mihi mire suspectus, & cum eo quoque colluctatur Sigonius, qui legit: *Si forte referant.* Mea exemplaria pro *percunctarentur*, habent *percunctando.*

X. *Sub terra viui defossi sunt in locum saxo conseptum; ibi ante hostiis humanis minime Romano sacro imbutum.* Scripti Codices habent pro *ibi, vbi*; sed vtrumque superuacaneum puto, & sententiæ officere. Quod si, *ibi*, retinere velis, verbum deest quod sensum compleat.

XI. *Et aliam formam noui delectus, inopia liberorum capitum ac necessitas dedit, &c.* *ac* delendum.

XII. *Illud etiam in tali consilio animaduertendum vobis censeam P. C. si tam duri oris esse velitis.* Idem Sigonius annotat, legi in aliis exemplaribus: *Si duriores esse velitis*, quod rectum puto. Non enim improbitatem frontis, sed sæuiorem sententiam deprecatur. Gelricum exemplar habet: *Si tamen duriores esse velitis*, sed ita scriptum *tamen*, vnde alii *tam* fecerunt.

Cæterum illud, *tamen* mirificam hic vim habet, retrahendi à duritie, quasi id fieri non debeat.

XIII. *Neque enim per se ipsi id facere conati.* Τὸ, *neque* abundat, & abest à Gelrico exemplari.

XIV. *Qui erumpentibus quin erumperent obsistere conati sunt.* In scriptis exemplaribus, *vt erumpentibus, qui ne erumperent obsistere conati sunt.* Quid si legas, translatis tantummodo verbis, *vt qui erumpentibus, ne erumperent, obsistere conati sunt?* Quanquam vulgata lectio defendi potest, si, *quin*, pro *quo minus*, accipias.

X V. *Orto sole hostes ad vallum accessit.* Exemplari à scripta: *Orto sole ab hostibus ad vallum accessum*, impersonaliter, quod magnificentius videtur.

Venio ad Liuiana excerpta, seu Epitomen Libri XCVII. ab vrbe condita: qui stigmatus est, & asterisco notari iussus Caroli Sigonii auctoritate: cuius viri etsi summa est apud me, vt esse debet, auctoritas, tamen fas sit interdum sine maleuolentia dissentire. Epitomæ verba sunt: *M. Crassus & Cn. Pompeius Coss. facti, sicut Pompeius antequam Quæsturam gereret, ex equite Romano.* Si legas & interpungas voce *sic, vt* diducta in duas, planus erit sensus, tametsi non inficior verum esse quod Sigonius adiicit: *vt Crassus ex Pretura.* Dein euincit librorum quos Carolus adhibuit, fides, qui *facti sic*, integre præferunt, vt diuisam appareat dictionem, sensu plano.

Garum. *Garum* Sociorum an Sosiorum *appellandum, Seneca, Martialis, Ausonius & alii illustrati.*

CAPVT VII.

MVriæ mentio manum iniecit, aureméque vellit, vt de *Garo* quædam huic chartæ illinerem: tametsi apud doctos ea protrita sint. Non enim Lælios aut Persios harum ineptiarum lectores volumus, nec, vt Lucilius Consentinos & Tarentinos ad has lautitias inuito: quorum illi huiusmodi condimenta non appetent; hi quia insipidum palatum habent, hæc condimenta fastidient, sed hospites modici cibi ad cenam accipiam.

Vt *muria* olim ex thynni intestinis, ita ex scombri *garum* liquoris exquisiti genus, vt Aëtius lib. II. cap. CLI. Paullus Ægineta lib. VII. & Martialis lib. XIII. de Antipolitana muria, quam celebrat & Plinius lib. XXXI. cap. VIII.

Antipolitani fateor sum filia thynni,
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Fit etiam ex *garo* pisce, teste Plinio libro superiore. Capite tamen VII. ex omni pisce fieri innuit: *Liquoris*, inquit, *exquisiti genus ex intestinis pisciũ, cæterisq; quæ abiicien-*

abiicienda essent, sale maceratis, vt sit illa putrescentium sanies. Dioscorides quoque ex carnibus ait factum esse Garum, lib. II. cap. XXXIV. Iudæi garum conficiebant ex piscibus squamma carentibus, vt Plinius ait. Cælius Aurelianus tradit lib. II. Liquorem quoq; ex pisce siluro appellari *garum*. Constantinus Cæsar lib. XX. de Agricult. cap. XLV. ponit *garum sanguineum*.

Illud est controuersum, Cur *Sociorum* sit appellatum an à societate vrbium; vel quia in sodalitatibus conuiuisq; publicis adhibebatur: an à gente Sosia *Sosiorum*? Variè enim scriptum obseruaui in iis qui vulgo circumferuntur, libris Plinii, Ausonii, & Senecæ epist. XCVI. *Quid illud*, inquit, *Sosiorum garum pretiosam malorum piscium saniem, non credis vrere salsa tabe præcordia?* Nam M. S. qui penes me est, *Sociorum* præfert. Sed quidnam esse causæ huius appellationis dicemus, quam & Plinius ipse miratur lib. IX. Cap. XVII. & lib. XXXI. ca. VII. An quia quod Romæ illustris gens *Sosia* (nã & Sosio Senecioni dedicat Plutarchus τὰ συμποσιακὰ) eo liquamine aut frequentius vtebatur, aut primum Romam attulerat: quemadmodum *vina Opimiana* dicta sunt, quæ à L. Opimio. Q. Fabio Coss. an V. C. DCXXXII. diffusa sunt, vt auctor est Plinius lib. XIV. cap. XIV. & Plutarch. de Græcis, Velleius lib. XI. *Gentiana* quoque *herba* à Gentio Illyriorum Rege nomen inuenit. Idem Plinius lib. XXV. cap. VII. & alia sexcenta. Atqui, vt demus ita esse, *Sosianum garum* non *Sociorum* appellandum videretur; & *Sociones* Romæ quoq; clari, in his Annæi Senecæ praeceptor, cuius ipse meminit, Epist. L. nec à Societatibus magisteriisq Sociorum rectè diceretur. Quid porro alii hac de appellatione senserint excutiamus: nam & ante me dubitasse video Georgium Merulam, & Corn. Vitellium: quorum hic ait ideo appellatum *Sociorum*, quod apud solos Pop. Romani socios fieret; ille, quod in *Hispania* fere conficeretur, qui *socii pop. Romani* erant. Antonius Musa Brasauolus, Medicus Ferrariensis *Sotorum* appellatum fingit, quasi bibonum, qui potius *Sodales* in Cõuiuiis indigitantur, quasi *simul edales* apud Festum, Horatium, & Scriptorem de Viris Illustri. Ioan. Langius in Medicinalibus Epist. LIX. *Asotiorum*, contra libros omnes, nõ *Sociorum* appellandum contendit, quasi heluonum proprium. Sed in errore est manifesto; quia *Asotorum* quatuor duntaxat syllabis scribendum, tum quia non satis iusta appellationis causa est. Quoduis enim *garum* asotis gulæq; mancipiis gratum. Inclinat igitur animus, vt, quod à Sociis Pop. Rom. initio mitteretur, *Sociorum* potius cognomen sortitum credam, sicq; accipienda illa Plinii lib. XXXI. cap. VIII. & lib. XXXII. cap. VII. censeam.

Celebratur autem inter cetera *Garum*, quod *in Hispania* confici solebat, quod laudat Galenus lib. III. De Comp. Medicament. secundum loc. cap. I. distract. XIV. Plinius lib. IX. c. XV. Dioscorides, & Horatius lib. II. Sat. IV.

His mistum ius est oleo, quod prima Venafro
Pressit cella, garo de succis piscis Iberi.

Barcinonense, licet in Hispania, singulariter celebrat Auson. epistola ad Paulinum: *Scis me nomen muriæ, quod in vsu vulgi est, nec silere, nec posse dicere, cum scientissimi veterum, & Græca vocabula fastidientes, Latinum in gari appellatione non habeant. Sed quocunq; nomine loquar, liquor ille sociorum vocatur.*

Aliud fiebat in *Carthaginis Spartariæ* cetariis, teste Plinio VIII. Cap. lib. XXXI. quo nullus liquor maiore in precio erat, præter vnguenta, adeo vt bini Congii singulis nummûm millibus æstimarentur. Hunc tamen Plinii locum Musa ille Ferrariensis aliter interpolauit, contra Plinium lib. XIX. cap. II.

Sexitanicum à Sexi vel Sexitania vrbe, non procul Carthagine noua laudat Plin. lib. III. cap. I. & Athenæus lib. III. ex Strabone lib. III. vnde & *Scombraria* insula nomen accepit, à copiosa scombrorum (ex quibus optimum pareretur *garum*) piscatione. Ἐκ Σεξιτανίας καὶ ἄλλων Σκομβροαρίαν ἀπὸ τῶν ἁλισκομένων σκόμβρων ἐξ ὧν τὸ ἄριστον σκευάζεται γάρον. Lacertos quoque cognomines præter Martialem lib. VII. Epigram. LXXVII.

Cum Saxitani fertur tibi cauda lacerti.

Laudat & Plinius lib. XXII.

Garum Gaditanum commendatur ab Hippocrate in splenis curatione, lib. περὶ τῶν ἐντὸς παθῶν. τάριχος, inquit, Γαδειρικὸν ἢ Σαπέρδην. &c. Et Galenus 3. de alim. facult. Oribasius lib. IV. cap. I. Collect. Mercurial. lib. VI. *Variar.* cap. XI. Errant itaque qui *Gaditanum* & Carthaginense vnum & idem esse dicunt, quemadmodum Cuminum *Aethiopicum & Aegyptium* vocatur *Regium*, quia sunt conterminæ regiones. Dioscorides lib. III. cap. LVII. cuminum Æthiopicum ab Hippocrate *regium* appellari scribit. Plinius verò ab eodem vocari dixit lib. XX. cap. XV. quod in Ægypto nascitur. Fallitur quoque Paul. Iouius lib. extremo de Piscib. Rom. tradens optimum *garum* in Africa confici; deceptus, vt arbitror, nominis *Carthaginis* in Plinio ambiguitate, quam ille vnicam videtur agnouisse, pertinacem illam Imperii Romani æmulam, cum & *Spartariam* cognominarit Plinius; & lib. XIX. cap. II. cur *Spartaria* dicta sit, rationem reddiderit; Fabiusq; lib. VIII. ca. I I. & Melchior Guilandius in Plin. de Papyro satis indicarint.

Quanto autem in pretio fuerit *Garum* indicat Martial. in Xeniis, qui *fastosum* vocat, muriæ viliori opponens:

Expirantis adhuc scombri de sanguine primo,
Accipe fastosum munera grata garum.

Rectè (nam *fæcosum* antea & *fastorum* perperam legebatur) emendante ~~Had. Iunio~~ lib. VI. Animaduersor. cap. XVII. & Ios. Scaligero lib. II. Auson. Lection. cap. XXVIII.

Sex.

Sex. Iulius Frontinus de Aquaductibus semel iterumq; è coniectura instauratur.

CAPVT VIII.

Lib. I. De aquæductibus ita Frontinus: *Post Caius Cæsar qui Tiberio successit, cum parum & publicis vsibus,& priuatis voluptatibus, septem ductus-aquarum sufficere videretur, altero imperii sui anno M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate Coss. anno VC. DCCXC. duos ductus inchoauit: quod opus Claudius magnificentissimè consummauit, dedicauitq; Sulla & Tutiano Coss. anno post V. C. DCCC. sexto Kal Augusti.* De hac Caii Cæsaris & Claudii operum magnificentia Plinius lib. XXXVI. cap. XV. & Suetonius in Caio cap. XXI. & in Claudio XX. & Corn. Tacitus. Sed hi duo Coss. postremo loco nominati non reperiuntur in Consularibus Fastis. In Pomponii Læti editione, legitur *Suilio & Titiano* Coss. Iucundus Veronensis reposuit *Sulla & Tutiano* Itaq; ex vtroq; lego: *Sulla & Titiano.* Io. Opsopæus ex Tacito legendum putabat, vt Pomp. Lætus, *Nam C. Antistius & M. Suillius hoc anno*, inquit, *Coss. fuerunt.* Non sequor. Ii autem quos modo dixi Consules in Fastis Capitolinis reperiuntur anno post R. Cond. IↃCCIV. *Faustus Sulla & Saluius Otho*, qui *L. Saluius Otho Titianus* appellatur, vt ex Inscript. *Fratrũ Arualiũ* Romæ olim à Fuluio Vrsino euulgata cum rei rusticæ commentariis apparet:

ADFVERVNT A. VITELLIVS M. APONIVS SATVRNINVS. OTHO. TITIANVS. &c.

Nostram hanc in Sex. Frontino emendationem, corruptis, & anni numeris & consulum nominibus, probatam etiam comperi postea gaudio incredibili à Steph. Vinando Pighio, homine rerum Rom. huius æui longe peritissimo in *Annalibus Magistratuum vrbis Romæ*, qui nunc demum, me vrgente maxime, in lucẽ prodeunt typis heredum Ioan. Moreti in officina Plantiniana; Feliciter, bonoq; publico. Consules enim an. DCCCIV. post R. C. nominantur:

Faustus Cornelius Sulla,
L. Saluius L. F. M. N. Otho Titianus.
Ex VI. Seruilius Barea Soranus.

Addit hoc amplius; hunc *L. Titianum* frattem fuisse Imperatoris *Othonis Aug.* ex l. I. Hist. Aug. Tacit. qui Asiã Procos. anno suo sortitus est, quia *Saluium Othonem* Cos. idem Corn. Tacitus vocat lib. XII. Annalium: an. V. C. 805. qui & eiusdem anni principio Consulem designatum nominat *Baream Soranum*; vbi & de Palantis agit honoribus. *Faustum* vero *Sullam* Claudii generum fuisse Pighius putat, nuptiis Antoniæ filiæ, quam illi Cn. Pompeio occiso nuptui dederat: auctoribus Suetonio, Tacito & Zonara ex Dione. Ceterum Aquæductus à Caligula primum inchoatos à Ti. Claudio Aug. magnificentissime consummatos & Frontinus ait, & Titulus indicat formis ipsis Romæ insculptus litteris cubitalibus, quo loco simul Vrbi inferuntur quem ad Portam Esquilinam sic inscriptum vidimus: Ti.

TI. CLAVDIVS DRVSI CAESAR AVGVSTVS
GERMANICVS PONT. MAXIM. TRIBVNICIA POTESTATE XII.
COS. V. IMPERATOR XXVII. PATER PATRIAE
AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS QVI VOCABANTVR
CAERVLEVS ET CVRTIVS A MILLIARIO XXXXV.
ITEM ANIENAM NOVAM A MILLIARIO LXII.
SVA IMPENSA IN VRBEM DEDVCENDAS CVRAVIT.

Sed & priorum Consulum nomina, ne præuaricari videar, corrigenda ἐν παρόδῳ adhunc modum: *M'. Aquilio Iuliano, L. Nonio Asprenate Coss. an. V.C. IↃCCXCI.* Horum & lib. altero meminit, & *Manius* Aquiliæ gentis prænomen, non *Marcus* est, vt qui Fastos Ro. Magistratuum inspexerunt, probe norunt.

Lib. II. Frontinus: *Hæc verba sunt eius legis, id est quæ ex lacu abundauit. Eam nos caducam vocamus.* M. Varro lib. III. de re rustica cap. V. *Et ex eis caduca, quæ abundat, exire possit.* Vbi dictiones *quæ abundat*, abundare videntur. Et infra Frontinus: *Imperantur & hæ aquæ, quæ caducæ vocantur, id est, quæ aut ex castellis effluunt, aut ex manationibus fistularum: quod beneficium à principibus parcissimè tribui solitum, sed fraudibus aquariorum obnoxium est.*

Anci Martii Regia vbi, ostensum ex Solino & Varrone.

CAPVT IX.

SOlinus Rerum memorabilium cap. II. *Tullus Hostilius in Velia habitauit, vbi postea Deûm penatium ædes facta est. Ancus Martius in summa sacra via vbi ædes Larium est. Tarquinius Priscus ad Mugoniam portam supra summam nouam viam.* Hæc ex Varrone descripta, quæ tum integra legebantur, iam lacera ad nos venerunt, vt vix ipsum Satyræ nomen ab iniuria temporis conseruare potuerimns. Sic enim ille lib. I. de vita populi Rom. apud Nonium in *Secundum*: *Tullum Hostilium in Velis,* [lege *Veliis*] *vbi nunc est ædes Deûm penatium. Ancum in Palatio ad portam Mugionis secundum viam sub sinistra habuisse.* Duplex hic mendum: Lacuna enim quam sic suppleri posse reor. *Ancum in summa sacra via, Tarquinium Priscum in Palatio.* Et in narratione mendacium. Ad portam enim Mugionis Solinus Tarquinii Prisci regiam collocat, & P. Victor ac Sex. Rufus in regione Lætimontium regiam Tulli cum templo, in regione verò Esquilina cum colle Viminali iuxta hortos Mæcenatis regiam Seruii Tullii, & in foro Rom. regiam Numæ, templum Deorum Penatium, Asconius Pædianus eandem in sacra via collocat, & Iulii Cæsaris domum Tranquillus & Plin. lib. XIX. cap. I. Varro verò extremo lib. IV. de Lingua Lat. *Intra muros,* inquit, *video*

portas

portas duci: *In palatio Mugionis à mugitu, quòd ea pecus in Buritanum antiquum opidum exigebāt.* Malè igitur qui auorū memoria *Mugoniam* appellauere, quæ *Mugionia* est Festo, qui à *Mugio* quodam, qui eidē tuendæ præfuit, dictam putat. De hac Dionysius Halicarn. lib. II. Antiquit. Ro. Ioui Statori Romulus templum dedicauit apud portam Mugionis vocatam, qua in palatium ex sacra via itur. Hanc Verrius Flaccus *Trigonam* à tribus primis vrbis Romæ portis, quarum meminit Plinius lib. III. cap. V. nominat. Verum enimuero, cum duæ viæ sint celebres *sacra & noua*, alterutrum hic defecisse video. Idem lib. V. de Ling. Lat. *Sub nouis dicta pars in foro ædificiorum, quod vocabulum eius peruetustum, vt nouæ-via, quæ via iam diu vetus.* Suspicor singula littera, vt sæpe, scriptum esse, *secundum S. viam*, post omissam, vt in LIBR. S. pro *libra Semis*, & H. S. pro duobus assibus, & semisse, qui *sestertius*. Sic *S. via*, Sacra via, nisi forte κατ᾽ ἐξοχὴν *via* dicta. P. Victori in X. regione Velia est, & *curia vetus*, forte Hostilia. In VIII. Templum *Deûm penatium*, iuxta regiam Numæ, sed fortasse prius quam translatum esset templum. In IV. regione *via sacra*, caput *via noua* Reg. XII. In II. verò regione Tulli Hostilii regia, templumq́; , quod is in curiam redegit.

Sallustius Catilinaria correctus. Arbitrum adigere. Exsecratio. Fœdus sanguine sancire.

CAPVT X.

CAtilina quò sui audientiores socios haberet, & ad omne facinus contra Remp. paratiores, communi sibi iuramento singulos obstrinxit, eorū vsurus opera, ne qua in re quocunque tēpore deessent. *Ferunt Catilinā*, inquit Crispus, *cum ad iusiurandum populares sceleris sui addiceret, humani corporis sanguinem vino permistum in pateris circumtulisse. Inde cum post exsecrationem omnes degustauissent, sicut in solennibus sacris fieri consueuit, aperuisse consilium suum, atque eo dictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent.* Equidem vitiosa hæc arbitror, & è vestigiis variantium lectionum, veram videor deprehendisse. Quid si initio legatur, *adigeret* verius, quam *addiceret*: & paullo post, *atque eadem iterare fecisse.* Subiicit enim: *Quo inter se magis fidi forent.* Quo n. sæpius *exsecrationem* iterabant, sed eò artius obstringi existimabant. Ex compendiis scripturarum, vti solet, natum mendum: *eadem itāre* enim pro *eadem iterare*. à librariis scriptum, malè exceptum in hanc, quæ vulgò circumfertur, lectionem, *atque eo dictitare fecisse* degenerauit; quæ, licet omnes in partes torqueantur, verba commodum sensum elicere haud poterunt. Subiicit enim statim; *quo inter se magis fidi forent*: quod illi respondet lectioni, *atq; eadem iterare fecisse.* Et vidi alterum codicem in quo erat *dictas res fecisse*: In edit. Etrusca Pet. Victorio curante legi: *atque eo*

dictitant fecisse. Et alter codex præferebat, sic exaratus: *atque id ea re fecisse,* propius ad veram lectionem tribus vocibus ex vna factis. Et certe hàc etiam loquendi forma *ea re* vsum Crispum sæpius obseruo, vt in Epistola Mithradatis ad Arsacen lib. IV. Hist. *Et ea re à nobis ad societatem, ab illis ad prædam peteris.* Et Brutus ad Atticum de Cicerone: *An hoc ipsum ea re facit, quod illi propter amplitudinem omnia iam vltroq; deferenda putat.*

Adigere verò proprium huius rei verbum quod Festo est, *dare cogere*: & I. C.torum pro conceptis verbis alteri in iureiurando præire, & cogere ad similiter iurandum, & iureiurando astringere arbitratu suo. Vlpianus L. Adoptivum. D. de in ius voc. *Sed si ad iusiurandum adegi, ne vxorē ducat, ne nubat, impune in ius vocabor.* Dicebatur & absq; præpositione, vt M. Tullius III. Offic. & in Topicis, *arbitrum adigere,* & pro Q. Roscio Comœdo *arbitrium adigere.* (quomodo & hoc loco absq; præpositione legi malim, *iusiurandum adigere*) pro ad arbitrum ire cogere. De qua forma doctiss. Turnebus lib. XXV. cap. 23. & XXIX. cap. 36. Aduersar. Idemq; de *exsecratione* è Festo Pompeio, lib. III. Aduers. cap. 10. & XXIX. c. 36. extremo, & lib. XXX. cap. 15. Item Pe. Pithœus in Subseciuis lib. I. c. 10. Denique quid *Adiurare* sit idem Turn. lib. XVI. c. 21. & lib. XVIII. cap. 25.

Sanguinem vero vino permistum tam sceleratis fœderibus sanciendis in vsu fuisse: disco ex L. Floro lib. IV. c. I. *Additum est pignus coniurationis sanguis humanus. quem circumlatis pateris bibere, summum nefas, nisi amplius esset propter quod biberunt. Tertulliano in Apologetico: Legite nec vbi relatum sit, diffusum brachiis sanguinem ex alterutro degustatum, nationes quasdam fœderi comparasse: Nescio quid & sub Catilina degustatum est.* Nationum autem barbaricarum immanis hic mos fœderum sanciendorum: *Scytharum* quidem apud Lucianum in Toxari: ἢ γὰρ ἐντεμόντες ἅπαξ τὰς δακτύλυς, ἐνςαλάξομεν τὸ αἷμα εἰς κύλικα, καὶ τὰ ξίφη ἄκρα βάψαντες, ἅμα ἀμφότεροι ἐπισχόμενοι, πίωμεν, οὐκ ἔστιν ὅ, τι μετὰ τοῦθ' ἡμᾶς διαλύσειεν ἄν. Herodotum vide in Melpomene, & Clio: Vnde & Mela noster lib. II. cap. I. hæc descripsit: *Ne fœdera quidem incruenta sunt. Sauciant se qui paciscuntur, exemtumq; sanguinem vbi permiscuere, degustant. Id putant mansura fidei pignus certissimum. Armeniorum*; apud Val. Max. lib IX. cap. XI. & Corn. Tacitum Annali XII. de Mithradate, & Rhodamisto Armenio: *Mos est regibus, quoties in societatem coëant, implicare dextras, pollicesq; inter se vincire, nodoq; perstringere. Mox vbi sanguis in artus extremo se effuderit, leui ictu cruorem eliciunt atq; inuicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quasi mutuo cruore sancitum.* Sanguis hic priscis *Asser* dictus, vt etiam Glossarium vetus interpretatur αἷμα. Et Festus Pompeius: *Assiratum* apud antiquos dicebatur potionis genus ex vino & sanguine temperatum; quòd Latini prisci sanguinem *Assir* vocarent. Plura hîc etiam Sacrorum verba, *Exsecratio,* cui resecratio contraria, & *Libatio* cum ait: *Sicut in solemnibus sacris fieri solet. Exsecrare* enim est religioni obstringere, vt conceptis verbis diris

se

se suumq; caput deuouerit Catilina: & socios data acceptaq; fide obnoxios reddiderit, vt si fidem fallerent IDEM IN SE (hac enim formula vti solebant) imprecarentur. Idem Festus: *Praeiurationes* facere dicuntur ii, qui ante alios conceptis verbis iurant: post quos in eadem verba iurantes tantummodo dicunt, IDEM IN ME. *Libatio* autem in mensa velut in ara fiebat, vt apud Maronem lib. III. V. & VIII. Æn. vt doctissimus Turnebus lib. XI. Aduersariorum cap. 7. & lib. XXIV. cap. 40. explanat. Catilina itaq; velut humanis hostiis cædendis humanum sanguinem propinauit suis, non pecudibus iugulandis, coniurationem deuotam & initiatam à Catilina etiam M. Tullius Cic. Orat. I. quam in eum habuit, significat, de sica sic loquens: *Quæ quidem quibus ab te initiata sacris ac deuota sit, nescio, &c.*

Domo Syracusis, Roma, Carthagine. *In Solino C. Cæsare & Corn. Nepote vita Attici vetus lectio reposita.*

CAPVT XI.

C. Solinus cap. XI. de Syracusis principe vrbium Siciliæ: *Hic primum inuenta est Comœdia: hic & cauillatio mimica*, (malè vulgò *cimica*, vel *inimica*) *in scena stetit. Hic domus Archimedis, qui iuxta siderum disciplinam machinarius commentator fuit.* Sic omnes libri in vulgus editi. & de iisdem Syracusis M. Tullius V. Tuscul. *Ex eadem vrbe humilem homunculum à puluere & radio excitabo, qui multis post annis fuit, Archimedem* In Poly-histore lego. *Hinc domo Archimedes*, venustius, &c, quod liceat, more maiorum, verius. Sic enim repperi in duobus scriptis libris bibliothecæ Toletanæ. Eodem loquendi genere vsus est & cap. XXX. ex oratione Catonis. *Karthaginem cum rex Iarbas rerum in Libya potiretur, Elissa mulier exstruxit, domo Phœnix, & Karthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit, ciuitatem nouam.* Et Maro VIII. Æneid.

Qui genus? vnde domo? pacemq́; huc fertis an arma?

ex illo Homerico:

Τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;---

Et lib. 10. Æneid.

Qui Cerete domo, qui sunt Mimonis in aruis.

Horat. Epist. VIII.

——vnde domo? quis?
Cuius fortuna, quo sit patre, quoue patrono?

Illius interpres Seruius *domum* pro ciuitate, rectius quam huius pro Familia exponit. Dicitur igitur quis *genere Afer*, & *domo Carthagine* Plauto, & *domo Siculus* Ascanio, non *homo Siculus*: Propterea quod & educationis locus, non secus atque soli natalis, patriæ nomen sibi vindicet. Corn. Nepos in eleganti illa T. Attici vita: *Primum illud munus fortuna, quod in ea potissimum vrbe natus, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, vt eandem & patriam haberet, & domum voluit*: Sic M. S. qui penes me est. Nam in vulgatis *n̄ voluit* abest. Magna, inquit, felicitatis pars est, vbi natus sis, ibidem educari, & quam vagiens terram tetigisti, ab eadem ali formariq;. Dionysius igitur Lamb. temere immutauit, *vt eandem & patriam haberet & rerum Dominam*. Sed facio libenter, vt veteres libros sequar, à quibus abire nefas. Verum illud & litteratis, vt Plautino more loquar, lapidibus comprobemus:

Romæ in Auentino:

C. VETTIO. C. F.
COL. NIGRO.
DOMO ANTIOCHIA. SYRIA
VETERANO. LEG. II. FVLMINAT.
MILIT. ANN. XXVI.
VIX. ANN. LVII.
EX TESTAMENTO.

Item Volsiniis:

M. HELVIVS. M. F. CLEMENS. ARNENSIS. DOMO. KARTHAGINE. PRÆF. EQ.
ALAE PRIMAE. CANNANEFATVM.
PRAESIDI. SANCTISS. ET RARISSIMO.
CVRA. AGENTE. L. ACONIO. CALLISTO.
TRIB. MIL. LEG. XIV. GEM. SEV.

Carthagine nouæ, & non dissimilis Romæ ad forum Traiani:

L. ÆMILIVS. M. F. M. NEPOS. QVIR. RECTVS. DOMO. ROMA.
QVI ET. KARTHAGINENSIS. ET SICELLITAN.
ET. ASSOTAN. ET. LACEDÆMON.
ET. ARGIVVS. ET. BASTENANVS. SCRIB. QVÆSTORIVS.
SCRIB. ÆDILITIVS. CIVIS. ADLECTVS.
OB. HONOREM. ÆDILITATIS. HOC. OPVS.
TESTAMENTO. SVO. FIERI. IVSSIT.

Plura suggeret fateor, Inscriptionum veterum volumen, à Smetio foras iterumq; à Ia. Grutero datum, & in Orthographicis Manutius.

Sæpius

Sæpius verò DOMO exaudiebant, vt apud Cæsarem lib. III. Bellor. Ciuil. ex editione Fuluiana: *C. Felginatem, Placentia, Agrauium* (forte *A. Granium*, vel *A. Gauium*) *Puteolis & sacratiuirum Capua*. Contra aliorum editiones. Et inscriptio vetus vna de multis.

IMP. CÆSARI DIVI
TRAIANI PARTHICI
FIL. DIVI NERVÆ NEP.
TRAIANO HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB.
POTEST. COS. II. P. P.
IV. VIR. VIAR.
Q. TAMVDIVS Q. F. PALAT.
GRAIVS. VIENNA
L. AVRELIVS L. F. OVF.
TVRANNVS INTERAMN.
NAHAR. TI. IVLIVS TI. F. STEL.
VERECVNDIANVS. BONONIA.
Q. TAMVDIVS SEX. F. ARRIVS
REATE FAC. CVR.

Illud tamen non celabo lectorem, vulgatam Solini lectionem non omnino reiiciendam. Sic enim ille eodem cap. XXX. *Cyrenas Battus Lacedamonius Olympiade XLI. rege Martio res Romanas tenente, anno post Troiam captam DLXVIII. condidit, qua domus Callimachi poeta fuit & patria*, & XVI. cap. *Abdera Democriti domus, ac, si verum timere, ideo nobilior*. Rursum cap. XLIII. *Miletos Ionia caput, Cadmi quondam domus, sed eius qui primus inuenit prorsa orationis disciplinam*. Ex Plinii lib. V. cap. XXIX. Qui tamen lib. VII. cap. LVI. historiæ inuentionem Cadmo tribuit, prorsæ verò orationis ad Pherecyden retulit, eum qui *Syrius* fuit, non *Syrus*, Atheniensi illi ætate posterior, de quo Appul. II. Florid. & Isidor. lib. I. cap. XXXVII. qui tamen in hac voce corruptus. Græci verò, Strabo lib. X. extremo. Stephanus de Vrbibus, Laertius & Suidas, quem ex Strabone emendandum olim ad Melam docebamus.

Tria Demosthenis loca, qua Herodianus expreßit.

CAPVT XII.

VT Thucydidem Demosthenemque eius æmulum transcripsit Crispus Romanæ historiæ facilè princeps: sic & in historia paris cum illo dignitatis apud Græcos Herodianus Demosthenem est imitatus: qui & ipse orator Thucydidem octies sua manu, vt felicius imitaretur, memoriæque mandaret,

 diligen-

diligentiæ memorabili exemplo descripserit. I. Herodianum itaque audiamus, qui lib. I. de aula, vbi principes parasitorum adulationibus auscultantes corrumpuntur: ὅσοι δὲ κόλακες τερπίζης, καὶ τὸ εὐδαίμων γαστρὶ καὶ τοῖς αἰσχίστοις μετρεῖν, &c. Imitatus est Demosthenem in Oratione illa, adeo à Cicerone celebrata, περὶ στεφάνου, qui ait τὴν εὐδαιμονίαν τῇ γαστρὶ καὶ τοῖς αἰσχίστοις μετρεῖν.

II. Et lib. II. in Oratione Læti ad milites: οὐδὲ ἐν μιᾷ, οὐδ' ἡ αὐτὴ πᾶσιν ἀνθρώποις θανάτου αἰτία· διάφοροι δὲ εἰσιν, &c. Demosthenes in eadem. πέρας μὲν γὰρ ἅπασιν ἀνθρώποις ἐστὶ τοῦ βίου ὁ θάνατος, κἂν ἐν οἰκίσκῳ τις αὐτὸν καθείρξας τηρῇ. Idem in secunda Oratione Pertinacis Herodianus: πᾶσι δὲ ἀνθρώποις βίου ἀνάγκη τέλος ἐπιτεθῆναι.

III. Et lib. VI. initio concionis Mammææ: χρὴ δὲ ἄνδρας γενναίους τε καὶ σώφρονας εὔχεσθαι μὲν ὑπάρχειν τὰ βέλτιστα, φέρειν δὲ τὰ προσπίπτοντα. Ex eadem Oratione desumsit historicus. Sic enim Orator: δεῖ δὲ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας ἐγχειρεῖν μὲν ἅπασιν ἀεὶ τοῖς καλοῖς τὴν ἀγαθὴν προβαλλομένους ἐλπίδα, φέρειν δ' ἂν ὁ θεὸς διδῷ, γενναίως.

Causa, & Dicunt, sæpius inculcata. In Sallustio glossemata aliquot sublata.

CAPVT XIII.

PLacuere præ cæteris semper Sallustii historiæ, è quibus hoc capite nonnulla delibabo, medicinam reiecto malo adhibiturus.

I. Sic enim in Iugurthino: *Alia omnia sibi cum collega communia ratus. Communia* in veteri non est, Io. Riuius tamen non malè addendum censebat.

II. Post paullò: *Marius A. Manlium legatum cum cohortibus expeditis ad opidum Laris vbi stipendium & commeatum locauerat, ire iubet, dicitq; se prædabundum post paucos dies eodem venturum.* Quis non videt, qui modo Crispi lectione tritas aures habeat, glossema illud, *dicitq;*, verso stylo expungendum? Eodem enim libro Sallustius hoc loquendi modo, omisso τοῦ *dicunt*, vsus est. *Postero die cum Aulo in colloquio verba facit; tametsi ipsum cum exercitu fame ferroque clausum teneat, tamen se memorem rerum humanarum, si secum fœdus faceret, incolumes omnes sub iugum missurum, præterea vti diebus decem Numidia excederet*, & Maro IX. Æneid.

——Tunc Nisus, & vnà
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam pretiumq; moræ fore.——

Exaudiendum vtrinque *dicunt*. Sed quid in re certa testibus vtar non necessariis?

III. Mox: *Præterea iere sagittarii, & cohors reliqua cum velitaribus armis, itineris*

neris properandi causa. Superat *ἡ causa*, si quid in his iudicium meum est: libenter enim facit Crispus, vt omittat vt Græci ἕνεκα, aut χάριν, & frequens apud Terentium, Liuium, Hirtium. Exemplis fidem faciam, hoc eodem libro: *Qua postquam gloriosa modo, neque belli patrandi cognouit*, vt laudat Priscianus lib. XIX. Gram. Nam *copiam* quidam nimis copiosi de suo assuerant. Item in Catilin. *Quod initio conseruandæ libertatis atq; augendæ Reip. fuerat*. Et: *pœnam illorum sibi oneri, impunitatem perdendæ Reip. fore.* Et Hist. lib. I. ter in Oratione L. Philippi, & in Oratione M. Æmilii, *omnia retinendæ dominationis honesta æstimat.*

Litteratus & Litterator. *Suetonius interpunctione sanatus.*

CAPVT XIV.

MAius longe in emendatis Codicibus, Commentarii vice existere solitis, operæ pretium, quam vulgus imperitum intelligere aut possit aut velit. Nunc id adeo venit in mentem mihi, cum Tranquillum de Illustribus Grammaticis in manus sumsi: cui non littera, dictioue addita, ademta, vel transposita vitiando fuit, sed ὑποδιαστολῇ vel ὑποστιγμῇ, qua Orationis commata distinguuntur; quod vix Suada illis persuadeat, siue docti ii, siue indocti sint, qui semel hoc omne veteres Auctores emendandi studium insuper-habere in animum induxerunt. Sic igitur Suetonius cui II. viri litterati. Ac Statius est E. Vinetus nostra memoria non pœnitendam operam nauantes, hoc mihi spicilegium reliquerunt, quod nunc proferam: *Corn. Nepos in libello quo* (forte *quodam*) *distinguit litteratum ab erudito. Litteratos quidem vulgo appellari ait eos, qui aliquid diligenter & acutè diligenterque possint, aut dicere, aut scribere. Ceterum sic appellandos poetarum interpretes, qui à Græcis Grammatici nominentur, eosdem litteratos vocitatos. Messalla Coruinus in quadam Epistola, non esse sibi dicens rem cum Furio Bibaculo nec cum Sigida quidem, aut litteratore Catone.* Luxata hæc: Medicinam facere tentabo, sine sectione tamen aut vstione: feriam leniter cutem, sic interpungens: *Qui aliquid diligenter & acutè scienterque possint, aut dicere aut scribere: Ceterum propriè sic appellandos poetarum interpretes, qui à Græcis Grammatici nominantur. Eosdem litteratores* (sic enim leg. sequentia docent) *vocitatos Messalla Coruinus in quadam Epistola:* (repetendum ἀπὸ κοινοῦ, *ait*) *non esse sibi dicens rem, &c. Litteratus* itaque qui Grammaticus, *Litterator* vero qui Græcis *Grammatista* dictus. Scripti libri quos mihi videre contigit ter nos, nihil hic nos adiuuerunt: *Ceterum proprie sic appellant poetarum interpretes, quia & Grammatici nominent eosdem, litteratos vocitatos Messala Coruinus.* Memini tamen

Medio-

Mediolanensem Cod. inspicere formis exscriptum, in quo integrè erat, *Messalla Coruinus in quadam Epistola scripsit.* Porro *Ticida* in veteri Cod. exaratum erat, pro *Sigida*, cuius & de *Lydia*, Valerii Catonis poemate versus citat Tranquillus:

Lydia doctorum maxima cura liber.

Ticidam quoque Appuleius Apologia de Magia in poetis numerat, qui τὴν ἑταίραν metellam *Petillam* ficto nomine, vt fieri amat, vocarit. Hymenæos eiusdem laudat Priscian. lib. V. Non nemo *Sedigitum* hoc loco pro *Sigida* maiore audacia reponendum tentauit. *Litteratorem* Syllam quemdam Catullus appellat:

Munus dat tibi Sylla litterator.

M. Fabius lib. II. *Grammatice (quam in latinum transferentes litteraturam vocauerunt) fines suos norit*; & Agellius lib. XVIII. cap. IX. (quod ex Buslidiana Bibliotheca vir doctissimus Guil. Canterus princeps eruit) lib. II. Nouar. Lect. cap. VI. *Tum ex his, qui aderant, alter litterator fuit, alter litteras sciens, id est, alter docens, doctus alter.* Et Martianus Capella lib. III. *Itaque assertor nostri nunc litteratus dicitur, litterator antea vocabatur. Idem apud Græcos γραμματοδιδάσκαλος vocitatur.* Quibus ne tantum oneris vni arti imponeretur, ex vna duæ Grammaticæ factæ, vt obseruat Sex. Pyrrhonius; Rudior vna & imperfectior ac pæne popularis, quæ à posteris *Grammatistica*, & ab illa grauiori differret, est vocata, vt à Romanis, auctore M. Varrone *litteratio.* Altera perfectior, & absolutior, quæque ad Politiores tantùm pertineret nomen commune apud Græcos *Grammaticæ*, tanquam proprium, quemadmodum apud Romanos *litteraturæ* sibi vindicauit. Illam qui tractarent, *Grammatistæ*, hoc est, vt Latini loquuntur, *Litteratores*, teste hîc Suetonio aut στοιχειωταί vt Apollonius Alexandrinus eos nominat, pueros ferè elementarios docebant. Hanc verò, *Grammatici*, quod est more Latino *Litterati.* Doctorum interpretes erant appellatione *Critici.* Sed de *Critica legitima* huc pertinente disserui lib. IV. Tullianarum Quæstionum cap. III. de optimo interpretandi genere pertractando.

In Cæsare & Octauiano Augusto Suetonius emendatus.

CAPVT XV.

E*Loquentia militari Cæsar, qua re aut æquauit præstantissimorum gloriam, aut excessit, post accusationem Cn. Dolabellæ haud dubiè principibus patronis annumeratus est.* Multum sane vidit doctissimus Leuinus Torrentius, locum esse deprauatum, iugulauit itaq; vocem *militari*, quod Eloquentiæ laude claruerit Cæsar, antequam militare cœpisset. Alterum laudo, sed quomodo sanari possit leuiter traductis

ductis litteris, vide: *Eloquentia mirabili.* De Cæſaris autem Eloquentia, Cicero in Bruto, qui de claris eſt Oratoribus, & ad Corn. Nepotem apud eundem Suetonium, aliique plurimi. Vnum Taciti locum ex XIII. Annalium ab aliis præteritum adſcribam: *Dictator*, inquit, *Cæſar ſummis oratoribus æmulus.*

II. Verum quoniam Cæſarem in ſcenam produximus, nonnulla obiter de eodem ab aliis dicta excutiamus. In Priſciano namque legitur, *Pro quo Digamma Cæſar hanc figuram Ⅎ ſcribere voluit.* Vereor ne legendum ſit: *Pro V. Conſonante CL. Cæſar hanc figuram Ⅎ ſcribere voluit*, vt non Caio, ſed Claudio attribui debeat. Vide Priſcianum, & Inſcriptiones veteres, nuper illuſtri forma euulgatas, & in Helleniſmis Angelum Caninium.

III. Aurem item vellit alter Suetonii locus lib. II. cap. XVI. in Auguſto: *Tunc per deuios tramites refugientem ſeruus Æmilii Paulli comitis eius dolens proſcriptum ab eo olim Patrem Paullum.* Quis non videat *Patrem* nullo modo poſſe legi? Nam ſi ſeruus erat Paulli Æmilii, quomodo eius pater Paullus? Quamobrem non *patrem* ſed *patronum* legendum cenſeo. Hæc quidem menda in omnibus Editionibus inoleuit, fugitque doctiſſimos interpretes Sabellicum & Beroaldum, & noſtri quoque temporis duos eruditiſſimos viros, qui ſtrenuam tamen Tranquillo quà illuſtrandi quà emendandi operam nauarunt. Anſa librario errandi credo data, quod *patr.* & patrem & patronum deſignet.

Valerii Maximi hallucinatio de Ariſtomene Meſſenio.

CAPVT XVI.

VAl. Maximus lib. I. de Miraculis ſic ait: *Oculis eius admirabilius Ariſtomenis Meſſenii cor: quod Athenienſes ob eximiam eius calliditatem exſectum, pilis refertum inuenerunt, cum eum aliquoties captum & aſtutia elapſum accepiſſent.* Porrò quod Valerius hic Athenienſibus tribuit, Lacedæmoniis ab omnibus aliis ſcriptoribus tribui obſeruo. Vnde credere licet manifeſtum hunc eſſe errorem Val. Maximi ex verbis Plinii lib. XI. cap. XXXVII. *Hirto corde gigni quoſdam homines produnt, neq; alios fortiores eſſe induſtria, ſicuti Ariſtomenem Meſſenium: qui occidit CCC. Lacedæmoniorum.* Plinium ſequuntur Plutarchus in Romuli vita, Pauſanias Meſſeniacis: & B. Hieronym. contra Iouinianum: Stephanus denique in ΑΝΔΑΝΙΑ quique ab illo laudati hiſce verbis: Ἐκ ταύτης Ἀριστομένης ἐγένετο, ἐπιφανέστατος στρατηγός. τοῦτον οἱ Λακεδαιμόνιοι πολλάκις αὐτοὺς νικήσαντα θαυμάσαντες, ὡς μόλις ἐκράτησαν ἐν τῇ Μεσσηνιακῇ, ἀνατεμόντες, ἐσκόπουν εἰ παρὰ τοὺς λοιποὺς ἐστί τι· καὶ εὗρον σπλάγχνον ἐξηλλαγμένον, καὶ τὴν καρδίαν δασεῖαν, ὡς Ἡρόδοτος, καὶ Πλούταρχος, καὶ Ριανός. *In hac natus vrbe dux belli clariſſimus Ariſtomenes: quem Lacedæmonii ſæpenumero ab eo ſuperati admirabantur, cum ægrè tandem Meſſeniaco viciſſent prælio, ſecto eius cor-*

pore, si quid à reliquis diuersum esset speculabundi, intestinum mutatum compererant, corq; ipsum pilis horridum; vt Herodotus, Plutarchus, & Rhianus commemorant. Fortes autem haberi, qui piloso sunt corde, pluribus docet exemplis elegantissimi vir ingenii M. Ant. Muretus lib. XII. Var. Lect. cap X.

Vlysses à Telegono occisus. τρυγὼν piscis. T. Liuius & Halicarnasseus illustrati.

CAPVT XVII.

LIbet hic à fonte Caballino, & Parnassi iugo immensum adire Oceanum, cum errante Vlysse nonnihil extra limites euagari, & ad Circæa saxa parumper diuertere: non pharmacis eius socios sopiturus, sed versipellem illum Ducem Circæo inuento manu filii occisurus. Variæ quidem & discrepantes optimorum auctorum sunt sententiæ, vt quo me inclinem, ambigam: sed maiori parti libens accedam. Primum quidem Proclus noster, quem olim è Photii bibliotheca excerptum vulgauimus, in χρηστομαθείᾳ, licet mendosus, à Telegono filio peremtum tradit, Pag. 982. Græcolat. διεξέρχεται δὲ περὶ θεῶν τινὰ ἄλλα τοῖς Ἕλλησι μυθολογούμενα καὶ εἴπου τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται· καὶ περατοῦται ὁ ἐπικὸς λόγος συμπληρούμενος ἐκ διαφόρων ποιητῶν μέχρι τῆς εἰς Ἰθάκην ἀποβάσεως Ὀδυσσέως, ἐν ᾗ καὶ ὑπὸ τοῦ παιδὸς Τηλέγονος (l. go Τηλεγόνου) ἀγνοούμενος ὡς πατὴρ εἴη, κτείνεται. Sextus Empiricus lib. I. adu. Mathemat. cap. XVI. εἰ συγκριτικὸν τὸ ἱστορικόν, τινὸς μὲν λέγοντος ὅτι Ὀδυσσεὺς ὑπὸ Τηλεγόνου παιδὸς κατ᾽ ἄγνοιαν ἀνῄρηται. τινὸς δὲ ὅτι λάρου κέντρον θαλασσίας τρυγόνος ἀφέντος αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ διεφώνησεν. ἄλλοι δὲ ὅτι εἰς ἵππον μετέβαλε τὴν μορφὴν θέλον ἐν οὕτως ἀπιθάνοις πράγμασιν εὑρεῖν τἀληθές. Homeri quoque Scholiastes, seu Didymus, seu quisquis est, in illud Odyss. λ'. θάνατος δέ τοι ἐξ ἁλὸς αὐτῷ, hæc notat: οἱ νεώτεροι τὰ περὶ Τηλέγονον ἀνέπλασαν τὸν Κίρκης καὶ Ὀδυσσέως, ὃς δοκεῖ κατὰ ζήτησιν τοῦ πατρὸς εἰς Ἰθάκην ὑπ᾽ ἀγνοίας τὸν πατέρα διαχρήσασθαι τρυγόνος κέντρῳ, ᾧ αὐτὶ αἰχμῆς ἐχρῆτο. Αἰσχύλος δὲ ἐν ψυχαγωγοῖς ἰδίως λέγει. ἐρῳδιὸς γὰρ ὑψόθεν ποτώμενος, ὄνθῳ ὡς ἔπληξεν, ἡ δὲ ὑὸς χειλώμασιν ἐκ τοῦ δὲ ἄκανθα ποντίου βοσκήματος σήψει παλαιὸν δέρμα, καὶ τριχορρυές. Eadem quoque licet apud eundem Eustathium, & Euripidem in Rheso extremo, Aristophanem in Pluto, videre. Parthenius eiusdem etiam mortis meminit lib. III. ἐρωτικ. Oppianus quoque lib. II. ἁλιευτικ. versu 497 de Trygone:

Κεῖνό ποτ᾽ αἰχμητὴ δολιχῆς εἰ κατήεσσε
Κίρκη Τηλεγόνῳ πολυφάρμακος ὤπασε μήτηρ
Αἰχμάζειν δήοις ἅλιον μόρον. αὐτὰρ ὁ νήσῳ
Αἰγιβότῳ προσέκελσε καὶ οὐ μάθε πώεα πέρθων
Πατρὸς ἑοῦ, γεραρῷ δὲ βοηδρομέοντι τοκῆι
Αὐτῷ, τὸν μάστευε, κακὴν ἐνεμάξατο κῆρα.

Illa

Ἔνθα τὸν αἰολόμητιν Ὀδυσσέα μυρία πόντῳ
Ἄλγεα μετρήσαντα πολυκμήτοισιν ἀέθλοις
Τρυγὼν ἀγχιγόεσσα θοῇ κατενήρατο ῥιπῇ.

In quem locum Scholiastes Græcus, qui penes me fuit: Ὀδυσσεὺς συγγινόμενος τῇ Κίρκῃ ἔτικε τὸν Τηλέγονον, ᾧ ἀνδροκτόνον ἔδωκε κέντρον τρυγόνος, εἰποῦσα. πορεύου πρὸς ἀναζήτησιν τοῦ σοῦ πατρὸς εἰς Ἰθάκην. καὶ διὰ τούτου κέντρου τοὺς πολεμοῦντας ἐτίτρωσκε (leg. τιτρώσκε) ὁ δὲ παραγενόμενος εἰς Ἰθάκην καὶ εὑρὼν τοὺς ποιμένας τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Ὀδυσσέως ποιμαίνοντας ποιμνία τούτους ἐδίωκεν ἀγνοῶν ὅτι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ εἰσί. μαθὼν δὲ ταῦτα ὁ Ὀδυσσεὺς ἐξήει αὐτὸν φονεῦσαι. ὁ δὲ Τηλέγονος τιτρώσκει αὐτὸν τῷ κέντρῳ τρυγόνος, καὶ παραυτίκα θανάτῳ καθυποβάλλει. Lego, ὃν δὲ ἀγνοοῦν ὁ Τηλέγονος τιτρώσκει αὐτόν. Citat & Lycophronem, qui eadem pæne narrat, in σκοτεινῷ ποιήματι Cassandra:

κόρθυξ σὺν ὅπλοις νηρίτων δρυμῶν πέλας
κτείνει δὲ τύψας πλευρὰ λοίγιος σόναξ
Κέντρῳ δυσαλγὴς ἔλλοπος σαρδονικῆς
κέλωρ δὲ πατρὸς ἄρταμος κληθήσεται.

Ad quæ & Isacius Tzetzes: *Coruum vocat Vlyssem propter senectutem. Coruus enim auctore Hesiodo per centum & octo viuit ætates. senex verò Vlysses mortuus est interfectus à Telegono filio ex Circe genito, pugnans pro armentis suis, cuius etiam meminit Oppianus. Prope Sardiniam verò insula est Tyrrhenia, in qua erat Circe, quæ tricuspidem stimulum hastæ filii Telegoni interfectum, Circen veneficam pharmacis restituisse, qua prius Telemachum interfecerat, nec exsuscitare rursum poterat. Hinc natum Prouerbium: Aliorum medicus ipse vlceribus scates.* Aristoteles quoque in Poëtica, Tragœdiam citat Vlyssis vulnerati, in quo Telegonus introducitur. Alii tradunt illum fortasse à Britannicis beatorum insulis (vt idem Tzetzes infra copiosè probat) per continentem in Tyrrheniam migrasse. Lucianus tamen ἐν τραγοποδάγρᾳ, podagra obiisse Vlyssem scribit. Sic enim apud illum loquitur:

Ἰθακῆς ἄνακτα λαερτιάδην Ὀδυσσέα
Ἐγὼ κατέπεφνον, οὐκ ἄκανθα τρυγόνος.

Idem tamen nugator lib. II. verar. historiarum à Telegono occisum eum refert.

Qui τρυγόνα Latinè *turturem* conuerterunt, peccant. Nam *pastinaca* est, nostris piscatoribus *pystaert*. De qua lege Plin. lib. IX. cap. XLVIII. & lib. XXXII. cap. II. Nicandrum in Theriacis, Hesychium in τρυγών; Stephanum in γναφεὺς, D. Ambrosium & Philæ Iambos in hexaemero: de recentioribus Iunium Emblem. VIII.

Adhuc de Telegono percussore Vlyssis digredi paululum libet, sed ita, vt ne præter casam, quod aiunt: vt opem & aliis scriptoribus adferam. Telegonus hic *Tusculum* Latii opidum condidisse fertur. Sic enim Horat. lib. III. Od. XXIX.

Et Telegoni iuga parricidæ.

Prisci interpretes de Tusculo accipiunt. Plutarchus vero in parallelis *Præneste* ab eo conditum ait, cuius tamen originem alii ad *Caculum*, vt & Maro lib. VII. Æneid. referunt, vnde *Cæcilii* Gentile nomen manârit. Sic & *Formiæ* à Lamio conditæ Homero Odyss. κ. & Horatio lib. III. Od. XVII. ad Ælium Lamiam. Octauus autem Mamilius Tusculanus fuit, qui Tarquinium Superbum regno exactum, armis restituere tentauit: de quo sic T. Liuius lib. II. *Qui si famæ*, inquit, *credimus, ab Vlysse deaq. Circe oriundus.* Clariùs verò, vt pleraque, narrat Dionysius lib. IV. Antiquit. Rom. Ὀκτάουιος Μαμίλιος αὐέφερε τὸ γένος εἰς Τηλέγονον τὸν ἐξ Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης. κατῴκει δ' ἐν πόλει Τύσκλῳ. Sed libet antestari? Ego verò prehendo auriculam, nec defugio auctoritatem. In vtroque itaque Rom. historiæ prænomen *Octaui* tribus non amplius syllabis, & Græcè Ὀκτάουιος, repono. Nam *Octauius* & *Mamilius* vtrumque gentis nomen est. At verò *Octauus* prænomen est, vt *Quintus* & *Decimus*. Nam *Quinctius* & *Decius* gentilitia sunt. Festus Pompeius *Mamiliorum familia, à Mamilia Telegoni filia, quam Tusculi procreauerat, quando id opidum ipse condidisset.* Memoria teneo, me in κειμηλίοις Numismatum antiquorum, nummum sic inscriptum videre. C. MAMILIVS LIMETANVS de quo vt Trib. pl. mentio & in Iugurthino Sallustii. In auersa verò parte Vlysses spectabatur pileatus (de quo Plin. lib. XXXV. cap. X. cum Scipione & cane qui eum agnouit, postquam domum ab Ilio post decennium cessim, vt loquitur Varro, reuertisset.

Loca Sallustii nonnulla è Demosthene expressa.

CAPVT XVIII.

Mirari satis non possum M. Tullium, Maronem, & plerosque alios Romanos scriptores tam demissè semper humiliterque de Græcis Græciaque sensisse, præsertim cum sit manifestum, Latinæ & Eloquentiæ & poëseos principes, & quidquid Scriptorum Romæ studuit se tollere humo, scriptaque publicè legi cum applausu voluit, è Græcis fontibus in Latium pulcerrima quæque deriuasse. Si exemplis omnibus rem probarem, limites excederem, & in immensa volumina caput excresceret. Vno hodie Sallustio contenti erimus, qui, vt in Romana historia primas fert, ita Thucydidem & Demosthenem ἀπλικωτάτους καὶ σοφωτάτους, & quicquid in iis neruosè, acutè, scienterque dictum, quidquid solidum, quodque sublime, ad suas historias detorsit.

I. Vt in Catilinaria: *Maius dedecus est parta amittere, quàm omnino non pa- rauisse*, Demosthenes hoc sic antea expresserat: πολλάκις δοκεῖ τὸ φυλάξαι τἀγαθὰ τοῦ κτήσασθαι χαλεπώτερον εἶναι. Quamquam idem Orator causæ fortassis subseruiens contra sentire videatur: πολὺ γὰρ ῥᾷον, ἔχοντας φυλάττειν, ἢ κτήσασθαι πάντα πέφυκε. Romanorum autem Orator Cic. Catilinaria tertia: *non minore labore tueor, quàm comparo.* II. Su-

II. Supra paullò idem Crispus: *Quòd si vos tantam libertatis curam haberetis, quàm illi ad dominationem accensi sunt, profectò neque Resp. sicut nunc, vastaretur, & beneficia vestra penes optimos non audacissimos forent.* Idem lib. III. hist. extrema oratione Lepidi Trib. pl. *Plebes, quodcunque accidit, pro victa est: & indies magis erit. Siquidem maiore cura dominationem illi retinuerint, quàm vos repetiueritis libertatem.* Expressa ex eadem oratione Demosthenis: εἰ δ' ὁ μὲν ὡς ἀεί τι μεῖζον τῶν ὑπαρχόντων δεῖ πράττειν ἐγνωκὼς ἔσται. ἡμεῖς δὲ, ὡς οὐδενὸς ἀντιληπτέον ἐρρωμένως τῶν πραγμάτων, σκοπεῖσθε εἰς τί ποτε ἐλπὶς ταῦτα τελευτῆσαι.

III. Sallustius in eadem Lepidi oratione: *Præter spem bonam ex vobis, quæ metum vicit, statui certaminis aduersa pro libertate potiora esse forti viro, quàm omnino non certauisse.* Ibidem quoque summus Orator: οὐ μὴν οἴομαί γε δεῖν, τὴν ἰδίαν ἀσφάλειαν σκοποῦνθ' ὑποστείλασθαι περὶ ὧν ὑμῖν συμφέρειν ἡγοῦμαι.

IV. Idem seu quis similis lib. II. de rep. ordinanda ad Cæsarem: *Si morbo iam aut fato huic imperio socius accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cædes oriantur.* Videtur Demosthenica illa II. Olynth. expressisse. Νυνὶ δ' ἐπεὶ Θετταλοῖς νοσοῦσι καὶ στασιάζουσι, καὶ τεταραγμένοις ἐπὶ τὴν τυραννικὴν οἰκίαν ἐβοήθησε. *Thessalis agrotantibus* interpres Wolfius reddidit satis obscurè. Similia Cic. ad Att. Corn. Tacitus, Cyprianus ad Demetrianum, Christianorum quoq; Pindarus Prudentius de sterilitate agrorum, in extremo II. aduersus Symmachum:

Ancipites tribuli subeunt, & carduus horrens.
Hoc fert sicca sitis, hunc ebrius educat humor.
Temperies effusa minus. vel plus agit istos,
Terrarum morbos, & mundum vulnerat agrum.

Et mox:

Nec natura caret vitio, cui terminus instat.

Hinc etiam *effœta natura* dixit Iugurthino Crispus, & Vegetius de re militari. Sed de vrbium & rerum publicarum interitu in Semestribus Pet. Faber, Iureconsultus Tolos. & nos alibi.

Qui se Alexandro Magno similes dixerunt.

CAPVT XIX.

NEscio quanam ratione comparatum sit, vt Virtus, in alio licet considerata, delectet, & ad imitationem sui inuitos quodammodo hominum animos accendat: nisi quia occulto quodam motu humanas mentes deliniat: Hinc factum est, vt non modo virorum rebus domi forisq; gestis illustrium facta imitari optimus quisq;, sed etiam nomen in se conatus sit deriuare.

I. De *Cn. Pompeio, Magni* cognomento, Sallustius lib. III. Historiarum. *Pompeius à prima adolescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi,*

facta consuetaq; eius quondam æmulus erat. Et Plutarchus in Pompeio, ac Plinius lib. VII. cap. 26. æquasse Alexandrum Magnum rerum fulgore, sed etiam Herculis prope ac Liberi patris. Et quidam tradunt triumphasse vestitum chlamide Alexandri Magni reperta in Thesauro Mithridatis. Vide Pet. Victorium Var. lib. V. c. 2. & inf. c. XIX. Idemq; de Pyrrho Rege refert Chæronensis, & *Achillem* quoque expressisse: ad quem etiam genus Alexander M. vt Æacidarum de gente referre solitum docuimus in Vitis Parallelis Aristot. ac Demosth. in Olympiade CXI.

II. *Iulius Cæsar* Gadibus ad sepulcrum Alexandri Magni ingemuit, vt ille ad Achillis tumulum lacrymauerat. Sueton. cap. VII. Dion lib. XXXVIII. Appianus lib. II. Bell. Ciuil. & Velleius Paterculus.

III. *Augustus* in Diplomatis libellisq; & Epistolis signandis initio Sphinge vsus est, mox imagine Magni Alexandri, nouissima sua Dioscoridis manu sculpta, qua signare insecuti quoque principes solebant. Sueton. lib. II. cap. L.

IV. *Aurelius Antoninus Bassianus* corpore Alexandri Macedonis conspecto, Magnum atq; Alexandrum se iussit appellari, assentantium fallaciis eò perductus, vt truci fronte, & ad læuum humerum conuersa ceruice, quod in ore Alexandri notauerat incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi: ait Aurelius Victor in Epitoma. Et Herodianus lib. IV. κατῆλθε εἰς Θρᾴκην Μακεδόσι γειτνιῶσαν, εὐθὺς Ἀλέξανδρος ἦν, καὶ τήν τε μνήμην αὐτοῦ παντοίως ἀνενεώσατο, εἰκόνας τε καὶ ἀνδριάντας ἐν πάσαις πόλεσιν ἀναστῆναι ἐκέλευσε. τήν τε Ῥώμην ἐπλήρωσεν ἀνδριάντων, καὶ εἰκόνων ἐν τῷ Καπιτωλίῳ, καὶ ἐν ἄλλοις ἱεροῖς, καὶ πρὸς Ἀλέξανδρον συναφείας. ἔσθ' ὅπου δὲ καὶ χλεύης εἴδομεν ἀξίας εἰκόνας ἐν γραφαῖς ἑνὸς σώματος ὑπὸ περιφερείᾳ κεφαλῆς μιᾶς, ὄψεις ἡμιτόμους δύο, Ἀλεξάνδρου τε καὶ Ἀντωνίνου. προῄει δὲ αὐτὸς ἐν Μακεδονικῷ σχήματι, καυσίαν τε ἐπὶ τὴν κεφαλὴν φέρων καὶ κρηπῖδας ὑποδέμενος, ἐπιλεξάμενός τε νεανίας, καὶ στρατεύσας, μακεδονικὴν ἐκάλει φάλαγγα. τούς τε ἡγουμένους αὐτῆς φέρειν τὰ τῶν ἐκείνου στρατηγῶν ὀνόματα. Mox ait Alexandriam ingressum, & ad Alexandri monumentum se contulisse. Paullus quoq; I.C. Tit. III. de Adulteriis ait: *Magnus Antoninus pepercit iis, qui adulteros inconsulto calore ducti interfecerunt.*

V. De *Alexiano Caracallæ* F. idem, extremo lib. V. μετονομάζεται δὴ ὁ Ἀλεξιανὸς, καὶ Ἀλέξανδρος καλεῖται, παραχθέντος αὐτῷ τοῦ πάππου ὀνόματος, καὶ τοῦ Μακεδόνος, ὡς πάνυ τι ἐνδόξου, καὶ ἱμερθέντος ὑπὸ τοῦ δοκοῦντος πατρός.

VI. *Galerius Armentarius* insolenter affirmare ausus est, matrem more Olympiadis Alexandri Magni creatricis compressam à Dracone se concepisse. Epitome Victoris cap. LVII.

VII. *Hermanaricus* Gotthorum rex à Roderico Toletano lib. Hispan. hist. I. cap. XVIII. Alexandro comparatur.

VIII. Item Georgius Castriotta Epirota, ita rebus gestis popularium suorum animos perculit, vt vulgò *Scanderbegus*, hoc est, Magnus Alexander diceretur.

IX. Apud

IX. Apud Plautum miles gloriosus formam suam Alexandri formæ ait præstare.

Additamentum. Nomen inane, *Sallustii retenta lectio.*

CAPVT XX.

QVod de M. Tullio dixit Fabius: Magnos illum progressus in eloquentia fecisse, cui placebit Cicero: id ipsum & de Crispo iudicium meum est. Non paruam historiæ lucem hunc habere, cui Crispus non sordebit. In quo si Latini sermonis elegantiam, dictionis nitorem, loquendiq; formulas spectes, summa sunt omnia. In testimonium locum vnum è lib. II. de Rep. adducam, quem dictionis vnius splendor è Græcorum fontibus deriuatus, illustrabit:

I. *Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus sicut in statua præter nomē nihil est additamenti:* Lipsius noster in Variis lect. *adiutamenti* tentabat. Equidē vulgatam cum doctissimo Pithæo retineo; qui Notis ad Legum Mosaicarum & Rom. collationem pro *sicut in statua*, leg. opinabatur *sicut in staieno*. Nam ab ea voce non abhorruit Sallustius. Non longè abiero, pòst aliquantò: *Homines nobiles cum paucis senatoribus, quos additamenta factionis habent, quæcunq; libuit probare, reprehendere, decernere, ea, vti libido tulit, fecere.* Tum quia Græcorum προσθήκην & πρόσθημα reddere voluit, quod est appendix & accessio. Qua est Plato sæpe vsus, & Demosthenes. Locum eius ex Oratione περὶ συντάξεως hic adscribā: Κύριοι μὲν τῶν ἀγαθῶν οὗτοι, καὶ διὰ τούτων ἅπαντα πράττεται. ὁ δὲ δῆμος ἐν προσθήκης μέρει. Quod apud Sallustium in Catilinario de vitiis vrbis Romæ ita queritur Catilina: *Ceteri omnes strenui, boni, nobiles atq; ignobiles vulgus fuimus, sine gratia, sine auctoritate, his obnoxii, quibus, si Resp. valeret, formidini essemus:* Eodem poëta respexit Horatius:

Nos numerus sumus.———

Idem Orator Olynth. II. ὅλως μὲν γὰρ ἡ Μακεδονικὴ δύναμις ἐν ἀρχῇ ἐν μὲν προσθήκης μέρει ἐστὶν οὐ σμικρά. Et Aristoteles lib. VI. Metaphys. Sed quid exempla colligo? Prouerbii speciem præfert: *Præter nomen inane nihil*, apud Tibullum in Panegyrico Mesallæ:

Nec quæris, quid quaq; index sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores, maius decus ipse futurus.

Index, titulus imaginum, est sepulcrorum inscriptio, quam lib. III. *litteram* vocat, & *Titulum*, vt & Catullus. Laberius Mimus apud Macrob. lib. II. Cap. VII.

VII

Vt edera serpens vires arboreas necat:
Ita me vetustas amplexu amorem enecat;
Sepulcris similis, nil nisi nomen retineo.

Ouidius in Epicedio Tibulli:

Si tamen in nobis aliquid nisi nomen & umbra
Restat. ——

Ausonius in Parentalibus:

Gaudent compositi cineres sua nomina dici,
Frontibus & scriptis hac monumenta iubent.

Propertius lib. II.

Quandocunq; igitur vitam mea fata reposcent,
Et breue in exiguo marmore nomen ero.

Symposius poëta Gallus perantiquus, lib. Ænigmatum de monumento:

Nomen habens hominum, post vltima fata remansit:
Nomen inane manet, sed dulcis vita refugit.

Lumina nympharum *quæ.* Conchæ, Vmbilici. *Aurelius Victor illustratus, & variè emendatus. Martianus item Capella.*

CAPVT XXI.

SAcrum erit hoc caput Nymphis, quarum oculis hoc libens meritò dedico: de his Aurelius Victor in Caligula:

I. *Contractis ad vnum legionibus spe in Germaniam,* [forte *specie in Britanniam*] *transgrediendi conchas vmbilicosq; in ora maris Oceani legi iussit: cum ipse nunc fluxo cultu Venereoq; interesset, nunc armatus spolia à se non ex hominibus, sed cælestium capi dictitaret: scilicet quod huiusmodi pisces Græcorum dicto (queis augendi omnia studium est) Nympharum lumina accepisset.* Forte ὄμματα νυμφῶν, quas Varro Marcipore *ocellatas* apud Nonium vocat. Græci Poëtæ vel scriptoris locum frustra quæro. Demus igitur quæ possumus, dum aliquis hortatu nostro eruat veritatem Democriti puteo immersam. Κόγχη teste Polluce, *oculi cauitas:* quomodo fortasse explicandum illud Virg. IV. Æneid. *Impleuitq; sinum lacrymis*, tametsi Seruius, sinum pectoris interpretetur. Polybius κόγχον vmbonē clypei appellat, & Lycophron in Alexandra hemicranium capitis à similitudine nominis, & ipsa scutulata est. Vide Scholia Aristophanis. Theodorus Gaza lib. 5. histor. Animal. κοχλίας *vmbilicos* reddidit. Vide Athenæum lib. II. Aristoteli tamen ferè κόχλος *vmbilicum*, id est, cochleam marinam significat. κόχλιας verò *terrestrem cochleam.* κόχλος nonnunquam generale est, vt Pausanias Laconicis auctor est.

II. *Concha*

II. *Concha* quoque Veneri sacra, quòd ipsa è spuma maris nata dicatur, & conchâ (quæ & ipsa spuma maris est) vecta sit in Cyprum. Tibullus lib. III. Eleg. III.

Et faueas conchâ Cypria vecta tuâ.

Propertius lib. III.

Et Venus è rubro concha Erycina salo.

Statius lib. I. Siluar. in Epithalamio Stellæ, vbi de Violantilla Venus:

Hac & caruleis mecum considere digna
Fluctibus & nostra potuit considere concha.

Ibidem lib. III. Siluar. in Coma Earini:

Ite: dabit cursus mitis Cytherea secundos
Placabitq́ Notos: fors & de puppe timenda
Transferet inq́ sua ducet super aequora concha.

III. Non frustra autem Aurelius Victor *vmbilicos & conchas* coniunxit, vt enim in concha Venerem agnoscebant, ita & in vmbilico. Vmbilici enim specie apud Paphios coli Venerem, refert Tacitus. Et exstant nummi Imp. Numeriani cum hac inscriptione: VENERI VICTRICI. Imago stolata victoriolam porrigens, & cum vmbilici forma vel speculi.

IV. Cum autem Victor noster gemmas *lumina nympharum* appellet, mihi significauit per literas Pet. Ioannes Nunnesius, Eloquentiæ quondam & Philosophiæ apud Valentinos professor, *lumina* scilicet dici videri, quod Attici specula σίλβας vocent, teste Hesychio: Splendores, vel rutilos splendores, & Plinius specularem lapidem, φεγγίτην vocat. Itaq; Græci φεγγη aut σίλβας intelligunt specula, quòd testacea huiusmodi lumina resplendeant in interiori testa, in qua tanquam in speculo se licet intueri. Tertullianus verò gemmas *poma maris* vocauit, lib. de habitu muliebri. *Si quid de mari Britannico aut Indico ambitio piscatur, concha genus est, non dico conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. Adhoc enim conchas nouerim maris poma.* Ibidem in mundo muliebri numerat *lumina lapillorum, quibus monilia variantur, &c.* Vbi tamen pro *exordia* rectius fort. *exodia* legas. Et Cicero I. de natura Deor. Alienum in puero nævum pro *lumine*, hoc est, gemma aut margarito duxisse refert. Martianus Capella lib. I. Philologiæ pag. 20. de gemmis *fœta mari per lumina coruscatus.* Quem locum sic puto enodandum: *Inter quarum virorem (fœta mari lumina) coruscat, & fronti quadã interioris suauitas resplendebat.* H. Grotius sic emendat: *& fota mari lumina coruscans fronti quadã interiori suauitas resplẽdebat hyacinthos.* Sed & illud *interioris* de mendo suspectũ, nisi *nitoris*, aut quid simile, reponas. Locus sane vt illius scriptoris pleraq;, valde impeditus atq; obscurus. Valeat itaq; & domũ ad Victorem nostrũ redeamus: in quo altero pedatu, dum instaurare meditor editionem, cogitanti venit in mentem sic emendare, vt quidem εὐστοχία adhibita, quando & scriptis libris hic, aliiq; destituuntur, & à Græcis etiam scri-

ptoribus qui idem narrent, deficimur: *Spolia*, inquit, *à se non ex hominibus, sed cœlestibus capi dictitaret: scilicet quod huiusmodi specus Græcorum dicto (queîs augendi omnia studium est) Nympharum duci accepisset.* Vel, *Nympharum limina*: sed illud malim. *Specus* cum esset scriptum, descripsit alius *pescus*; corrector hinc *pisces* fecit. Specus autem, vnde & *specula* deriuatur, cauitates sunt & cauernæ littorum maris, fluctibus vndisq; factæ, vbi fere conchæ atq; vmbilici reperiuntur in piscatu. Ex *lumina*, formo vocem quæ desideratur, *duci* pro, *æstimari*. Ei accessit vocis insequentis littera: vnde *lumina* nata. Porphyrii autē exstat Commentarius *de antro Nympharum*, vt M. Varronis *de insulis Nympharum* citat Martianus Capella lib. IX. Philologiæ, qui est de Musica (pag. 209. v. 42. Basil.) & *Nymphaa* in hortis ac portub. Poëtæ celebrant, vt *specus* descriptio est in Mela Pomponio initio libri III. de situ orbis. Talemq; portum diserte ac graphice decantat Homerus Vlyssæ libro XII. eumq; sed breuius, æmulatus Maro I. Æneid. V. 171.

Intus aquæ dulces, viuoq; sedilia saxo
Nympharum domus——

Ex illis Homericis ὀδυσσ. ν'.

Ἀγχόθι δ' αὐτῆς ἄντρον ἐπήρατον ἠεροειδὲς
Ἱρὸν Νυμφάων αἳ Νηϊάδες καλέονται.

Manum tandem de tabula tollam si vnum Clementis Alexandrini de Margaritis locum attulero, qui est lib. II. Pædagogi cap. XII. ὁ δὲ πολυτίμητος μαργαρίτης ὑπερφυῶς τῇ γυναικωνίτιδι εἰσεκώμασεν. γίνεται δ' οὗτος ἐν ὀστρέῳ τινὶ παραπλησίῳ ταῖς πίνναις: μέγεθος δὲ ἡλίκος ἰχθύος ὀφθαλμὸς εὐμεγέθης. *Margarita maximi precii mundum muliebrem per summam luxuriam mirandum in modum inuasit. Ea autem nascitur in quodam ostreo pinnis non absimili. Magnitudo autem eius est quantus permagnus piscis oculus.* Piscis oculo comparat Margaritam, vt hic *oculi Nympharum*, quæ Lymphis sic dictæ, appellantur.

Solinus sæpius restitutus ope veterum librorum.

CAPVT XXII.

Libenter facio, vt non nimium audaciæ quorundam ex proprio ingenio libris editis corrigendis insudantium attribuam, nisi ope veterum & calamo exaratorum librorum coniecturas suas stabilire conentur. Equidem eo semper animo fui, vt audaciæ nihil, ingenio aliquid, libris probæ notæ plurima putem tribuenda. Solinum itaq; hic è veteribus libris meliorem paullò dabimus. Timide id pronuncio. Bis enim ille, quod duplex indicat proœmium, hæc euulgauit.

I. Capi-

I. Capite XIII. ita in editis circumfertur: *Concinnantur à perdicibus nidi munitione sollerti. Spineis enim fruticibus, ac surculis receptus suos vestiunt, vt animalia quæ infestant, arceantur à spinis surculorum.* In membranis: *Spineis enim asserculis receptus suos vestiunt vt amplius animalia, quæ infestant, arc. asperis surculorum.* Et mox melius de maribus: *qui eos sæpissime affligunt, impatientius adulantes.*

II. Cap. XVII. *Pyrpote, quoniam & ignitabula ibi & ignis inuenta sunt.* Vett. duo Toletani: *quoniam de ignitabulis semina ibi ignis inuenta sunt.* Alter tamen ne quid dissimulem, *de ignitalibus. Ignitabulum* est Festo, ignis receptaculum.

III. Cap. XXXIII. *Bisoules frequentissimi qui sunt feris similes setosi colla*: hæc vetusta lectio. Melius tamen alter librorum: *Bisontes frequentissimi equis feris similes.* Nam quod in vulgaris circumfertur, *qui boues feris similes*, vereor vt rectum sit.

IV. De Alce sic legit & interpungit cod. membranaceus *suffragines, vt elephantis, flecti nequeunt, propterea non cubitant. Cum dormiendum est tantum somnolentam arbor sustinet, quæ ad prope casuram secatur.* Longè diuersè à vulgata lectione.

V. Cap. XXIV. *Infamantur Galliæ veneni periculo ritu incolarum, qui, vt aiunt, (veri enim periculum non ad me recipio) detestabili sacrorum ritu non ad honorem sed potius ad iniuriam religionis humanis litant hostiis.* Sic Gryphiana editio. Lege ex membranis, *infamantur moribus incolarum*: & mox: *Sed potius iniuria religionis.* Illud enim *veneni periculo* ex ora natum, cum ab aliquo adscriptum esset *veri periculum.* Gallos autem humanis hostiis litare Pompon. Mela lib. I. Strabo, Cæsar Comment. lib. VI. Lactantius lib. I. cap. XXI. tradunt.

VI. Cap. XXV. de Britannia. *Siluram quoq; insulam ab ora qua gens Britanna detinet turbidum fretum distinguit.* Membranæ: *Syllinas quoque insulas ab ora qua genus Britannidum nunc tenet, turbidus sinus distinguit.*

VII. Cap. XXVII. De hortis Hesperidum & peruigili Dracone: *Ne famæ licentia vulneretur fides ratio hac est*: deleo *ne*, quod ex priore voce repetitum. Legoq; ex M.S. *famæ licentia vulneretur. Fides & ratio hac est.*

VIII. Cap. XXX. *Templo Ammonis fons propinat soli sacer qui humoris humum stringit; fauillam etiam in cespitem solidat.* Vterq; codex vetus: *humum fauillaticam stringit, & in cespitem solidat.* Sic infra cap. XLVIII. de pomo Sodomæ & Gomorrhæ: *Quod habeat licet speciem maturitatis, mandi tamen non potest, nam fuliginem intrinsecus fauillaticam ambitio tantum extima cutis cohibet, quæ vel leni tactu pressa fumum exhalat.*

Exauctoratio ignominiosa. Sallustius illustratus.

CAPVT XXIII.

QVia de *Missione honesta & causaria* copiosè ex Liuio Sigonius docuit, lib I. cap. XV. de Antiquo Iure ciuium Rom. nos tertiam cum clariss. I. C.to Ant. Augustino, Commentario singulari ad Modestinum, De excusationibus, in præsens addamus, quæ *Ignominiosa* dicebatur; cum quis castris exire flagitii caussa & arma deponere iubebatur. De hac Sallust. in Historiis damno publico maiorum incuria deperditis; minorum verò solertia, quantum fieri potuit, sartis, apud Seruium in XII. Æneid. de Appio : *Vbi eum tota concione ab exercitu cogit discedere : Dicit se eius opera non vsurum, eumq. ab armis dimittit.* Vox autem *Dimittere* huic rei propria, vt *Mittere*, missioni honestæ. Et gladiatores *Missionem* impetrabant. Liuius lib. VI. belli Macedonici : *Milites exauctoratos dimisit.* Et alibi. Cogebantur autem hic milites ignominiosè arma deponere ab Imperatore, qui tunc temporis eos *Quirites* appellabat, vt Tranquillus in Cæsare ait, & Lucanus, de Cæsare :

Tradite nostra viris ignaui signa, Quirites.

Et Alexander Imp. apud Lamprid. *Seueritatis tanta fuit, vt sæpe legiones integras exauctorauerit, ex militibus Quirites appellans.* Post: *Continete vocem truculentam, ne vos hodie vno ore atq. vna voce, Quirites, dimittam.* Mox: *Quum nihilominus post ista fremerent, exclamauit : Quirites, discedite, atq. arma deponite.* Alia autem *Missio honesta*, cum vel ob senectutem vel strenuam Reipub. nauatam operam bona cum Imp. venia exauctorabantur, & agris viritim è publico donabantur. Hinc sæpe in Rom. Inscriptionibus : MISSVS HONESTA MISSIONE.

Alimenta carceris. Diaria. Libra Semis. Speres. *Sallustii locus è Demosthene correctus.*

CAPVT XXIV.

SAllustium studiosè fecisse, vt multa à Græcis desumta in sua scripta transferret, auctor est M. Fabius lib. IX. cap. III. Eius rei exemplum ex Demosthene Græcæ Eloquentiæ principe nunc dabo, plura alias. Sic enim lib. III. Histor. in Oratione III. Lepidi Trib. pl. *Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vestra pensantur, cum tamen, qui his modis* (lego *quinis modiis*) *libertatẽ omnium æstimauere, hi profectò non amplius possint alimentis carere,* (*carceris* leg.) *namque vtilis (vt illis) exiguitate mors prohibetur, senescunt vires sic vt neque absolui cura*

cura familiari tam parua res possit, & ignauissimi quiq; tenuissima spe frustrantur. Lud. Carrio, qui diligenter in Sallustii reliqua, tanquam naufragii tabulas anquisiuit, in ordinemque eadem digessit, CL. Puteani Regis Christianissimi Consiliarii, viri doctissimi εὐστοχίαν in hoc loco sarciendo meritò laudat: *qua tamen quinis modiis libertatem omnium æstimauere, qui profectò non amplius possunt alimentis carceris. Namq; vt illis exiguitate mors prohibetur, senescunt vires; sic neq; absoluit cura familiari tam parua res: & ignauus quisq; tenuissima spe frustratur.* Sic fere etiam Lipsius, Belgii nostri ornamentum; nisi quod *prosint* legit, pro *possint*; reliqua verò pro depositis habuit Electorum lib. I. cap. VIII. vbi de *Frumentatione* accuratè disseruit. Equidem *possunt*, quæ scripti libri lectio est, retineri posse arbitror: Non plus possunt præstare quàm ea alimenta quæ in carcere captiuis dantur. Pet. Ciacconius summæ vir doctrinæ, & alter sæculi sui Varro meritò appellatus, *poscunt* tentabat, pro exigunt. *Alimenta* autem carceris quini modii erant, vt hic emendando Sallustius definit, alii quaternis sextariis, hoc est, Chœnice, vt & seruorum *Dimensum, Diariamq;* definiunt: quo de libro II. ca. XXXIV. abunde iam disseruimus. Aldus enim Manutius aquam sibi hic hærere ingenuè fatetur, cum spe bona fore aliorum maiorem industriam. Lud. Carrio in eodem hæsit luto, neque nodum expedire potuit Notis ad lib. III. Historiarum Sallustii in Orat. M. Lepidi, vel vt alii volunt, Macri de Tribunicia potestate recuperanda. Statim etiam emendo: *Namq; vt illis exiguitate mors prohibetur:* Quemadmodum, inquit, alimenta quæ in carcere præbentur, quòd exigua sint, prohibent quidem mortem, senium tamen accelerant. Idem Sallustius Lib. I. Historiarum in Orat. L. Philippi: *Erat Lepidus latro cum calonibus, & paucis sicariis: quorum nemo non diurna mercede vitam mutauerit.* Vel, vt Ios. Scaliger in Catullianis legit Notis: *quorum diurna mercede vitam non mutauerit.* Mox verò ex vestigiis libri Vaticani, Gallicorumque exemplarium, *& ignaui quiusq; tenuissimas persfrustrantur*; sic tertio pedatu legimus: *& ignauia quisque tentus suas speres frustratur.* Nam *speres* multitudinis numero M. Varro sæpe vsurpauit, vt in Menippea Satura ὄνος λύρας apud Nonium in *Lactare:*

Quibus suam delectet ipse amusiam
Et auiditatem speribus lactet suis.

Et Q. Ennius Annali II.

Et semel effugit speres ita funditu' nostras.

Apud Sex. Pompeium Festum in *Speres*. Item XVI. Annal.

Spero, si speres quidquam prodesse potissunt,
Non insperando cupidè rem prodere summam.

Sic enim apud Festum in *Speres* & in *Prodere* diuulsa loca consarcienda puto. Sic *Luces* & *Paces* antiqui litteratores Sergius & Pompeius in Crispo annotarunt. Alterum hodie in Iugurthino reperias; *Regna*, inquit, *prouincias, leges, iura, iudicia, bella, atque paces.* Ab his autem vocibus Crispum priscarum vocum

vſque ad reprehenſionem affectatorem, non abhorruiſſe, facilè doctis perſuaſero, vel noto Epigrammate, quo tanquam M. Catonis antiquorum verborum fur arceſſitur: & Pollio Aſinius ſcripta eius, vt nimia verborum affectatione oblita, ſingulari libro reprehendit. Locum verò ad Demoſthenis imitationem (vt ferè Latini è Græcis fontibus, tanquam ex copiæ cornu omnia hauſerunt) expreſſum videri moneo. Quod enim hic de carceris alimentis, ille de Diæta, quam ægrotis medici præſcribunt, Olynth. III. ἴσως αὖ ἴσως, ἄνδρες ἀθηναῖοι, τέλειόν τι καὶ μέγα κλήσεσθε ἀγαθὸν, καὶ τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικε· καὶ γὰρ οὔτε ἰσχὺν ἐκεῖνα ἐντίθησιν, οὔτ' ἀποθνήσκειν ἐᾷ, καὶ ταῦτα αὖ νέμεσθε ὑμεῖς, οὔτε τοσαῦτά ἐστιν, ὥστε ὠφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὔτε ἀπογνόντας ἄλλο τι πράττειν ἐᾷ. ἀλλ' ἔστι ταῦτα τὴν ἑκάστου ῥαθυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα. Quæ poſtrema verba & noſtram coniecturam, *& ignauia quiſque tentus ſuas ſperes fruſtratur*, probant. Eundem locum reſpexit Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, aulicos clientes exagitans, qui tenui diaria illecti, aureas compedes volentes geſtant: ἐπεὶ δὲ, ὡς ὁ καλός που ῥήτωρ, ἔφη, τοῖς τῶν νοσούντων σιτίοις ἐοικότα λαμβάνουσι, τίς ἔτι μηχανὴ μὴ οὐχὶ καὶ πρὸς τοῦτο κακῶς βεβουλεῦσθαι δοκεῖν αὐτούς, ἀεὶ μενούσης ὁμοίας αὐτοῖς τῆς ὑποθέσεως τοῦ βίου. Reſpexit idem & Symmachus Vrb. Præf. lib. I. Epiſtola XXIII. ad Auſonium: *Fac veniat in mentem, quid Græca ſemper hoc dicat oratio. Paruis nutrimentis*, inquit, *quanquam à morte defendimur, nihil tamen ad robuſtam valetudinem promouemur*. Reſpexit nimirum Demoſth. illum locum, vt & æqualis ipſius, ſed religione longe diſpar B. Hieronymus Comm. in cap. IV. Ezechielis: *Decem*, inquit, *panis vncia diurna & aqua tertia Sextarii pars, anima magis trahitur, quam ſuſtentatur. Qui cibus & potus, iuxta inclytum Oratorem* [Demoſthenem] *non vires tribuit, ſed mortem prohibet*. Et Corn. Tacitus XVI. Annal. de L. Vetere, cuius filia Pollutia, Rubellii Plauti coniux, quæ cruentam ceruicem mariti ſui, dum percuteretur, amplexa, ſeruabat ſanguinem, & veſtes reſperſas vidua amplexa luctu continuo, *nec vllis*, ait, *alimentis, niſi quæ mortem arcerent, vſa*. Alluſit & Seneca Epiſt. XXCI. extrema, & XVIII. *Liberaliora*, inquit, *ſunt alimenta carceris. Sepoſitos ad capital ſupplicium non tam anguſtè, qui occiſurus eſt, paſcit.*

Porro *alimentorum carceris*, quam *Diariam* Seneca pater appellat, vt & in communi victu non conſtans ratio. Decemuirorum tempore in Legg. XII. Tabb. de Nexis & Addictis (vt ſup. lib. II. cap. 34. diſſeruimus) ſic caput legis conceptum apud Agellium lib. XX. cap. I. SEI. VOLET. SVO. VIVITO. NI. SVO. VIVIT. QVI. EM. VINCTOM. HABEBIT. LIBRAS. FARRIS. ENDO. DIES. DATO. SEI. VOLET. PLVS. DATO. Nam primum legis caput ſic concipiebam. AERIS. CONFESSI REISQVE IVRE IVDICATIS. XXX. DIES. IVSTI SVNTO. Iacobus Ræuardus, Anteceſſor Duacenſis, Belgii noſtri Papinianus futurus, niſi terris tantùm oſtendere fata voluiſſent. LIBRAM FARRIS Comment. ad legg.

ad legg. XII. Tabb. reponendam contendebat, vt certè farris quantitas lege expressa videretur. Guil. verò Fornerius Selection. lib. II. LIB. S. FARRIS scriptum fuisse putat. Et verò singlâ S. *semis* exprimere solitos Val. Probus auctor, vt in sestertiorum nota HS vel H-S apparet. Sunt enim duo asses, vel libra, & semis, quasi semis à tertio. Auctor de Viris Illustribus, vt nos quidem ex MSS. olim edidimus in Scipione Æmiliano: *Huius patrimonium tam exiguum fuit, vt XII. libras argenti, duas & selibram auri reliquerit.* Furius Bibaculus de Catone Grammatico apud Sueton. de Illust. Gramm.

Quem tres coliculi, selibra farris,
Racemi duo, tegula sub vna
Ad summam prope nutriant senectam.

Et Gemina apud Nonium Marcellum in *Comesf:*

——libram ait satis
Esse ambobus farris nutrire; plus comesf
Sola vxor.

Venus Erycina. Struices. *Solini Polyhistor denuo correctus.*

CAPVT XXIV.

CAp. II. extremo: disputans de anno Vrbis conditæ post Dionysium Halicarnasseum, vt doceat septimæ Olympiadis anno primo Romam conditam ab Ilio capto CDXXXIII. adducit annum Consulatus.

I. *Cn. Pompeii Galli, & Q. Verannii Nepotis*, qui est post Romam cond. octingentesimus primus, *quo Consulatu Olympias CCVII. actis publicis annotata:* quater ergo multiplicatis sex & ducentis Olympiadib. erunt anni DCCCXXIV. de quibus septima Olympiade annectendus est primus annus. Vt in solidum colligantur anni DCCCXXV. Sic etiam legit editio Antuerp. Mart. Delrii nostri longe optima. Sed locus corruptus est, transposita præpositione *De*. Ne vim facere videar & oscitantiæ Solinum arcessere. Lego, *quibus de septima Olympiade*: vel, vt in altero Toletano Cod. *quibus septima Olympiadis annectendus est annus primus.*

II. Cap. IV. de bitumine, quod in Iudæa nascitur in Asphaltite lacu, adeo glutinosum est, vt à se nequeat separari. *Sed vbi*, inquit, *admota fuerint cruore illius polluta fila, sponte discerpitur, & applicita tabe deducitur, paulo antè corpus vnum.* Sic & in MS. vtroque, nisi quod alter, *admota fuerit cruore illo polluta felix*; alter verò, *admota fuerint cruore polluta fila*, disertim præferat. Hanc lectionem Corn. Taciti auctoritate probo. Sic enim lib. XXI. de Iordanis lacu: *Nec abscindere are ferroq; possis, fugit cruorē veste quasi infecta sanguine, quo fœmina per menses exsoluūtur.*

III. Cap. V. de hominis mensura: *Scripta quoq; ex antiquitate memoria accersunt in fidem veri, quibus receptum est, quod bello Cretico, cum elata flumina impetu plusquā vi amnica*

amnica inuecta terris rupissent, post discessum fluctus inter plurima humi dissidia humanum cadauer repertum sit, cubitûm trium atque triginta, cuius spectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipsum impendio admodum captos miraculo quod auditu refutarant, oculis politos. Membranæ Toletanæ bibliothecæ legunt, & interpungunt: *Scripta quæq. ex antiquitate memoriam arcessunt, in fidem veri hoc etiam receperunt; bello Cretico, cum elata flumina plusquam vi amnica, inuecta terras forent, post discessum fluctuum inter plura humi discidia, &c. cuius inspectandi cupidine, &c.* Porro autem, *quod auditu respuerant oculis politos.* Scio M. Ant. Delrium aliter è Iusti Lipsii Cod. legere, sed mihi hæc lectio impensè placet.

IV. Cap. VIII. De Ænea littoribus Italicis appulso. *In agro*, inquit, *Laurenti simulacrum, quod secum ex Sicilia aduexerat, dedicat Veneri matri, quæ ἀφροδίτη dicitur.* Veneris nomen à sciolo intrusum per imperitiam, qua nihil audacius, quæ confidentes reddit. In altero meorum librorum est, *quæ Erycis dicitur.* De qua infra cap. XI. de Sicilia. In altero verò, *quod frondis Frutis dicitur*; quæ lectio non admodum à doctissimi Turnebi coniectura recedit lib. XXIV. Aduersariorum.

V. Mox de Diomedæis auibus: *Hanc struem comprimunt terra quam egesserant, cum puteos excauarent.* Alter meorum, *hanc struem premunt terra*, alter, *hanc struicem premunt terra.* Et *excitarent* vterque pro *excauarint*.

VI. Inf. cap. XLI. *Salibus domos exstruunt, quos in modum antium è montibus excitatos, ad vsum ædium cæmentitiis nectunt struibus*, V. Cod. *struicibus* quas Festus Pompeius quarumuis rerum exstructiones explicat, Plautus Menæchmis pro libis capit:

Cereales cœnas dat, ita mensas exstruit,
Tantas struices concinnat patinarias.

Detrectare, Ne, *pro nedum. Sallustii locus Catilinaria, ex M. Catonis Originibus depromtus.*

CAPVT XXVI.

Crispum Catonis æmulum ad aduersariorum reprehensionem notum est, vel illo Epigrammate, quo incessebatur, teste Fabio:

Et verba antiqui nimium furata Catonis,
Crispe Iugurthinæ conditor historiæ.

Vt ex Originibus excerpsisse scripsit apud Suetonium Augustus Cæsar: & apud eundem Tranquillum Lenæcus Pompeii libertus, vt priscorum Catonis verborum ineruditissimum furem perstrinxit.

I. Sic autem prior M. Cato pro Rhodiensibus quam in Originum librum quintum retulit, scripsisse auctor est Agellius lib. VII. cap. III. *Aduersa*

res se

res se domant, & docent quid opus sit facto; secundæ res lætitia transuersum trudere solent à rectè consulendo atque intelligendo. Quod ita Crispus initio Catilinariæ coniurationis expressit; *Secundæ res Sapientium animos fatigant, ne illi corruptis moribus victoriam temperarent.* Hic *nedum* Priscianus & B. Augustin. legunt, positumque pro *saltem.* Vide & Prouerb. *Res secundæ animos fatigant*, quæque hic è Demosthene Aldus colligit. Aliter paulò in Iugurthino: *Res humanæ ita sese habent, in victoria vel ignauo gloriari licet; aduorsæ res etiam bonos detrectant.* Hoc est, (quandò nouator verborum sæpè difficilis est) *detrahunt*, efficiuntque vt male audiant etiam boni. Sic Liuius, *virtutem detrahere* dixit.

II. Hic *ne* pro *nedum* positum à Sallustio, vt alias sæpè, vt in lib. II. Hist. prout Donatus in Andriam interpretatur Act. IV. Scen. 2. & Priscianus lib. XVI. Grammat. *Ne illa tauro parita sunt.* Alii *parta*, lege *prata sunt.* Sin *parita* retineas, erit quale illud veteris Poetæ apud Ciceronem: *Quantum vna vecors Oenei parta edita*, Tuscul. II. Et Fabius Tragicis dici notat: *Iam Leo pariet.* Appuleius Sallustii imitator, in Apologia: *Ab hoc ego Æmiliano non huic Afro, sed illi Africano & Numantino, & præterea Censorio vix credidissem, ne huic frutici credam non modo odium peccatorum sed saltim intellectum inesse.* Plautus: *Vix incedo inanis, ne ire posse cum onere existimes.* T. Liuius lib. III. ab V. C. *Nouam compertamque eam potestatem eripuere patribus nostris ne nunc dulcedine semel capti ferant desiderium.* Pro *nedum*, vel, tantum abest vt desiderium ferant. Memini & in antiquis Sallustii membranis venerandæ vetustatis in Catilinario, scriptum vidisse litteris integris *fatatum*, pro quo *fatum* passim in editionibus euulgatur, (quo de & infra disputo) fando nimirum, Græcorum imitatione, quibus à πεπρωμένω est τὸ πεπρωμένον, pro πεπεπρωμένον, & πέπρωται, *fatatum est, fatoque decretum*, ἡ εἱμαρμένη, ἡ μοῖρα. *Parca.* Pythagoricum est ἔπος.

Ἀλλὰ γνῶθι μὲν ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασι.

Italia & Hispania, quæque prouinciæ cui rei comparatæ.

CAPVT XXVII.

QVemadmodum hominem terræ continenti comparauit Princeps ingenii & doctrinæ Plato in Timæo apud Dionysium Longinum, ita è contrario terram continentem, prouincias, vrbes nonnullas sigillatim rebus aliis ab auctoribus comparatas obseruamus, quas hoc capite enumerando dabimus. Atque inprimis, vniuersum hoc in quo aginus, *orbem* non immeritò antiqui dixerunt, σφαιρικῶς enim circumfuso Oceano circumagitur.

I. *Europam* Dionysius Afer *tergori taurino* similem dixit:

εἰδὲ καὶ Εὐρώπης ἐθέλεις τύπον, οὔ σε κεύσω
ἤπειρον κείνην ἰκέλην ἐνέπουσι βοείῃ.

II. Idem *Libyam* ad Ortum & Austrum extensam mensæ speciem præseferre ait: ad Æthiopiam vero vergentem *pellis pantherinæ* formam imitari.

III. *Italiam* Europæ ornamentum, qui *folio querno* similem dixerunt, aut *tibiæ humanæ*, non omnino aberrarunt. Has enim formas, proceritate amplior quàm latitudine, ostendit Solinus cap. VIII. *Lunatam* ideo nonnulli dixerunt. Et Martianus Capella lib. VI. *peltæ Amazoniæ*, quæ in modum lunæ arcuatim desinebat, comparat.

IV. *Sardiniam* non procul ab Italia in mari intimo insulam, *vestigio pedis humani* similem dicere, quòd in Orientem quàm in Occidentem latior promineat. Sallust. lib. II. Histor. apud Agellium lib. XIII. cap. XVIII. & Isidorum lib. IX. Vnde *Ichnusa* quasi vestigialis appellata à Myrsilo, vt Plinius; vel *Chrysippo*, vt Solinus, aut (vt lego in vet. Cod.) *Crispo*: *Sandaliotis* à Timæo dicta, soleæ effigie: Plinius lib. III. cap. 7. Solinus cap. X. & Mart. Capella, vbi pro *Signosa* legendum ἰχνοῦσα, eo quòd vestigium habeat *plantæ*, & Silius Italicus lib. XII. belli secundi Punici.

V. *Hispania*, tergori bouino non est absimilis, vt Strabo docet, & Iustinus lib. XIII. aliique: atqui Europam, vt dixi, Dionysius eidem adæquat.

VI. *Britanniam* oblongæ scutulæ vel bipenni assimilauit Corn. Tacitus in Agricolæ vita.

VII. *Taurica Chersonesus* vt ad Dionysium Alexandrinum Eustathius ait: τῇ Πελοποννήσῳ ἐοικυῖα, καὶ τὸ μέγεθος, παρακειμένη δ' ὑστομικὴ τῷ στόματι τῆς Μαιώτιδος.

VIII. *Peloponnesus* autem vt platani folium recessibus & prominentiis figurata diuortium facit inter Ægæum & Ionium mare. *Solinus cap. XVII.*

IX. *Cyclades* autumant inde dictas, quia licet spaciis longioribus à Delo proiectæ, in orbem tamen circa Delum satæ sunt, vt orbem vel κύκλον faciant. *Solinus ibidem.* Quod autem satæ sint, ideo eas *sporades* appellat Seruius, & Martianus Capella.

X. *Phanasia*, de *facie supina freti* (libri vet. duo, *supinitatis*) sic vocata, vel ab Vlyssis erroribus. *Solinus cap. VIII.*

XI. *Ægæum* mare sic dictum, quoniam visentibus procul *capreæ* simile creditur, quam Græci αἶγα nuncupant, hinc *Ægæus sinus* dictus est *M. Capella.*

XII. Δρόμος Ἀχιλλέως peninsula ad formam gladii in transuersum porrecta ab exercitatione Achillis cognominata.

XIII. *Thessaliæ montes* Olympum, Pierium, Ossam, Pindum, Othrin, ait Martianus Capella, theatrali forma curuari.

XIV. *Canopus* ad speciem chlamydis est condita, teste Seruio ad IV. Georgicôn v. 287. *Canopus ciuitas est iuxta Alexandriam, quam Alexander condidit instar chlamydis suæ.* Belgi-

XV. *Belgium* denique nostrum *leonis* & formam & vires, ac demum insignia præferre videmus. Sed plura his similia volentibus volentes iam dabimus.

Similitudines locorum à corpore humano sumtæ. Lingua, Cornua, Latus, Dorsum, Supercilia, Sinus, Pectus, Vmbilicus, Manus *de cohorte*, Compedes. *Solini lectio defensa.*

CAPVT XXVIII.

SOlinus cap. VIII. de Italiæ situ: quà inter superum mare & inferum protenditur.

I. *Vbi*, inquit, *longius processit, in cornua duo scinditur, quorum alterum Ionium spectat æquor, alterum Siculum: inter quas prominentias, non vno margine accessum insinuati freti recipit, sed linguis proiectis sæpius ac procurrentibus distinctum promontoriis pelagus admittit.* Sic quoniam in duobus scriptis Codicibus Toletanæ bibliothecæ scriptum integrè repperi, nihil temerè mutandum censeo, nec ei assentior, cui aliàs non parum scriptor ille debet, reponenti: *sed longius à se proiectis ac procurrentibus distinctum promontoriis pelagus admittit*, non necessaria mutatione. *Linguæ* enim nomine vocari promontoria apud auctores, vt & cæterarum humani corporis partium, terrarum situs, & loca, manifestum est. De promontoriis Pacuuius in Anchisa apud Agellium lib. IV. cap. XVII. *Id promontorium cuius lingua in altum proiicit.* Cæsar lib. III. de bello Gall. de Venetis: *Erat huiusmodi fere situs, vt posita in extremis linguis, promontoriisq́, neque pedibus aditum haberent, neque manibus.* Vbi editiones *lingulis* habent. Plinius tamen *linguas* agnoscit. T. Liuius lib. XLV. *Eminet namque in altum lingua in qua sita est, nec minus quam in altum magnitudine Atho mons excurrit.* Et alibi Martianus Capella. II. Non solum autem *lingua*, verum etiam *cornua* dicuntur promontoria. Hinc *Cyprus*, teste Stephano, *Cerastis* dicitur, quamquam Eustathius aliam causam adferat. Lege Pet. Victorium lib. XX. Variar. Lect. cap. IV.

III. *Latus* dicuntur oræ: Solinus cap. LVI. de Taprobane: *Latus eius mare alluit prauiridi colore fonticosum, ita vt iuba arborum plerumque gubernaculis atterantur.*

IV. *Dorsum* pro eminentia dixit Maro, lib. primo Æneid. v. 114.

Dorsum immane mari summo. ——

Explicatque Nonius Marcellus. Ibidemque *aqua mons* de vndis marinis. Vt Pindaro dictum ποταμοὶ κρανῶν, πυρὸς πηγαί.

Et Hom. Odyss. γ'.

κύματά τε τροφόεντα πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν.

V. Eodem modo dixit Solinus cap. XXVII. *Supercilia. In ipsis marginibus haret vnda, & intimis orarum superciliis sponte fluctus mugientes sistuntur.* Fortè pro littore. Vide Pet. Victorium lib. XXII. Variarum Lect. cap. 14. de superciliis seu iugis in Geographicis: Hom. Iliad. lib. XX. ver. 151.

Οἱ δ' ἑτέρωσε κάθιζον ἐπ' ὀφρύσι Καλλικολώνης.

Et Polybius lib. II. Hist. de C. Flaminio. Idem Soli. de Bucephalo, cuius primores pedes *facie vestigii humani.* Et cap. XXX. *Circa extimum Syrtium cornu Berenicen ciuitatem alluit Lethe amnis.*

VI. Hinc etiam *sinus* dicuntur, angustiæ quædam Oceani, in quos velut in sinum se fluctus quietior recipiat.

VII. *Crines*, bis apud Æthicum reperias.

VIII. *Caput* quoque eminentiæ ad mare vocantur, quod vulgò durat nomen, *Capo verde*, & *di buona Speranza*: quemadmodum & nostrate lingua, vbi conscenditur, vel exscenditur: *Heet hooft*, Belgis.

IX. *Pectus* pro aperto mari acceptum apud Sophoclis Scholiasten, in Oedipo Colonæo, in choro, στερνοῦχος χθὼν, *terra caua:* Suidas tamen *planam* exponit. Scholiastes vero ἀντὶ τῆς γονίμου γῆς, ἢ ἐπιπέδου, καὶ πεδιούχου χθονός. μεταφορικῶς γὰρ καὶ στέρνα, καὶ νῶτα φασὶ τὰ πεδιώδη, καὶ εὐρέα, καθάπερ αὖ πάλιν αὐχένας τὰ στενά. τὸ δὲ ὅλον πεδίον, ἐπὶ στερνούχου χθονὸς ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τῶν πεδιάδων τῆς γονίμου χθονός.

X. *Radices etiam montis*, Cicero II. Tuscul. & Brodæus Miscellaneis & Allobrogum ditio vulgò *Pedemontana*, iuxta Alpes: quæ bases sint Italiæ, explanat Alciatus, lib. IV. Parerg. cap. II.

XI. Delphos *orbis vmbilicus*, quod in medio orbe sita: Poëta in Ithyphallicis: *Delphos Pythius orbis vmbilicus.* Plutarchus de defectu oraculorum, Claudianus, Plinius, Mela, Strabo, Dionysius, Polybius, Capella, & Solinus ex Varrone. Reatinum agrum Italiæ *vmbilicum* vocarunt; Cicero in Verrem VI. & Ennensium nemus Siciliæ.

XII. *Ocellum* etiam *terra* alicuius appellamus vrbem principem: vt de Sirmione doctus Catullus:

Peninsularum Sirmio, insularumq; ocelle.

Sic Iulianus in Epistolis Damascum τῆς ἑώας ἁπάσης ὀφθαλμὸν vocat, & Cic. III. de Natura Deorum, Corinthum & Carthaginem duos oræ maritimæ *oculos*; illam quoque pro Lege Manilia, *totius Græcia lumen* appellat.

XIII. Ad hæc *Compedes* Græciæ Philippus nominabat Corinthum Achaiæ, & Chalcidem Eubœæ, vt auctor est Strabo. Liuius verò lib. XXXII. ex Polybio Demetriadem Thessaliæ addit. Legendus Petrus Victorius lib. XII. Variarum Lect. cap. XIX.

XIV. Ea-

XIV. Eadem Philippo Demetrius Pharius Ithonem & Acrocorinthum *cornua Peloponneſi* nominabat: quibus præſidio occupatis, *Ambobus*, inquit, *cornibus taurum tenebis*. Refert Strabo lib. VIII. γεωγραφουμένων, & in excerptis Polybius, idemq; Victotius lib. XX. Variarũ c. IV. Homo deniq; ipſe tamquam μικρόκοσμος, orbisq; compendium, (quod de Roma Polemon Sophiſta apud Galenum vſurpauit τῆς οἰκουμένης vocans ἐπιτομήν) à Platone in Timæo *continenti* comparatur, alibi vero *arbori inuerſæ*. Illum locum laudat Dionyſius Longinus extremo περὶ ὕψους Commentario. Sed de his ſatis ſuperq;: Similia obſeruent, ſi placet, alii poſt-futuri.

Iulii Cæſaris Loca è Commentario belli Gallici inſtaurata.

CAPVT XXIX.

CÆſaris Iulii Commentarios libens equidem adoleſcens ob inaffectatam elegantiam manibus tenebam. Nuper etiam in Neruiis degens dum fortè de finibus eorum anquirerem, & Cæſarem lib. II. belli Gallici de eis agere meminiſſem nactuſque commodùm eſſem à Benedictinis ſodalibus Martinianæ Bibliothecæ perantiquum rerum Tornacenſium codicem, in quibus membranis Cæſaris etiam quædam, vetuſta manu deſcripta legerentur, ea cum editis cõmittere horis ſubſeciuis non piguit, quod operæpretium aliquod fieri reapſe iam comperiſſem: adhibita quoq; quæ ad manũ tunc erat Plantiniana anni eius ſæculi ſexti & octogeſimi editione, quam Lipſii noſtri ſtudio accuratam eſſe Præfatio ipſa tacite indicat vt pòſt à Scaligero recenſitam Raphelengiani ediderunt. Apponam variantes exemplaris ſcripturas, nihil tamen vt de plano pronunciem, eas aliis potius per otium, vt cetera, quæ damus diſcutienda relinquimus. Igitur pag. 29.

Sueſſiones, quatuor ſyllabis membranæ perpetuò præferunt, non *Sueſſones*. Ibidemq; pro *Atuaticos*, *Catuacos* diſertè ſcriptum vidi, de quibus copioſè amicus noſter vir eruditiſſimus And. Hoius Brugenſis, Oratione quadam diſſeruit. Verum illud ſilentio minimè prætereundum inf. pa. 36. *Atuatucorum* per quintam Latinorum vocalem, non per tertiam conſtanter ſcribi, vt & *Atrebatis* inibi pro *Atrebatibus*.

P. 30. *Caletes decem millia*, *Verocaſſes*, *& Veromanduos totidem*. In membranis hoc ordine, *Velocaſſes & Veromanduos totidem : Caletos decem millia*.

Ibidem *Belgarum copias in vnum locum coactas ad ſe venire*, *neque iam longè abeſſe ab his, quos miſerat, exploratoribus*. Membranæ: *ad ſe venire vidit: neque iam longè ab his, quos miſerat exploratoribus*. Aberat τὸ *abeſſe*.

X 3 Pag. 31.

Pag. 31. *Murusq. defensoribus nudatus: testudine facta portis succedant, murumq. subruunt.* Scriptum erat: *portas succendunt.*

Inf. *Et in fronte leuiter fastigatus paulatim ad planitiem redibat.* Nos legimus: *leuiter castigatus, castratus paullulum.* Et *rediebat*, pro *redibat*: & alterum an ex ora à mala manu irrepserit, non habeo dicere.

P. 32. *Vt, si quid opus esset, subsidio duci possent.* Vetus liber: *si quo opus esset.*

Inf. *Sin minus agros Rhemorum popularentur*, scripta lectio repetit ἀπὸ κοινοῦ: *sin minus possent*, quæ vox antecesserat vt suprà paullò: *hostes, quod tantum multitudine poterant*, & de Neruiis infra p. 35. *Sed quicquid possunt, pedestribus valent copiis, comitatu nihil possent.* Et statim: *Commeatusq. nostros sustinebant. Cæsar certior factus.* Antiqua scriptura: *commeatusq. nostros prohiberent.* Et vocem *Cæsar* omittit.

P. 33. *Exaudito clamore, perturbatis ordinibus omnes in fuga sibi subsidium posuerunt.* Concinnius membranæ illæ, *omnes in fuga præsidium sibi ponerent.* Nam antecessit *continerentur*. Et mox: *Sub occasumq. Solis sequi destiterunt.* τὸ *sequi* ab iisdem abest membranis. Sed plura mox appendam, interiectis Val. Maximi Notis.

Valerius Maximus sæpius emendatus.

CAPVT XXX.

VAlerii cognomento Maximi pauca delibo: prætermissis interim quæ Pighius, Lipsius, & Colerus priores occuparunt.

I. Lib. I. Cap. I. §. x. *Atque in id virgines & sacra imposita, omisso cœpto itinere, Care in oppidum peruexit.* Vetus codex noster; *Caretem oppidum peruexit.* Et post non longe, *Inde enim institutum est, sacra ceremonias vocari, quia Caretani ea, infracto Reip. statu, perinde ac florentes ante coluerunt.* Eædem membranæ; *perinde ante coluerunt.* Itaq; è libro Pet. Danielis Colerus.

§. XVI. *Quod cum ludos Circenses Aedilis faceret, in Iouis Opt. Max. templo.* *Tensa* pro templo præfert vetus codex: qua de Asconius Pedianus & Seruius ad illud II. Æn.

——Funemq. manu contingere gaudent.

Et nos nuper de *Tensarum nomenclatore* in Tullianis Quæstionibus lib. IV. cap. VI.

II. Cap. VI. §. I. *Quod prodigium Prisci Tarquinii regis vxor Tanaquil admirata, Seruium serua natum in modum filii educauit.* Vetus codex: *Quod prodigium Ancii regis Marci vxor Tanaquil admirata, serua notum, in modum filii educauit.* Liuius 1. & Dionysius. 3. sic legendi, ibidemq; Sigonius & scriptor de viris illustribus: Seruius quoq;, cuius locum hic adfert Colerus.

Eodem Capite §. VI. *C. autem Flaminius cum inauspicato consul creatus apud lacum Trasimenum, cum Annibale conflicturus, conuelli signa iuberet.* Vet. Codex. *C. autem*

C. autem Flaminius inauspicato consul creatus, cum apud lacum Trasimenum, cum Hannibale confecturus, conuelli signa iussisset. Forte leg. *cum Annibale conserturus.* Sæpe enim τὸ *manus* exaudiebant vt, ne longius abeam, Cap. VIII §. VI. *conserti dubio certamine*: vbi idem codex *conserti* præferebat. Vide Nonium.

Cap. VII. §. III. *Superq; eas sese ipsum deuouisset, victoriam habiturum.* Vet. codex noster *victricem abituram*: quo modo & in Bambergensi Franciscus Modius reperit asseruitq; olim Dion. Lambinus Comment. in Corn. Nepotem, seu Æmilium Probum.

Cap. VIII. §. X. *Atque hoc quidem hominis tantum: Illud autem ore ipsius Apollinis editum.* Variatum & hic in scriptura. Apponam nostri libri lectionem: *Atque hoc quidem homini, sed casu illud tantum non ore ipsius Apollinis editum. Tantum-non Græc.* μονονουχὶ.

Eodem Cap. in Externis §. III. *Mirabilior tamen sequentis casus narratio.* Vetus Cod. *Miserabilior.* duo item alteri Coleri: Sed ferri vtrumq; possit.

Lib. II. Cap. VII. §. X. *Nec minus Pisone acriter Q. Metellus: qui cum apud Contrebiam res gereretur &c.* Vetus lectio *Nec minus Pisone acriter Q. Messius: qui cum apud Trebiam res gereretur, &c.*

Cap. X. §. 8. *Quos Messius ædiles faciebat, spectante, populus, vt mima nudarentur, postulare erubuit.* V. C. *vt mima darentur.*

Lib. II. Cap. VII. §. VI. *Nihil aliud Gallica peregrinatione consecutus est, quam vt animaduerteret fontem patrem suum ab integerrimo viro in exilium missum. Sorte patrem suum* præferunt membranæ nostræ.

Cap. VIII. §. V. *Quinetiam truculentius sibi minitanti Sylla.* Scriptura vetus: *instanti Sylla.*

Ibidem in Externis, Cap. III. *Socratis autem virilitatis robore palliatus animus.* Vet. cod. *vallatus animus.*

Cæsaris Commentarii rursum emendati.

CAPVT XXXI.

AD partes iterum Cæsarem vocamus. Linguis fauete. Lib. II. belli Gallici de Neruiis agens, pag. 34. Plant. *Nullum* inquit, *aditum esse ad eos mercatoribus; nihil pati vini, reliquarum rerum ad luxuriam pertinentium inferri: quod his rebus relanguescere animos eorumq; remitti virtutem existimarent.* Idem de vniuersis Belgis initio Commentariorum Iulius dixerat, ideò fortissimos Gallorum omnium habitos: *Propterea quod minimè ad eos mercatores sæpè commearent, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinerent, importarentur.* Illud tamen admonere placuit, hic in membranis tria illa verba desiderari; *ad luxuriam pertinentium.*

Magna

Magna sanè virtutis Neruiorum laus ac fortitudinis, quæ & in vniuersam Belgarum nationem redundarit. Quod subiicit *esse homines feros magnaq. virtutis*, idem sup. p. 30. asseruit Neruios maximè feros Belgas inter haberi.

Pag. 35. *Eorum dierum consuetudine itineris nostri exercitus perspecta nocte ad Neruios peruenerunt.* Τὸ *itineris* abest à membranis, rectè fortassis, si Græci quoque interpretis fides accedat. Post non longè: *teneris arboris incisis atque inflexis, crebrisq. in latitudinem ramis enatis.* Duo illa verba *inflexis crebrisq.* vt in scripto exemplari absunt, sic & glossam olere videtur, legendumq; ; *atque in latitudinem ramis enatis.* Statim: *quò non modo non intrari, sed ne perspici quidem posset.* Altera negatio *non* aberat, solemni veterum more, qualia plura congessit elegantissimi vir ingenii M. Ant. Muretus lib. X. Var. lect. cap. VII.

Pag. 37. *Instructo exercitu magis vt loci natura deiectusq. collis & necessitas temporis, quam vt rei militaris ratio atq. ordo postulabat.* Sic editur; scriptum tamen disertè vidimus, *delectusq. collis.* Subiicit: *Cum diuersis locis legiones aliæ.* Ibidem scriptum, *cum diuersis legionibus aliæ alia in parte hostibus resisterent.*

Pag. 38. *At totis ferè castris à fronte, & à sinistra parte nudatis*, &c. Aliter longè membranæ: *Attonitis ferè à fronte & à sinistra parte nudatis castris*; Sed de huius loci veritate & Lector attentus consideret, & Græcum consulat nuper euulgatum Commentariorum Cæsaris Interpretem. Extrema pagina sic legitur: *In his primipilo P. P. Sextio Barulo fortissimo viro.* In membranis: *Primipili P. Sextio.*

Pag. 40. de Neruiis iam victis, seq; dedentibus: *se*, inquit, *& dediderunt & incommemoranda ciuitatis calamitate è sexcentis ad tres senatores, ex hominum millibus sexaginta vix ad quingentos, qui arma ferre possent, sese redactos esse dixerunt.* Nihil hic membranæ discrepant, nisi quod per hyphen *incommemoranda* scriptum sit. Sed has ornato viro, & amico, Io. Brantio I. C. qui non vulgares in Cæsarem Notas dedit, condonemus.

Val. Max. iterum emendatus. Linguis fauere. Solitaurilia.

CAPVT XXXII.

Valerius lib. IV. Memorabilium Cap. III.

Nam quo ista generis humani certissima pestes penetrauerint, ibi iniuria dominatur, infamia flagrat. Quibus longius relictis, contrarios tam diris vitiis mores commemoremus. Placuit hæc Pighio scriptura. Amplius vero codex noster notæ melioris: *Nam quo istæ generis humani certissimæ pestes penetrauerunt, iniuria dominatur, infamia flagrat, vis habitat, bella gignuntur. Fauentibus igitur linguis contrarios, &c.*

Palma-

Palmaria vero illa Iacobi Cuiacii Iurisconsultorum Coryphæi li. 24. Obseruat. Cap. 7. *Qui censor cum solito lustrum conderet, inq; fieri sacrificio &c.* Reponit ille diuinitus *inq; solitaurili sacrificio.* De qu ibus notum, à *sue, oue, & tauro* sic appellari.

Cap. IV. §. VI. *Eiusdem nominis & sanguinis Atilius Regulus, primi Punici belli gloria, cladesq; maxima.* I. Lipsius, nostri Belgii ocellus, è prisco lib. *gloria, quia clades maxima.* Nostræ scidæ felicius, *Primo punici belli quà gloria, quà clades maxima.* Qua formula eius æui scriptores delectati, Plinius aliiq; ; Idem in Epilogo: *Quid ergo mediam fortunam, quasi præcipuum generis humani malum, diuturnis conuitiis laceramus?* Ita Pighius, quod in veteri repeti *modicam fortunam*, vnde quidam *mendicam* ediderunt.

Cap. VII. §. V. *Pari etenim & inclytæ amicitiæ auso, par gloriæ portio adferenda est.* Ita Vinandus Pighius edendum putauit. Equidem vestigia veteris scripturæ *inclutu* subodoratus, nisi quid secus doctis videatur, tentabam: *Paria enim in cultu amicitiæ auso &c.*

Lib. VI. Cap. 1. §. XI.

Libidinosi Centurionis supplicium, M. Lætorii Mergi Tribuni militaris, æquè similis fœdus, exitus sequetur. Legendum *æquè fœdus exitus* vel *similis exitus* vt duæ voces *æque fœdus* pro glossemate fodiantur. Sed priorem malim, quam & Lipsio in mentem venisse equidem gratulor. Cap. II. & III. *Vniuersus populus iterum ab vno contumeliosè correptus erat. Quantus erat honos virtutis? tacuit actutum.* Vet. codex *correptus erat (quantus erat honos virtutis!) & tacuit.* indicato silentio, omissaq; voce *actutum.*

Mox subiicit *deuictaq; Carthaginis spolia* Vet. codex. *deuictaq; Carthaginis habita spolia.* Vnde *auita* reponendum nullus dubito, quæ voces commutari inuicem sæpenumero, litteræq; solent, B. & V. vt in Orat. M. Tullii XIV. Pro *A. Cluentio Auito*, aliis *habito* dicta.

Ibidem, §. VIII. *Effrenata temeritate, intolerabiliq; spiritu impune reuocare licuit.* Placet vetus scriptura: *effrenatæ temeritatis intolerabiles spiritus*, &c.

Cap. VIII. §. VII. *His enim quorum felicior in domos status fuerat* Vet. codex *in domo*, recte. Nam de aliis seruis loquitur.

Cap. IX. §. XIII. *Consulatus decore maximi pontificatus sacerdotio, vt Senatus patronus diceretur, assecutus.* Quid si *senatus princeps* scripsit Valerius, natumq; sit mendum è singulis litteris S. P.?

Ibidem in Externis §. 1. *Prudentissima præcepta temulentiæ lasciuiis eluderet.* Vetus *lasciuiis eleuaret.*

Lib. VII. Cap. I. §. III. *Terminos agelli sui nunquam excesserat paruuli ruris fructibus contentus.* Pighius *ac voluptatibus* redundare existimat. Mihi contra videtur, legendumq; concisius, *paruuli ruris voluptatibus contentus.*

Cap. II. §. VI. *Par illa sapientia, qua Ti. Gracchum Trib. pleb. Agrariam legem*

promulgare ausum, morte multauit. In membranis vox *qua* aberat. Coniicio itaq; legendum: *Pari sapientia senatus, Ti. Gracchum trib. pleb.*

Cap. III. §. VIII. *Omnes autem hi sua vita, at illi aliena mortis cupidi.* Vet. Cod. *O nimis autem hi sua vita* &c. durius illud quidem, at vehementius.

Cap. VI. §. I. *Nam aliquot aduersis prælüs secundo Punico bello exhausta militari iuuentute Rom.* Glossema & hic. Quid n. *militari* hoc loco? Furcillis itaq; eiiciatur.

Aeliani Variæ variè emendantur.

CAPVT XXXIII.

ÆLianus Historia omnigena legentem mire afficit, vt apud Latinos Val. Maximus, sed Græce nondum perpurgatum esse hinc disces; & si potes, adiuta, aut certe, faue. Libro I. extremo de patre filium capitis postulante: Ἀνὴρ γένει Μάρδος, ὄνομα Ῥακώνης, παῖδας εἶχεν ἑπτά. ἀλλὰ τούτων ὁ νεώτατος ἐκαλεῖτο Καρτόμης, κακὰ δὲ πολλὰ τοὺς μάγους εἰργάζετο &c. Pro μάγους μάρδους legendum censeo. Nam ex his quæ subiiciuntur, dum iniurias in fratres & in familiã reliquam commemorat, nulla *magorum* mentio est. At verò *Mardi* genus quoddam inter Persas erant, de quibus Herodotus lib. I.

Lib. III. Cap. XXIIII. διὸ μῦς φασὶ τὴν μητέρα ἔπινε παρ' Εὐμαίῳ. Legendum videtur δασεῖς μῦς ex Plutarcho in Alexandri vita & in Arati, opinor.

Lib. IV. Cap. XVII. Καὶ τὸν ἀετὸν τὸν λευκὸν κατέψησεν ὑπομείναντα αὐτόν. Iacobus Laureus Franc. Robortelli auditor, Venetiis primus sic reddidit: *aquilam quoque albam coxit, quæ ipsum exspectauit:* quod & popularis linguæ interpretatione idem confirmauit. Iustus autẽ Vulteius: *& aquilam albam, quæ sustinentem ipsum plumis nudauit.* Rectius Conradus Tiguri edebat ὑποπτάντα pro ὑπομείναντα; reddebatq;: *& aquilam albam, quæ volatu se ei submiserat, contrectauit.*

Lib. VII. Cap. XVI. de Vrbis Romæ conditoribus pro Σερβίας obiter emendo Ῥέας Σιλβίας. Affine huic mendum quod lib. XII. C. XXXIII. insedit, traiectisq; litteris sanari potest. Sic enim in vulgus editur: Κινέας ὁ πύῤῥου ἰατρὸς φασί, &c. Repone Νικίας, cuius rei astipulatorẽ laudare possum Claudiũ Quadrigariũ, apud Agell. li. III. Noct. Attic. Cap. VIII. rem eandem cõmemorantẽ. *Cineas* n. Demosthenis auditor, Orator fuit ac legatus Pyrrhi Epirot. Regis, non medicus. Adeo verum illud, nominum nos affinitate facilè decipi solere.

Lib. XIII. Cap. XXV. de Pindaro à Corinna in certamine superato ἐλέγχων δὲ τὴν ἀμουσίαν αὐτῶν ὁ Πίνδαρος συνεκάλει τὴν Κόριννάν. Ioan. Liuineius, homo eruditissimus, meiq; olim amans rescribendum diuinabat, ὗν ἐκάλει, *suem appellabat*, vt σ littera è superiore commigrans duas temerè copularit dictiones. Idemq; li II. Cap. XII. dictũ illud Themistoclis felicius longè legendum vertendumq; censebat: τί δ' ἂν ἐμοῦ δοίητε ὃς οὔπω φθονοῦμαι. i. *Quantuli vobis faciendus sum, qui nondum in vllius inuidia positus sum?* Quod & doctissimum Casaubonum annotasse in Notis Theocriticis pòst comperi. Statim, pro Euripi-

ripideo περιβλάπτεσθαι, tenebam περιβλέπεσθαι. Locum Tragici inſpice, mecum, ni fallor, ſenties.

Iulii Cæſares, & Pompeii *duplices. Error multorum detectus. Inſcriptio vetus, & Ciceronis in Officiis locus, ac L. Flori quædam cum explicantur, tum emendantur.*

CAPVT XXXIV.

NOminum affinitas, vocumq; cognatio dici non poteſt quantas in Hiſtoria Rom. Reipub. familiisq; ipſius diiudicandis tenebras ſemper offuderit, & quantum hodieq; negotium faceſſat hominibus Antiquitatis ſtudioſis, veterumq; ſcriptorum interpretibus. Exemplum vnum de infinitis dabimus in *Iuliis* ac *Pompeiis*. Fuit enim ne quis erret

C. Iulius C. F. Sex. N. Cæſar Strabo.

de quo nobis nunc ſermo: alter vero *Dictator* perpetuus, & monarchiæ auctor, in faſtis Rom. Magiſtratuum ac Triumphorum ita ſcribitur.

C. Iulius. C. F. C. N. Cæſar DICTATOR,

cuius parens *C. Iulius C. F. Sex. N. Cæſar* quem amiſit ætatis anno decimo ſexto, teſte Suetonio, anno poſt R. C. IↃC.LXIX. *Pompeii* quoque duo eadem fere tempeſtate: *Cn. Pompeius Strabo,*

cum L. Porcio Catone Coſ. anno VC. IↃC.LXV. & *Cn. Pompeius Magnus*: qui etiamnum eques, omiſſis magiſtratibus minoribus, legibusq; ſolutus Coſ. renunciatur cum M. Licinio Craſſo anno. IↃC.LXXXIII. Multa his communia: nomina, mores, atq; exceſſus. Cæſar enim Strabonis cognomento, à Dictatore diſtinguitur, vt Pompeius Strabo viciſſim à Pompeio Magno. Nomina ac prænomina gentis, familiæq; vix alioqui diſcernas. Magiſtratus itaq; quos geſſerint & agnomina è Faſtis atq; Hiſtoricis petenda. Specimen nunc damus. Viſitur hodieq; Romæ vetus Inſcriptio ſub Capitolio ad forum Auguſti, iuxta Baſilii templum, in ædificii pariete, hoc titulo:

C. IVLIVS. L. F. CAESAR STRABO
AED. CVR. Q. TR. MIL. BIS. X. VIR
AGR. DAND. ADTR. IVD. PONTIF.

Equidem extrema ſic interpretor, poſt ſummum illum virum, & omnis Antiquitatis promũ condum Ant. Auguſtinũ, Dialogo X. Antiquitatũ, (quos libros & olim Latinos fecimus:) decemvir, agreis dandeis, adtribuendeis, iudicandeis: Pontifex: verius quam Stephan. Pighius, cetera maxime accuratus, faſtorum Commmentariis ad annum V. C. IↃ. C. LVIII. Huius Cicero ſæpe meminit in officiis, in Bruto, & libris de Oratore: in quibus & ipſe ſummos inter Oratores inductus, de facetiis homo facetiſſimus elegantiſſimè diſſerit: non vero, vt male quidam opinati, C. Iulius Cæſar Dictator: etſi hunc dicteriis vrbanum fuiſſe Macrobius ſatis teſtetur lib. II. Saturnal.

turnal. Hic vero Cæsar Strabo, cognomento apud Velleium Paterculum, & Suetonium, ab oculorum intuitu: *Vopiscus* etiam à raro natiuitatis casu, teste M. Varrone lib. 1. de re rustica cap. 7. & à Tullio Philippica in M. Antonium XI. nec non *Sesquiculus*, forsitan à statura est appellatus, vt ex Orthographia apud Marium Victorinum obseruauimus. Varronis verba ponam, quæ & C. Plinius lib. XXVII. Natural. historiæ, capite 4. extremo descripsit: *Cæsar*, inquit, *Vopiscus Aedilitius, causam cùm ageret apud Censores, campos Rosiæ Italiæ dixit esse sumē in quo relicta pertica postridie non appareret propter herbã.* Reliquis vero parentis & aui prænominibus discerni facile possunt. Ædilitatem, quia Quæstura dignior est, priori loco Titulus hic collocat, & Ædilitius mortuus est, cæsus cum fratre Lucio à Marianis: vt historiæ illius tempestatis & de Oratore III. libro M. Tullius, & in Bruto, loquuntur. Decemuiratus extra ordinem deferebatur Legis Agrariæ causa. Pontificatum vltimò collocat, vel quod eo ordine gesserit; vel q. in minoribus Pontificibus numeraretur. Maiores enim, Pontifex Maximus, & Flamines præsertim maiores, Dialis Martis, & Quirinalis. Huius autem Cæsaris, Pont. seu, vt aliis visum Dictatoris principium Orationis pro Bithyniis habet Agellius lib. V. Noctium Cap. 13. Qui vero Iulii Cæsaris postea Imperatoris fragmenta nuper homo doctissimus, tanquam naufragii tabulas studiose collegit, Dictatori nonnulla imprudens, vt video attribuit, quæ sunt haud dubie de C. Cæsare Strabone dicta, vt illa III. de Oratore Crassus profert. *Quid noster hic Cæsar? Nonne nouam quandam rationem attulit orationis, & dicendi genus induxit prope singulare?* &c. Item primo Offic. *Erat in L. Crasso, & in L. Philippo multus lepos; maior etiam, magisq. de industria in C. Cæsare.* Et post: *Sale vero conditus & facetiis Cæsar Catuli patris frater vicit omnes.* De Cæsare Strabone loqui hæc verba arguunt: *Catuli patris frater.* Quibus in verbis nodus est, sed, vt fit, ab interpretibus etiam maiorum gentium silentio prætermissus. Nos sic enodemus: Popillia mater Q. Lutatii Catuli senis, nupserit (Iulio Cæsari Straboni, natiq; C. & L. Cæsares Strabones, vt Q. Catulo C. & L. Cæsares vterini fratres fuerint (vt Iureconsulti loquuntur) non germani. Rursum de Strabone lib. II. de Orat. Antonius Orator: *Cæsar*, inquit, *inusitatum nostris Oratoribus leporem quendam & salem est consecutus.* Et Tusculana quinta: *Fuit*, ait, *in Cæsare specimē humanitatis, salis, suauitatis, leporis.* Illud quoq; ex Isidoro l. IV. Originum cap. 12. fragmentis librorum de Analogia falsò Fuluius attribuit, quod Cæsaris Strabonis esse opinor: *Vnguenta dicuntur à locis, vt Telinum, cuius Iulius Cæsar meminit dicens*: Corpusq; suaui Telini vnguine vnguimur. *Hoc conficiebatur in insula Telo, quæ est vna ex Cycladibus*, &c. *Pro Sardis* autem dixisse rogatu illorum, contra *T. Albutium*, vel, vt Fuluius Vrsinus emendat, *T. Albutium*, auctor est idem Tullius II. offic. & in extrema diuinatione in Verrem, his verbis: *C. Iulius hoc sicum auctoritatis ad accusandum adferebat, quod vt hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat.* Ex hac

quædam

quædam in diuinationem ſuam in Cn. Dolobellam tranſtuliſſe Cæſarem Tranquillus cap. LV. refert. Reliquit hic Strabo & Tragœdias. *Tecmeſſam* nominat idem Marius Victorinus, & *Iuliam* Aſconius Pedianus in Tullii Scaurianam. Verſus quoque eiuſdem citat Donatus in vita Terentii Poetæ. Item ex *Adraſto* eiuſdem duos hos verſus laudat Sex. Pompeius Feſtus:

Cum capita viridi lauro velare imperant
Propheta, ſancta caſtè qui purant ſacra.

Corrigendus & L. Annæi Flori locus, lib. III. cap. 21. à nemine, quod equidem ſciam, adhuc caſtigatus. Sic enim de cæde Mariana belli ciuilis: *Cæſar & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur.* Lege me auctore, minima literarum mutatione: *Cæſares à Cinna*, vel *Cæſares fratres in pen. dom. trucidantur.* Coniectura vtraque placere poteſt. Nam & *Cinnas* plures fuiſſe his temporibus Elias Vinetus adnotauit, Lipſio aſtipulante. Itaque emendandus & B. Auguſtinus, qui hinc hauſit, lib. III. de Ciuitate Dei, cap. 27. idque Tullii noſtri auctoritate, initio libri tertii de Oratore, & Tuſculana quinta.

Strabo bis è coniectura emendatus.

CAPVT XXXV.

STrabonem Geographum legiſſe iuuat, & decerpſiſſe inde laudabilia Melæ noſtro, vt olim ex Herodoti muſis; ſertumque contexuiſſe pretium fuerit operæ. Legendo autem, deprauata etiamnum, aliiſque magnis etiam viris adhuc intacta notabam, poſt Germani nuperi interpretis accurationem: pauciora vero poſt principis Critici recenſionem.

I. Libro enim primo digreſſus Geographus rara quædam ait, atque inuſitata ſtuporem legentibus incutere ſolere: exempliſque illuſtrans hæc commemorat: Νυνὶ δὲ τὸ ἀληθὲς ταράττει τὴν αἴσθησιν, καὶ δείκνυσιν ἀπειρίαν τῶν φύσει συμβαινόντων, καὶ τοῦ βιοτεύοντος. οἷον εἰ λέγει τὰς περὶ Θήραν, καὶ Θηρασίαν νήσους ἱδρυμένας ἐν τῷ μεταξὺ πόρῳ Κρήτης, καὶ Κυρηναίας, ὧν ἡ Θήρα μητρόπολίς ἐστι τῆς Κυρήνης, καὶ τὴν Αἴγυπτον, καὶ πολλὰ μέρη τῆς Ἑλλάδος τοιαῦτα.

Cum alioquin ipſa veritas ſtuporem incutiat, ſenſumq; conturbet, oſtendatq; quam ſimus naturalium effectorum totiuſq; vitæ imperiti. Verbi gratia ſi quis referat quæ Thera & Theraſia euenerunt inſulis in freto ſitis quod eſt inter Cretam & Cyrenem, quarum Thera eſt mater Cyrenes Colonia ex ea deducta, tum quæ Ægypto & multis Græciæ partibus. Principio latere vitium equidem exiſtimo; litteræ duntaxat vnius imminutione, veluti ſanguinis miſſione ſanandum, ſi ἀήθες pro ἀληθὲς, me auctore, reponas, pro *re inſolenti, inſolita, inſueta, ac monſtri ſimili*: quæ res, non ipſa Veritas ſenſus perturbare ſolet.

II. Rurſum lib. III. Geographiæ, Græcos ſcriptores cum Romanis

com-

comparans, qui aut res sua memoria gestas, aut orbis situm literis consignarunt, hos ab illis superari homo Græcus contendit. Contra vero M. Tullius initio Tuscul. Romanos asserit, quæ à Græcis accepissent, si ea modo essent, in quibus ingenii neruos intendere vellent, longe fecisse meliora, & Horatius ad Augustum lib. I I. Epist. I. v. 156.

Græcia capta, ferum victorem cepit, & artes
Intulit agresti Latio. ———

Sed Græcum audiamus: οἱ δὲ τῶν Ῥωμαίων συγγραφεῖς μιμοῦνται μὲν τοὺς Ἕλληνας, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ πολύ. Καὶ γὰρ ἃ λέγουσι παρὰ τῶν Ἑλλήνων μεταφέρουσιν· ἐξ ἑαυτῶν δ' οὐ πολὺ μὲν προσφέρονται τὸ φιλόδημον. *Iam Romani scriptores imitantur quidem ii Græcos sed intra modum. Transferunt enim à Græcis dicta, ipsi autem de suo non multum adferunt studii.* In extrema hac voce, vt antea in principio, corruptum locum esse Germanus vidit interpres, sed medicinam facere posse desperauit. Tentabam legens ab ingenio, vel τὸ φιλόδαιμον: vel sic: ἢ τὸ φιλόδικον, q. d. nibil adferunt præter contendendi ac vincendi studium. Post vidi magnum illum Criticum εὐστοχίᾳ præuertisse. Legit enim, sed maiore mutatione atque interpunctione, ita: ἐξ ἑαυτῶν δ' οὐ πολύ. μόνον δὲ προσφέρονται τὸ φιλείδημον, nisi quis malit τὸ φιλέκδημον, quarum vtramque vocem lib. I. Geogr. coniunxit, sed illam probat magis. Lector arbitrabitur.

M. Curius Dentatus Cos. *Scriptor de Viris Illustribus vrbis Ro. sæpius emendatus. L. Seneca contra aliorum sententiam explicatus.*

CAPVT XXXVI.

PHilosophi adferunt identidem rei comprobandæ Historica, sed vt olim dici solet, dicis potius gratia, quam ex vero: docti Aristotelis illi è prioribus Analyticis axiomate: *Exemplorum in docendo non requiri ueritatem.* Obseruaui id in L. Seneca, qui sæpè aliter quam narrent Historici, nonnulla, quasi aliud agens, commemorat; siue memoriæ nimium confisus, quod maximorum etiam Philosophorum familiare vitium est deprehensum; siue non consultis per occupationem fontibus. Eius nunc rei specimen damus, ne præuaricari iure dicamur. Libro etenim v II. de Beneficiis, cap. 7. de Sapiente agens, Imperatoris Romani, tacito interim eius nomine, dictum adfert, quo ciuem bonum esse negaret, qui paruo publicè dato contentus non esset; *Cui*, inquit, *septena iugera non essent satis.* Verum quia nomen Romani Ducis silentio transiit, hinc æuo nostro duo viri doctissimi ibidem in contrarias sententias concesserunt. M. namque Muretus lib. XIX. Variarum Lect. cap. X VIII. *Horatio Coclit* tribuendum existimauit: de quo verum illud quidem est, ob pontem sublicium eius opera abruptum, tantum agri publicè accepisse quantum vno die arari posset. Ergo

Ergo iugerum, nec amplius, in illa surgentis Reip. Rom. parsimonia est consecutus. At Lipsius noster, Belgii, dum vixit, ocellus, *Manio Curio Dentato*, & Ios. Castalio I.C. Decade VI. Critica cap. *2.* rectius attribuunt: sed hic *M. Curtium* non recte nominat: nisi operarum id vitio accidit, etsi repetita saepius voce. *M. Curtius* enim equo insidẽs armatus, se in specum emittens, L. Genucio, Q. Seruilio iterum Coss. vt Liuius lib. VII. & Valerius lib. V. cap. *6.* narrant, nihil huc pertinet. *Manius* enim *Curius* est, quod praenomen vel transuersa linea MV. vel vnco sic apposito M'. oculorum aciem vt fit, saepe fefellit, vt M. legerent. *Curio* certè *Dentato* C. Plinius & Val. Maximus haec tribuunt: quibus nunc addimus Scriptorem Virorum Illustrium, siue is Corn. Nepos est, siue Aur. Victor, cap. XXXIII. Valerius quidem lib. IV. Memorabilium c. 3. & Columella lib. I. Rei rusticae: Plinius vero lib. XVI. Natur. Histor. c. 38. & lib. XVIII. cap 3. referunt *M'. Curium Dentatum* triumpho ipsius quarto, qui altero eius Consulatu (vt Steph. Pighius in Fastis numerat, tertio enim Sigonius, & Onufrius) ductus est de Samnitibus & Pyrrho Rege, anno post R.C. CCCCLXXVIII. vt è Triumphorum tabulis Capitolinis Romae paret. Ob Italiam eius victoria liberatam & in Remp. merita decreuit S.P.Q.Rom. iugera illi quinquaginta honoris gratia attribui. At ille abstinentia singulari, septenis, (quot viritim singulis ciuibus attributa essent) contentus fuit: negans ciuem esse bonum, qui his contentus non esset. Quae cum ita sint, conflauit Seneca Philosophus duorum, *Coclitis & Dentati* exempla in vnum, & veluti sub vnam, quod aiunt, Myconem miscuit: vt pars vna de iugeribus ad Horatium Coclitem quoq; pertineat; Apophthegma vero, Curii sit Dentati proprium. Firmo Auctoris de Viris Illustribus auctoritate planumque facio. De Coclite enim cap. XI. *Armatus ad suos tranauit. Ob hoc ei tantum agri publice datum est, quantum vno die circumarari potuisset.* De M'. Curio vero cap. XXXIII. *Pyrrhum Regem Epirotarum Italia expulit. Quaterna dena agri iugera viritim populo diuisit. Sibi deinde totidem constituit dicens, neminem esse debere, cui non tantum sufficeret.* Verum priusquam de tabula manum tollo, hic quoque sanandus locus vnus, & item alter in Auctore, qui primus adolescentiae fetus exstitit. Castigo itaque ex antiquis editionibus, quae *septena dena* praeferunt, hoc modo: *Septena Dentat* (pro *Dentatus* compendio vt in Fastis scriptum) *agri iugera viritim populo diuisit.* Statimque pro *neminem*, repono *nec-ciuem* vincta per Hyphen voce. Rursum extremo capite, *Quinquaginta* non *quingenta* ex historiae veritate emendo. Denique cap. LXXV. de L. Cornelio Sulla, locum hunc deprauatum: *Praetor inter ciues ius dixit: Praetor Ciliciam prouinciam habuit*, sic instauro, legendumque parua mutatione censeo: *Praetor inter ciues ius dixit, & peregrinos. Ciliciam prouinciam habuit.* Sed alias denuo limam hic scriptor nostram σὺν θεῷ expetietur.

Fata-

Fatatum, *prisca Sallustio asserta vox, pro* Fatum. Magii Chilones; Cilones *qui. In Catilinario coniectura allata, & recepta Ciceronis lectio contra Muretum defensa.*

CAPVT XXXVII.

FAcio libenter, vt antiquitatem, quoad eius à me fieri potest, retineam ac tuear.

I. In Catilinaria coniuratione à Crispo scripta pag. 44. Plant. reperio: *Cui fatum foret vrbis potiri.* Subiicit mox: *Consulem fore.* Cicero Orat. in Catilinam. *Fatalem hunc esse annum, & interitum hunc esse vrbis atq; imperii.* Vetustiss. Sallustii membranæ *fatatum* præferunt tribus syllabis: quomodo & in suis M. Ant. Muretus, homo disertus, scriptum se reperisse testatur. Cur autem *Fatatum* libentius equidem amplectar, tres caussæ sunt, cum Festi Pompeii auctoritas in cuius reliquiis verborum repperi *Fatantur*, pro, *multa fantur*: tum librorum scriptorum, vt dixi, fides: denique qua priscarum affectator vocum ille audiit, Catonisque æmulus, noto illo in vulgus didito versu, apud Fabium.

II. Illud tamen Mureti, cætera doctissimi, non probo, pro *ex fatis Sibyllinis* reponentis nimis audaciter contra libros calamo exaratos, & antiquitate singulares, *è libris Sibyllinis.* Illud editi etiam libri constanter seruant; tueamurque nihil temerè immutantes, sensu percommodo. Sic enim Maro lib. III. Æneid. ver. 443.

Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, foliisq; notas & nomina mandat.

Et mox:

Ipsa canit, vocemq; volens atq; ora resoluit.

Nonnulli etiam hic in Sallustio legerunt: *cui fatum foret vrbe potiri*, auferendi casu, pro *vrbis potiri*, qui hellenismus est Crispo non insolens. Illud vero extremum sit carminis heroici, quod vt M. Tullius in Oratione damnat non raro, ita in T. Liuio examinandum sibi censuit M. Fabius.

III. Infra rursus Sallustius pag. 46. *Q. Annio si deprehensi forent.* Equidem reponendum censui rei attentius inspecta narratione *Q. Magio*: cuius me coniecturæ nondum pœnitet, nec cur pœnitere admodum debeat, video. His enim rationibus persuasus in eam sum sententiam inductus. Ad quinque enim illos coniurationis reos deprehensos, & hos quatuor Cicero adnumerat, Orat. Catilinaria III. his verbis: *Decretum factum & in P. Furium, qui & ex iis Colonis, quos Fæsulas L. Sulla deduxit, & in Q. Magium Chilonem, qui vna cum hoc Furio semper erat in Allobrogum sollicitatione versatus.* Ergo non Senatorem apparet Q. Magium, sed colonum Fesulanum fuisse: & pro *Q. Annio*, quem in Senatoribus Crispus iam recensuerat, illic *Q. Marcius* in editis libris legebatur, cogno-

cognomento *Chilo*. Pro quo si quis minima mutatione *Q. Magium* reponet, næ ille mecum sentiet, atque adeo subscribet. Nam in gente Magia vt & in *Fabiis* & *Vettiis*, *Chilones* fuerunt; vt, verbi gratia, in Seruii Sulpitii epist. lib. IV. *Q. Magius Chilo* est, qui M. Marcellum domum reducem immaniter contrucidauit, vt & Cicero lib. XIII. ad Atticum T. Liuii Epitome CXV. & Valerius Maximus refert lib. IX cap. XI. Si quis coniecturis est locus, opinor conuicii causa *Chilonem* dictum; vt *Chilones* ac *Labeones* à labiis nomen traxere, auctoribus Plinio, Festo, atque Carisio. *Cilones* vero, *Capitones* & *Tuditani* à capite dicti, vt iidem Festus & Carisius, diuerse tamen, produnt. Sic in eadem ipsa Tulliana Orat. III. in Catilinam, Gabinius *Cimber* probri causa appellatur: quemadmodum & *L. Cassii adipem* irridet, & *Lentuli somnium, lentosq; mores*, ad *Lentuli* respiciens cognomentum. Sed de his quoque eruditiores, Antiquitatisq; non plane rudes existiment.

T. Liuius libro III. ab V. C. sæpe correctus.

CAPVT XXXVIII.

PAtauino historico operam nostrâ, parentumque memoriâ, quà castigando, quà Scholiis illustrando, plurimi nauarunt, Feliciter. Ad veteres codices calamo exaratos compararunt H. Glareanus ac Rhenanus Germani. Vicit vero omnium industriam (fatendum est enim) hic, & in omni adeo Romana historia summa Car. Sigonii accuratio. Licuit tamen semperque licebit inuentis quid addere; qua accessione res crescat litteraria, proferanturque pomœria. Nos ex vno in Crudiis inspecto non spernendæ vetustatis Cod. hæc olim, quæ volentes damus, descripsimus.

I. *Inde Romam reditum est; iustitium remissum.* Rhenanum video tentasse, *vt Romam reditum est*, deleto τῷ *inde*. Vetus liber vtrumque habet, quod sequor: *Inde vt Romam reditum est.*

II. *Qui seruitia non commouit auctor.* Vetus liber, *nunc commouit auctor:* quod haud scio an magis ad fidem. Bellum enim hoc seruile fuit. Nam à quatuor millibus seruorum, & quingentis Capitolium insessum fuit, nec liberorum capitum ibi vlla mentio est. Illud tamen speciosius ob contentionem ἀντιθέτως, vt ille qui seruos non commouerit, liberos homines commoueat: sed, vt dixi, fides læditur.

III. Infra: *Censendo enim quoscunq; Magistratus esse.* In antiquo exemplari scriptum vidi *Concedendo*, sed non placet. Quia tamen loci huius vel me tacente, magna obscuritas est, ita explicandum censeo Duę hic sententiæ. *Prima fuit*, ne aliquod Senatusconsultum fieret. Quod indicabat obliquè eos, qui Senatum coegissent, priuatos esse, nec habuisse ius conuocandi Senatus. Iam Senatu illegitime coacto non potuit ritè fieri Senatusconsultum. *Secunda* sententia

fuit, vt patricii coirent ad prodendum interregem. Qupd ideo asperum in speciem, quia declarabat Decemuiros, qui summam potestatem vsu pauerant, non esse Consularis imper i. Interregnum enim celebratur, vbi noui Consules creandi sunt: quòd veteres vel Magistratu abierint, vel præmortui sint. Sed quia auctor istius sententiæ Senatusconsultum vult fieri de prodendo Rege, indicat eos aliquo modo esse Magistratus, qui Senatum ritè coegissent, licet eos Consularis esse potestatis pernegaret. Alios enim Magistratus præter Consules Senatum in curiam citare posse passim liquet. *Prima* igitur sententia verbis lenior, re asperior, quæ Decemuiros nullos Magistratus censebat. *Secunda* verbis atrocior, re mitior, quę eos in aliquo numero Magistratuum reponebat.

IV. *In Fabio minus in bono constans, quam gnauum in malitia esse.* Rectus huius loci sensus est, Fabium non ita industrium in sceleribus exercendis, quam non constãtem in tuendo iusto fuisse. Habet tamen codex perantiquus Gymnasii trium linguarum Louanii longe aliam sententiam, & haud scio an ferri queat; *In Fabio minus in bono constans quam ignauum in militia ingenium esse*: vt intelligas eo magis partes bellicas illi fuisse commissas, quod militia minus ignauus esset, quàm pertinax in tuendis rectis moribus & iusto defendendo.

V. *Nec mihi filia in vita honorem vllum iucundum esse patitur.* Rectius idem liber vetus: *Nec mihi filia inulta.* Non enim in omnem vitam honores Virginius recusat, quos postea suscepit, sed honorem sibi iniucundum dicit, quamdiu vindictã de filiæ iniuria nondum ceperit. Postea, pro, *non sustinebunt imperium*, quod in vulgus editũ video, in mẽbranis *impetum* scriptũ video, non *imperium*.

VI. *Si Tribunos plebis decem rogabo, si quis vos minus hodie decem tribunos plebis fecerint.* Deprauata citra controuersiam lectio, cui Rhenanus, optimè meritus vt de Plinio ac Tertulliano, sic & de T. Liuio, medicam quidem manum adhibet, at non persanat. Sic enim conatur è vestigiis Wormaciẽsis Cod. *Si quo minus hodie decem Trib. pleb. fecerint, tum vt ii quos sibi collegas cooptassint, vt illi legitimi eadem lege tribuni plebeii sint. Cooptassint* autem pro quo editur *cooptassent* reponi vult, gratiamque hoc nomine sibi habitum iri confidit. ἀρχαϊκῶς pro *cooptarint*, qualia in Festo Pompeio occurrunt complura, & Cicero initio Catonis Maioris de vetere poeta illud est mutuatus:

O Tite, si quid ego adiuto, curamue leuasso, pro *leuauero.*

Nos consultis hinc inde exemplaribus vetustis, locum esse mutilum rati, tentabamus: *Si Tribunos plebis fecerint, decem rogabo. Si qui vos minus hodie decem feceritis, vt ii quos sibi collegas, &c.* Pro, si qui vos minus hodie decem Tribunis feceritis: vel, si quomodo vos minus quàm decem Tribunos feceritis. Arbitrentur doctiores, quanam ratione expediri melius queat nodus.

VII. *Scaptione hoc concionali sene assignaturos putarent finitimos populos.* In scripto Cod. lego: *Scaptio non.* vnde *Scaptio num* tentabam: vel sic integrandum, quia lacerus est locus, censui: *Scaptio ne* (pro *an Scaptio*) *concionali sene iudice, agrum sibi*

sibi assignaturos putarent, apud finitimos populos clarum hac fore imagine Scaptium nomen. Verum facilius est, (quis iuerit inficias?) in mutilis mancisque quid desit, diuinare, quam quod deest, reponere.

Per liberos, propinquos, & cineres iurare, orare, obtestari. Militiam tolerare. *Sallustius in Catilinaria varie expositus.*

CAPVT XXXIX.

OBtestantes quid enixè antiquos hac ferè formula vsos deprehendi, quam attigit quidem, sed attigit duntaxat, de Iure optimè meritus, melioríque longè belli ciuilis fato dignus Barn. Brissonius lib. VIII. Formul. nos plura docendi non ostentandi gratia adferemus. Aliorum enim industrię quid addere, si possis, quid vetat? Per res sibi charissimas, vxorem, liberos, parentes, oculos aliaque (nam & liberos seu pignora, lumina appellare consueuerant;) orabant, obtestabanturque sollenni formula: Sallustius in Catilinario: *Per* LIBEROS *tuos rogatus.* Idemque in Iugurthino, Atherbatem inducit in extrema ad Senatum Oratione: P. C. *per vos, per* LIBEROS, *atq;* PARENTES *vestros, per maiestatem populi Ro. subuenite misero mihi. Ite obuiam iniuria.* M. Plautus Asinaria, Act. II.

Sicut tuum vis viuere GNATVM, *tua*
Superesse vita sospitem, & superstitem
Ita te obtestor, per senectutem tuam.

Cornificius, seu qui auctor est Rhetoricarum praeceptionum ad Herennium lib. IV. *Parce,* inquit, *& per ea quæ tibi dulcißima sunt in vita, miserere nostri* Cęlius lib. VIII. epist. XV. Ciceronem obsecrat: *Per* FORTVNAS *tuas, per* LIBEROS, *te oro & obsecro.* Et ipse adeo Cicero, princeps Oratorum, in Quinctiana: *Obsecrauit,* ait, *Quinctius Næuium per* FRATRIS *sui mortui* CINEREM, *per nomen propinquitatis, per ipsius* CONIVGEM, *&* LIBEROS. Et lib. XIV. ad Familiares, Epist. I. Terentiæ coniugi de Tullio filio: *Per* FORTVNAS *miseras nostras, vide ne puerum perditum eamus.* Sic enim potius leg. mihi videri pridem monui in Nodis Cicer. quàm *perditum perdamus.* In Seneca Rhetore nostro, Controuersia I. Porcius Latro pro filio: *Ergo fame morientem videbo [patrem] per cuius cineres iuraturus sum?* Et præfat. libri III. Controu. L. Albutius Silo: *Iura per patris tui cineres, qui inconditi iacent. Iura per patris memoriam.* Fabius lib. IX. legit, *per patroni tui cineres.*

II. Sallustianū, hoc est, rarius & illud visum, dum legenti occurreret, quod varios in sensus rapi queat, Tolerare militiam, inopiam, tributa, pro perferre, atq; inuitè sustinere. Sic enim Plant. pag. 31. *Mulieres, quæ prius ingentes sumptus stupro corporis tolerauerāt.* Et mox p. 38. *inopiam tolerauerant.* vt Plautus. Itemq; lib. I. Historiarum Crispus: *Oppressa plebes cum assiduis bellis tributum simul & militiam toleraret.* Quibus pæne verbis Scriptor noster de Viris Illustr. siue Corn. Nepos, seu quis alius, in Menenio Agrippa cap. XVIII. *Cum populus à Patribus secessisset, quòd tributum & militiam toleraret, nec reuocari posset; Agrippa apud eum, &c.*

III. Quod vero inf. pag. 41. *Ex sociis causa cognita,* Ioan. Riuius, homo erudi-

ruditiss. eumque ferè transcribens Aldus Manutius minor, emendare conantur: *Ex S. C. causa cognita*, equidem vt sequerer nondum mihi imperare potui, quin vulgatam receptamque vt alias frequenter, libentius tueor. Sic enim infra pag. 57. de ipso Metello.

Bonum, Optimum factum. Fieri amat. Gignentia & Nascentia παθητικῶς. *Sallustius in Historiis emendatus.* Furta & acuta belli.

CAPVT XL.

I. VT *Bonum factum* vetere Edictorum formula vsitatum; sic & *Optimum factum* hinc manauit: quod tamen semidocti, vt fit, litteratores è suo sensu mutarunt frequenter *in Opt. factu.* M. Plautus Pœnuli Prologo dixerat: BONVM FACTVM, *edicta vt seruetis mea.* Hinc adeo Tertullianus de Pudicitia: *O edictum, cui adscribi debeat*, BONVM FACTVM. Ibidemq; Comicus: *Bonum hercle factum, pro se quisq; meminerit.* Et in Aulularia: *Nunc hoc mihi factum est optimum.* Et in Pseudolo Act. 1. Sc. 2. *Nunc adeo hoc factum est optimum, vt nomine quemq; appellem suo.* Vsus & Sallustius in Iugurthino: *Credere illum palam nihil ausurum, cum ipse solus testis adesset. Quare optimum factum videri, per media eius castra palam transire.* Et Orat. I. de Rep. ordinanda ad Cæsarem: *De teipso primum, quia compositurus es, quod optimum factum est.* Sic enim vtrobique censeo leg. Et in Catilinaria I. Cic. *Ego si optimum hoc factum iudicarem, Catilinam morte multari, vnius vsuram horæ gladiatori isti ad viuendum non dedissem.* L. Seneca de breuit. vit. cap. II. *Quæramus quid optimum factum sit, non quid vsitatissimum.* Sic enim Iac. Cuiac. Iurisconsultorum Coryphæus lib. XII. Obseru. cap. 32. de vet. Cod leg. monuit in L. 45. Ad Trebell. *Modo optimum factum est*: quomodo & Florentini Pandectæ habent.

II. FIERI *amat*, hellenismus quoque eidem Crispo vsitatus in Iugurthino: Græci φιλεῖ γίνεσθαι, de C. Bœbio Trib. pl. *Multitudo terrebat eum, clamore, vultu, sæpe impetu, atque aliis omnibus quæ ira fieri amat.* Quem locum respexisse arbitror M. Fabium lib. IX. c. III. Sed aliter accepisse, quasi dixisset, *vulgus amat fieri.* Emendandus quoque de vetere lib. Seneca in Consolatione ad Marciam cap. XVI. *Nullum amat frustra cadere telum, quod in confectum agmen missum est.*

III. Τὸ *Gignentia* apud Crispum passiuè capi è Iugurthino docuit doctiss. Turnebus lib. III. Aduersar. cap. XV. cum de aris Philænorum, factoque ea commemorat quæ hinc hausit Pompon. Mela, & Val. Maximus: *Per loca æqualia, & nuda gignentium.* Et inf. *Quò cuncta gignentium natura fert.* Sic & huius æmulus L. Appuleius lib. de dogmate Platonis: *omniumq; gignentium esse seniorem*, hoc est, omnium quæ gignuntur. Quem locum Turnebi loco superpondii vicē addo. Sic & Vitruuius lib. V. c. I. bis dixit *Nascentia*, & rursum lib. VIII. c. I. pro

c. I. pro enatis. B. Ambros. quoq; Sallustium expressisse non raro, obseruatum à me, vt Orat. de fide resurr. *Deniq; multa gignentia quamuis iugi humo arida arenosaq; nascantur, terra ad humorem sufficit.* Quæ priora è vetere aliquo desumta esse suspicor scriptore, vel ex ipso Sallustio, sed vbi interciderunt multa, in libris Historiarum. Sic enim B. Hieronymus in Amos: *Et quia humi arida atq; arenosa nihil omnino frugum nascitur.* Lactantius lib. de Ira Dei cap. XIII. *Aiunt multa esse in gignentibus, & in numero animalium, quorum adhuc lateat vtilitas, & eam processu temporis inueniri.*

IV. Sallustius lib. I. Histor. apud Nonium & Seruium in XI. Æneid. *Illo profectus vicos castellaq; incendere, & fuga cultorum diserta igni vastare: neq; * clara aut securissimus, metu gentis ad furta belli peridonea.* Postrema hæc vt corrupta sic emendabam: *neglate, aut securus nimis.* Duza tentauit: *neq; elato aut securo esse animo.* Nos à litterarum vestigiis propius absumus. *Furta belli* idem Ambrosius vsurpat lib. II. Epist. VII. & Virgil. XI. Æneid. Q. Flaccus vero *Acuta belli* pro Strategematis lib. IV. Carm. Oda IV.

——*Cura fugaces Expediunt per acuta belli.*





ANDR. SCHOTTI

OBSERVATIONES ORATORIÆ.

LIBER IV.

IN AVCTORES

GRÆCOS

Demosthenem
Lysiam
Isocratem
Dionysium Halicarnasseum.

LATINOS

M. Tul. Ciceronem.
M. Annæum Senecam Rhetorem
M. Fabium Quinctilianum
Eumenium Panegyristam
Rutilium De Figuris.

Ἀειλογία, καὶ Εὑρεσιλογία. *In Strabone corrùpta vox, atque in Terentiano Mauro. Demosthenes illustratus.*

CAPVT I.

DEmosthenes in elegantissima illa oratione περὶ παραπρεσβείας non procul ab initio: τοὺς μὲν οὖν ἄλλους ὅσοι πρὸς τὰ κοινὰ δικαίως προσέρχονται, κἂν δεδωκότες ὦσιν εὐθύνας τὴν ἀειλογίαν προτεινομένους. Vtitur eadem formula & oratione πρὸς Εὐβουλίδην. Καὶ περὶ ὧν μὲν αὖ τις ζῶν αἰτίαν σχῇ περὶ τοῦ γένους δίκαιον τοὺς παῖδας τὴν ἀειλογίαν παρέχειν. Quod quidem à Demosthene primum cusum vocabulum, auctor est Genethlius. Sic enim Scholiastes Vlpianus: Ἀειλογία ἐστὶ τὸ ἀεὶ προτείνεσθαι λόγον καὶ λέγειν τίς ὑμῶν κατηγορεῖ, διὰ τὸ μηδὲν αὐτοῖς τῶν φαύλων συνειδέναι. τοῦτο δὲ ποιοῦσι συνειδότες, ὅτι ὁσάκις κρίνονται καθαροὶ, τοσαυτάκις καὶ θαυμάζονται. Φησὶ δὲ ὁ Γενέθλιος ὅτι πεποίηται ἡ λέξις τῷ ῥήτορι τῆς Ἀειλογίας, σπανίως γὰρ εὑρίσκεται παρ' ἄλλῳ. Est igitur *perpetua dicendæ caussæ rationisque reddendæ necessitas, quam sibi bene conscii non defugiunt.* Corruptus autem in hac voce Terentianus Maurus, de Diphthongis agens:

Quin

Quin & Υ loco priore Ἰῶτα σὶ subiunxeris,
Effici diphthongum vnam posse, nec plures reor
Υἶες vt dicunt ἀειλογία μυῖα, & talia.

Locus haud dubiè deprauatus: Rescribendum igitur:

Γυῖες, vt dicunt ἄειδοι, γυῖα, μυῖα & talia,

Leuiter corrupta voce ob affinitatem figurarum Γ & Δ. adhæc soni commistione υ cum ι. in corrupta ea quæ hactenus tenuit Græcarum litterarum pronunciatione,& ex duabus vna voce conflata. Interpres Gallus non se explicat,sed magis inuoluit. Verba si cui libeat videre, apponam: Ἀειλογία μυῖα, *id est, musca obstrepera & bombans perpetuò. Estq; ἀειλογία epitheton muscæ, non exempli loco positum, cuius penultima prod. hic libertate Græcorum, quibus Musarum fauor præsentior quàm nobis.* Apage sis cum illa *musca obstrepera*: quam ne Libertas quidem ipsa, seu deus, siue dea, concesserit. Sed οἴκοθεν μάρτυρες, licet in re clara, fidem faciamus, ne posthac Punica fide laboret Maurus, sic enim alibi:

Non vt V. nunc sit Latina, sed magis Græcum sit Υι
Γυῖα quam dicunt, & υἷας tale quid cui vt sonet.
Temporum & per se duorum non requirat consonum.

In non dissimili voce εὑρεσιλογίας Strabonem mendosum videri moneo, locum integrum apponam ex lib. XVII. quod nouum interpretem Germanum fugerit; καὶ γὰρ ἤκοι παρ' ἡμῖν λόφος τίς ἐστιν ἐν πεδίῳ παραμήκης. οὗτος δὲ ἐστὶ μεστὸς ψήφου φακοειδῶν λιθοτομίας, καὶ αἱ θαλάττιαι δὲ καὶ αἱ ποτάμιαι ψῆφοι σχεδόν τι τὴν αὐτὴν ἀπορίαν ὑπογράφουσιν. ἀλλ' αὗται μὲν ἐν τῇ κινήσει τῇ διὰ τοῦ ῥεύματος εὑρεσι γλόιαν τινὰ ἔχουσιν, ἐκεῖ δ' ἀπορητέρα ἡ σκέψις. Interpres inuissse locum asterisco contentus, quo lacunæ & loci depositi, vt in fronte serui litteris insigniri solent; vertit, *lentorem seu mucorem aliquem habent.* Sed stigmatias locus ille esse desinet, si εὑρεσιλογίαν sublato asterisco tanquam iure postliminii reposueris, qua voce & lib. XIII. vsum esse obseruabit, cui inuestigandi est & animus & otium.

Senecæ Rhetoris Suasoriis principium datum, duæ lacunæ Græcæ in controuersiis expletæ. Iulius Pollux ex Aristotele emendatus.

CAPVT II.

A Seneca Rhetore nostro, & quidem à capite ducamus exordium, in cuius Suasoria prima hoc caput ἀκέφαλον. *Sin, vt cuiusque rei magnitudinem natura dederat, dedisset & modum, nihil infinitum nisi Oceanus.* Repone ex optimis membranis Ant. Couarruuiæ hominis doctissimi, & duobus aliis;

aliis; *Finitam cuiq. rei magnitudinem natura dederat; dedit & modum : nihil infinitum nisi Oceanus.* Error, quantum veteres libros inspiciendi vsu coniectandoq; assequi possum, hinc manauit; quòd librarii spatium vacuum initio relinquere solent litteris minio auroue notandis, vt ex Pindari præcepto πρόσωπον τηλαυγὲς esset. Mansit igitur *initam cuiusq. rei.* Corrector; ne dicam corruptor, emendandi prurigine accurrit, vt musca ad plagam, reposuit: *Sin vt cuiusq. rei: & dedisset.* Statuam adeo sibi deberi pro hac emendatione credidit. O corruptores bonorum librorum!

Inscriptio autem suasoriæ, vt locum integrum repræsentem, est in eodem Ant. Couarruuiæ manuscripto:

Deliberat Alexander an Oceanum nauiget.

Cuius meminit Controuers. lib. IV. *Hoc*, inquit, *sententiæ genus Sestius vocarat, & dicenti discipulo statim exclamabat* ὑπὲρ τὴν ἠχώ, *vt in illa Suasoria in qua deliberat Alexander An Oceanum nauiget: cum exaudita vox esset, Quousque invicte? Ab ipsa voce, quidam cœpit declamare, & in hoc desiit. Ait ille Cestius desinenti:* Ἐν σοὶ μὲν λήξω, σέο δ' ἄρξομαι. Quem locum integrum adduxi, vt eadem opera duas lacunas Græcas è vestigiis eiusdem codicis explerem. Est autem hoc Nestoris apud Homerum hemistichium Iliad. 1. vers. 97. Agamemnona ob raptam Chryseidem increpantis: quem Maro est imitatus in Pharmaceutria:

A te principium, tibi desinet——

Theocritus etiam in Ptolemæi laudatione & initio Theognis. Horatius quoq; Epist. I. ad Mæcenatem:

Prima dicte mihi, summâ dicende Camœnâ.

Oceanum autem, Patrem rerum, *infinitum* dixit, quod totum vniuersum ambire veteres crediderint, eiq; terram instar globi innatare. Circulus autem, quod in se rediens fine principioq; careat, infinitus est. Pomp. Mela lib. II. *Oceanus ingens & infinitum pelagus; id magnis æstibus concitum, ita enim motus eius appellant.* Et post: *Præter Physicos Homerumq. vniuersum orbem mari circumfusum esse* [dixerunt.] *Corn. Nepos, vt recentior auctoritate, sic certior tradit.* Homeri autem loca, quæ & Strabo lib. I. Geograph. explicat, exstant Iliad. ξ'. vers. 200. & σ'. vers. 606. Vulcanus enim Thetidis rogatu arma Achilli fabricans, in scuti circulo Oceanum effinxit, vt terræ limitem infinitumq;:

Ἐν δ' ἐτίθει ποταμοῖο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο
Ἄντυγα πὰρ πυμάτην σάκεος πύκα ποιητοῖο.

Sic & Iulius Pollux Onomastici lib. VII. ad Commodum Imp. annulum infinitum dixit, sed vt vulgò legitur corruptè: τὸν δὲ περιφερῆ & λίθον δακτύλιον ἀπείρονα καλοῦσι. Lego: & ἄλιθον δακτύλιον ἀπείρονα καλοῦσι. partim de veteri M. S. quem in Salmanticensi bibliotheca inspexi, partim Aristotelis auctoritate lib. III. φυσικῆς ἀκροάσ. τοὺς δακτυλίους ἀπείρους φασὶ τοὺς μὴ ἔχοντας σφενδόνην, ὅτι ἀεί τι ἔξω ἐστὶ λαμβάνειν κατ' ὁμοιότητα μὲν τινα λέγοντες, οὐ μέντοι κυρίως· δεῖ γὰρ τοῦτό γε ὑπάρχειν, καὶ μη-

καὶ μηδέποτε τὸ αὐτὸ λαμβάνεσθαι. ἐν δὲ τῷ κύκλῳ οὐ γίνεται οὕτως, ἀλλ᾽ ἀεὶ τὸ ἐφεξῆς μόνον ἔτερον. Vbi Simplicius & Io. Philoponus κρικωτοὺς δακτυλίους appellant, καὶ κύκλους ὡς ὕστερον Ἀριστοτέλης ὀνομάσει.

Πειρᾶν, flagitare, Manibus post terga, *Animaduersa quædam in Apologia Lysiæ pro cæde Eratosthenis.*

CAPVT III.

Lysias vnus in decem Græciæ Oratoribus, cui subtilitatem M. Tullius tribuit III. de Oratore, vt acumen Hyperidi, vim Demostheni, ac denique suauitatem Isocrati. Eius elegans est initio Apologiæ Euphileti in cæde Eratosthenis, locus. Sic enim accipio verba illa in oratione εὐφίλητε, ἔφη, μηδεμία &c. Vt κύριον ὄνομα sit, non appellatiuum, vt quidam vertit, *salue amice.* Fugit quoque hîc ratio doctissimum Florentiæ virum, qui in Variis Lection. lib. III. cap. XII. & lib. XIII. cap. XIV. *Eratostheni* scriptam orationem hanc ῥᾳθυμίᾳ quadã prodit, cum sit potiùs *pro Euphileto* habita reo cædis Eratosthenis adulteri in vxore Euphileti deprehensi. In ipso orationis filo sic orator: ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ ὀργιζόμενος καὶ ἐκέλευον αὐτὴν ἀπιέναι, ἵνα σύ γε (ἔφη) πειρᾷς ἐνταῦθα τὴν παιδίσκην. *Deinde cum ego iratior factus essem, eam abire iuberem; scilicet vt tu ancillam flagites, inquiebat*: vel, vt H. Steph. reddit: *nimirum vt tu, inquiebat, ancillæ pudicitiam hîc interim attentes.* Πειρᾶν *autem est tentare, flagitare, sollicitare.* Vlpianus lib. 43. ad Sabin. *Item si quis ancillam alienam subripuit, & flagitauerit; vtraq; actione tenebitur.* L. II. D. de priuat. delict. Paul. lib. 5. sentent. ait: *aut mulierem puellamq; interpellauerit.* Veteres quoque Atticos πηρᾶν dixisse testimonio Aristophanis in Pluto comprobatur: ὅτ᾽ ἦν μὲν αὐτὸς ὢν πένης πηρᾶν τύχῃ. Eadem Lysiaca Oratione mox legas: καὶ τὼ χεῖρε περιαγαγὼν εἰς τοὔπισθεν καὶ δήσας, contra atque interpres vetus transtulit, vt sit, *manibus ad tergum retortis.* Sicut dixit Horat. lib. II.

Mox trahitur manibus regum fortuna retortis.

Ibid. lib. III. Carm.

——Vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero.

Virg. XI.

Vinxerat & post terga manus, quas mitteret vmbris
Insertas.——

Res tuas tibi habe. *Lepidus in Senecæ Suaſoriis iocus reſtitutus. Græca lacuna expleta.*

CAPVT IV.

MIrum quantum Græci Sophiſtæ dicteriis ſemper antecelluerint. Hæc enim natio primas,& inueniendi acumine,& eloquendi vbertate ſemper tulit,vt longo poſt ſe interuallo Latinos reliquerit, adeo in his præſtantior indoles & genius,vt vni indulſiſſe genti optima quæque Natura ipſa, ſiue Deus potius videatur. Quo in numero non inter poſtremos referendus iocus ille arguti Græculi Suaſoria I. *Cum Antonius vellet ſe Liberum Patrem dici, & hoc nomen Athenis ſubſcribi, habitu quoq;, & comitatu Liberum imitaretur, occurrerunt venienti ei Athenienſes &* Διόνυσον *ſalutarunt. Benè illis ceſſerat, ſi naſus Atticus ibi ſubſtitiſſet. Dixerunt. deſpondere ipſos in matrimonium Mineruam Muſam* (lege *ſuam* pro *Muſam*)*& rogauerunt, vt duceret. Antonius ait, ducturum, ſed dotis nomine, imperare ſe illis mille talenta. Tum ex Græculis quidam ait :* κύριε, ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα σου Σεμέλην ἄπροικον εἶχεν. *Huic quidem impune fuit, ſed Athenienſium ſponſalia M. talentis æſtimata ſunt. Quæ cum exigerentur, complures contumelioſi libelli proponebantur, quidam etiam ipſi Antonio tradebantur. Sicut ille qui ſubſcriptus ſtatuæ eius fuit, cum eandem & Octauiam haberet uxorem, & Cleopatram :* Ὀκταουία καὶ Ἀθηνᾶ Ἀντωνίῳ. *Res tuas tibi habe.*

Hæc ille. M. igitur Antonius, ſecundis, vt fit, rebus elatus, Bacchum ſe appellari voluit, non ſolum Alexandriæ Ægypti, vt refert Velleius Paterculus, atque Epheſi, vt Plutarchus, ſed etiam Athenis Atticis, vt Athenæus lib. V. Δειπνοσοφ. auctor eſt. Græculi igitur σκῶμμα, & ſtatuæ epigramma adeò venuſtum, vt aurum mihi contrà non carum, doleamq; labem hactenus ſenſiſſe. I. Lipſius noſter εὐστοχίᾳ quadam mendum odoratus è veſtigiis editorum librorum, in quibus legitur : Hoc *tu euita.....reſtituas tibi habe.* hanc coniecturam fecerat, *Octauia res tuas tibi habe.* At verò ſpacium adhuc vacuum manet. Atq; vt nocens accuſantem vel indicem non caſtigat, ita nec adultero vxorem innocentem repudiare ius faſq; erat. Rectius igitur, & meo ſenſu verius, *Octauiam* vxorem legitimam, & *Mineruam* (pro qua Athenienſes μνηστείᾳ quadam dotis nomine imperatum immenſum quantum numerare detrectabant) M. Antonium nuncium remiſiſſe, quod Cleopatræ amoribus diſtineretur, ex ſolenni illa formula in diuortiis vſurpari ſolita, RES TVAS TIBI HABE, & in repudii libellis adſcribebatur : Caius l. C. cap. II. de diuortiis. Plaut. Trinummo:

Apage ſis amor : res tuas tibi habe.
Amor mihi amicus ne fuas vnquam.

Et Am-

Et Amphitruone:

Valeas; tibi habeas res tuas, reddas meas.

M. Tullius Philipp. II. *Mimam res ſuas ſibi habere iuſſit: & XII. Tabulis claues ademit, exegit*; vel, vt Nonium Marcellum legiſſe video, *foraſq́. exegit*; Et noſter lib. II. Controuerſiar. *Vxorem tortor dimiſit, ad partum ingratus vocabat, quod in præmio nullam faciat vxoris mentionem*, RES TVAS TIBI HABE, *iniicere debuit manum, & ipſam inter res ſuas trahere.* & Fabius declam. CCLXII. *Tunc repudiatam tu credis vxorem, cum res ſuas ſibi habere iuſſa eſt, cum egredi domo?* Valer. Martial.

Menſe nouo Iani veterem Proculeia maritum
Deſeris, atq; iubes res ſibi habere ſuas.

Appuleius lib. V. Mileſ. *Tu quidem vbi* (fortaſſis, *hui*) *iſtud tam dirum facinus? Confeſtim toro meo diuorte, tibiq́. res tuas habeto.* Comiter ergo iocatur Græculi inſcriptio. De *Octauia* verò erga maritum amore lege Plutarchum. Vt autem per Epiſtolam manumittere, ſic & abſentes libello repudium mittere, diſcidiumq; tori facere ſolitos obſeruaui. Eius moris expreſſa in Iuris ciuilis πανδέκτῃ veſtigia legere memini. In quo ritu libertorum opera vtebantur, tanquam internunciis. Sic enim Iuuenalis Sat. VI.

Si verum excutias, facies, non vxor amatur.
Tres rugæ ſubeant, & ſe cutis arida laxet,
Fiant obſcuri dentes, oculique minores,
Collige ſarcinulas dicet libertus, & exi,
Iam grauis es nobis, & ſæpe emungeris, exi
Ocius, & propera; ſicco venit altera naſo.

Alterius verò Sophiſtæ ioculare dictum hinc manauit, quod Semelen Iupiter adulter inſignis furtim compreſſerit. En nuptias Patrimæ Pallados, ἀμήτωρ enim Græcis, & εὐπατέρεια: & Bacchi: hic ex femore Iouis, illa ex cerebro exſiliuit. Ceterum in dotis κεφαλαίῳ Athenienſibus pro Minerua ab Antonio imperato, varii ſunt & diſcrepantes hiſtoricorum calculi. Subducam rationem. Dion. lib. XLVIII. drachmarum ἑκατὸν μυριάδας numerat, id eſt, abaco Romano, quadragies ſeſtertiûm: noſtro verò centena aureorum millia: ſi modo drachmæ C. pendant X. coronatis. Nam in eodem Antonio Plutarchus xxv. myriadas æſtimat decies ſeſtertiûm; quæ dotis noſtræ quarta pars eſt. Seneca autem noſter ſextuplo plura computat, M. talenta, hoc eſt Rom. vſu ducenties quadragies ſeſtertiûm, quæ nobis ſexcenta aureorum coronatorum millia conſtituunt.

In Lysia Oratore Græciæ, Vnius in decem, loca aliquot constituta. Pet. Victorius notatus.

CAPVT V.

LYsiæ quantum M. Tullius in Bruto de Claris Oratoribus, quantum Dionysius Halicarnasseus acer Criticus tribuerit, eruditis hominibus notum. Eas dum in gratiam Iudoci Vander-Heidii amici & studiorum olim contubernalis recenseo, quo, me hortante maximè, Latinas eas faceret, à paucis lectas, & à paucioribus intellectas, vt in hominum manus peruenirent paulò meliores, ad oram editionis H. Steph. adleui, quæ breui etiam cum eius interpretatione, vt spero, typis apparebunt. Nunc loca tum intacta candidè impertior.

I. Igitur in ea Orat. quæ *contra Theomnestum* 1. Prior est habita, qui ῥιψάσπιν sese nominantem, parricidam vicissim appellarat, & ordine nona est, si quartam ita inscribas ὑπὲρ Παλλίου ἀπολογίας προοίμιον, & quinctam κατὰ Ἀνδοκίδου ἱεροσυλίας ἢ ἀσεβείας· ἄνευ προοιμίου. Video id etiam à Gul. Cantero homine doctiss. obseruatum lib. VIII. Nouarum lect. cap. IV. ex Harpocratione, qui tribus in locis Lysiæ orationem κατ' Ἀνδοκίδου ἀσεβείας citat in Lexico X. Oratorum, in vocib. καταπλήξ, in ῥόπτρον, & in Φαρμακός. Quib. etiam Lysiæ lacunam explet nonnihil his verbis: ἔδησε τὸν ἵππον ἐκ τοῦ ῥόπτρου τοῦ ἱεροῦ. Quorum tria prima verba Lysiæ sunt fragmento præponenda.

II. Pag. 117. vers. 14. sic editum: οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη τὸν δείξαντα κτεῖναι φάσκοντα ἀνδροφόνον εἶναι, ὅτι ὁ διώκων, ὡς ἔκτεινε τὸν φεύγοντα διωμόσατο. E quibus cum elicere sensum commodum nequeas, tentabam equidem sic constituere: οὐκοῦν ἄτοπον ἂν εἴη, τὸν φεύγοντα φάσκοντα ἀνδροφόνον εἶναι, δεῖξαι καὶ ἀπολογῆσαι ὅτι ὁ διώκων, ὡς ἔκτεινε διωμόσατο. Et statim κατηγορίας vocem in affinem, totidemq; litterarum commuto κακηγορίας: quod & in altera est Oratione vitium ita emendandum. Statimq; pro εἰπέ τις σε malim legi εἰπόν τι σε ἐρριφέναι τὴν ἀσπίδα. De clypeum abiicientis in pugna infamiâ è Prouerbio disces *Hastam & clypeum abiicere.*

III. In Orat. XII. *Contra Agorati delationem & indicium*, qui seruus cum esset Athenis se pro ciue venditans, deferebat per calumniam qui Oligarchiæ aduersarentur: In extremo pæne, quia mutilus est locus, legenti facessit negotium. Sanare locum conabor addita μὴ negatione, & vna item & altera voce leuiter immutata. Meam itaque lectionem repræsentabo: comparet, qui volet, cum edita. Pagin. 138. vers. 6. sic emendo: Δοκοῦσι δή ἔμοιγε οἱ

ἄδικα

ἕνδεκα οἱ παραδεξάμενοι τὴν ἀπαγωγὴν ταύτην μὴ οἰόμενοι Ἀγοράτῳ συμπράττειν τότε, ἀλλὰ διϊσχυριζόμενοι σφόδρα ὀρθῶς ποιῆσαι Διονύσιον τὴν ἀπαγωγὴν ἀπάγειν ἀναγκάζοντες προσγράψασθαι, τὸ ἐπ' αὐτοφώρῳ ὅπως αὐτῇ. Πρῶτον μὲν ὅτι ἐναντίον πεντακοσίων ἐν τῇ βουλῇ.

IV. Rursum Orat. *pro cæde Eratosthenis Apologia*: Περὶ τούτου γὰρ μόνου τοῦ ἀδικήματος καὶ ἐν δημοκρατίᾳ καὶ ὀλιγαρχίᾳ ἡ αὐτὴ τιμωρία τοῖς ἀσθενεστάτοις πρὸς τοὺς τὰ μέγιστα δυναμένους ἀποδέδοται, ὥστε τὸν χείριστον τῶν αὐτῶν τυγχάνειν τῷ βελτίστῳ. Franc. Fabricius Marcoduranus, sic olim reddidit, cætera nõ indiligens istius Orationis & *Funebris Lysiæ* interpres, ac de Cicerone optimè, & Paulo Orosio meritus: *Huius enim vnius iniuriæ tam in paucorum, quàm populi imperio eadem pœna in potentissimos, quæ in omnium rerum inopes constituta est, ita vt pessimus eodem genere supplicii afficiatur, quo optimus.* Hæc vltima ratio recte: Rectius H. Steph. *Ita vt qui vel infimus omnium est, idem ius hac in re habeat, quod is qui primas tenet.* At Petrus Victorius malè vocat *Lysiæ defensionem quam scripsit Eratostheni, qui adulterum domi deprehensum occiderat.* Variar. Lect. lib. *3*. cap. *12*. & lib. *14*. cap. *13*. Quod miror tanto viro excidisse, cùm constet Orationem illam à Lysia scriptam Euphileto, qui Eratosthenem adulterum interfecerit.

Flos Liberi & vini. Flos & stirps liberûm. *Vulgata Plauti in Casina lectio defensa. Cicero Tusculanis illustratus.*

CAPVT VI.

Qui vtuntur vino vetere, sapientes puto:
Et qui libenter antiquos spectant libros.

VT obiter aptem Plauti versum, cui hoc caput destinaui. Sic enim in Casina:

——Quid est nisi hæc meraclo
Se vspiam percussit flore Liberi.

pro vino optimo. Camer. qui primus nostra parentumque memoria legi & intelligi Plautũ docuit, & eximius Turnebus in suis schidis se reperisse testantur Aduersar. lib. VIII. cap. XI. *Flore Libyco*, pro vino Mareotico, cuius & Virgil. II. Georg. meminit, à quibus discedere religio pæne sit. Sed quoniam plura rationum momenta à vulgata dependent, eam loco mouere nolui. Sic enim idem Cistellaria:

Nunc quid sum onusta, mea ex sententia,
Quiaque adeo me compleui flore Liberi,
Magis libera vti lingua conlubitum est mihi,
Tacere nequeo misera, quod tacito vsus est.

Et Curculione:

Flos veteris vini meis naribus obiectus est.

Est enim vetus vinum vt præstantissimum, ita & fragrantissimum: Aristophani in Pluto ἀνθοσμίας οἶνος. Ennius Alceſtide apud Fulgentium Placiadem in Glossis post Nonium Marc.

Hæc anus admodum fringutit; nimirum se
Sauciauit flore Liberi.

Quod Euripides dixit φλὸξ οἴνου Latini *Liberi florem*. Et Grammatici *flos* à φλὸξ deriuant, quia vt flamma emicat: & Itali hodie eiusmodi *vini florem, lacrymam* appellant. Et *flos* cuiusque rei, id quod præstat, vt Archestratus apud Athenæum νέκταρος αὐθέος, potus delicatissimus, & Catoni *salis florem*, optimum dixit. Quod autem Plautus *percussit* dixit, & Tibullus lib. I. Eleg. 2.

Neu quisquam multo percussum tempora Baccho.

(Vt in vet. Cod. reperi, non quod editur, *perfusum*) id Græci οἰνόπληγα & *amore percussum* Flaccus ἐρωτόπληγα. Cæcilius:

Ego neq; florem, neq; flores volo mihi, vinum volo.

Apud Festum in *floces*. Apud eundem in *Anclare* Liuius: *Florem anclabant Liberi ex carchesiis.*

Et M. Varro apud Nonium in *auctumnitas*, & *capere*:

Cape hanc caducam Liberi mollem dapem
De fronde Bromiæ auctumnitatis vuidam.

Apud eundem Pacuuius Peribœa:

Postquam est honoratus (lego *oneratus*) *frugum & floris Liberi.*

Videndus Turnebus lib. XXIX. cap. XXXIV. *Florem* adhæc vini vocat Plinius tenuem in summo spumam, lib. XIV. cap. XXI. & Lucretius lib. III. pro fragrantia præstantissimi vini:

Quod genus est Bacchi cum flos euanuit, aut cum
Spiritus vnguenti suauis diffugit in auras.

Florem vero *liberûm* dixit apud Nonium in *Inuidit*, Accius Menalippe, pro ornamento: *Vnde, aut quis mortalis florem liberûm inuidit meûm?* M. Tullius Tuscul. III. *Inuidia nomen ductum est à nimis intuendo fortunam alterius, vt est in Menalippe:*

Florem quisquam liberûm inuidit meûm.

Male Latine videtur, sed præclare Accius, vt enim videre sic Inuidere. Florem *rectius quam* Flori *dicitur. Nos consuetudine prohibemur. Poeta ius suum tenuit, & dixit audacius.* Hæc ille: Fabius tamen lib. IX. cap. III. veteres ait omnes, & Ciceronem præcipue, *Inuidere hanc rem, non huic rei* dixisse, & Nonius Marcellus: Maro tamen dixit:

Tene, inquit, miserande, puer cum læta veniret,
Inuidit fortuna mihi.

Ennius

Ennius apud Varronem lib. VI. de L. Lat. *Vt tibi Titanas Triuia dederit stirpem liberûm*. Hinc *Flos poetarum* Plauto prologo Casinæ, Græcis *ἄνθος αἰδῶν*; *Gymnasii & iuuenum*, Catullo. *Nobilitatis & Iuuentulis*. Ciceroni: & Cethegus Orator Ennio est apud Ciceronem in Bruto:

Flos delicatus populi, Suadaq; medulla.

Licet apud Agellium vellicet Seneca, Theocrito Hercules est θεῖος ἄνθος ἡρώων quasi heroum florem: Et *Flos Hesperiæ* Lucano.

IN SVETONII Claris Rhetoribus quædam emendata.

CAPVT VII.

O*Lim autem eas appellationes Græci συντάξεις vocabant*. Malim, *appellatione Græca συνθέσεις vocabant*. *Mox controuersias quidam, sed aut fictas aut iudicialeis*. Hæc è vestigiis Græca exsculpere de membranis licuit, timidè tamen.

In Sex. Clodio. *Malè oculatus & dicax, par oculorum*. Felici ἰσχίᾳ hunc locum M. Ant. Muretus, vir doctiss. ita constituit: *pari oculorum amicitiam M. Antonii Triumuiri stetisse sibi dicebat*, lib. XVI. Variarum Lect. cap. X. quos libros ex Italia allatôs publicare, non expilare placuit. Mox idem emendat: *Solitus proposita controuersia sedens incipere & calere demum prouectus consurgere ac perorare*. Malè enim edebatur in vulgus: *sedens in opere*. Probo autem M. Fabii auctoritate lib. XI. cap. 3. *Ab iis qui sedentes agent. Nam & fere fit hoc in rebus minoribus & iidem impetus actionis esse non possunt, & quædam vitia fiunt necessaria. Equidem plerosq; & ad singulas clausulas sententiarum video assurgentes & nonnullos subinde, aliquid etiam spaciantes: quod an deceat ipsi viderint. Cum id faciunt, non sedentes agunt*. Rectè quoque idem statim pro *declamare aut gemere variè*, reposuit *declamare autem genere varia*.

Eumenii Panegyricus auctus.

CAPVT VIII.

PAnegyrici veteres XI. Augustis olim post C. Plinium dicti in manibus sunt; in his & Eumenius, qui & *pro instaurandis scholis* disertè dixit: quam orationem Franc. Balduinus illustrauit. Ter enim ad Augustos Constantinum & Constantium Eumenius verba fecit; quarum vna de septem millibus capitum in censu, & reliquis quinque annorum debitis remissis agit gratias, sic auspicatus: *Si Flauia Æduorum tandem æterno nomine nuncupata*. Hanc à Bartholomæo Chassanæo adferri, procemio Commentariorum in *Consuetudines Burgundicas*, pridem obseruaram, ostenderamque eruditissimo Viro Ioan. Liuineio, dum Notas in Panegyristas adornat; Periodos etiam integras amplius hic legi, vt illud: *Attende, quæso, quanti sit Imperator quod Diuum Claudium parentem*

tuum

tuum, ad recuperandas Gallias primi sollicitauerunt, &c. tum demum irrumpendas rebellibus Gallicanis portas reliquerunt, cùm fessi obseruare non possent. Subiicit Chassænæi Codex: *Cumq. omni tempore de populo Rom. bene meriti fuerint, tamen liberos in seruitutem abduci, & agros suos vastari viderunt*: Quæ verba ab editis, quos quidem viderim, libris abesse comperi, nisi si alicunde assutus à Iureconsulto pannus est. Considerent qui hac tempestate multi Panegyristas illos priscos Notis illustrarunt post Fr. Balduinum, & Ioan. Liuineium.

In Lysiæ Funebri Orat. & alibi, correcta nonnulla.

CAPVT IX.

IN eleganti hac Oratione, quam cum Platonis ac Thucydidis Ἐπιταφίοις λόγοις comparare pretium sit operæ, vt Dion. Halicarnass. quædam obseruat, sic & emendarunt quædam Pet. Victorius & M. Muretus, homines doctissimi. Ille quidem lib. XV. Variar. Lect. cap. XI. Hic vero lib. XVII. cap. XI. Conabimur & nos *tenues grandia.*

Pag. *195*. v. 16. Πολιορκοῦντων δὲ κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον Αἴγυπτόν τε καὶ Αἴγιναν. Hæret hîc aqua ὀρχάμενοι τυπογράφων an sit Αἴθηψον subiiciendum quod oræ adscripsit. Ego verò securo esse animo impero, nihilque mutandum censeo. Vetat enim dubitare Thucydides, qui lib. I. Belli Peloponnesiaci pag. *71*. & *72*. nouæ edit. Athenienses eodem tempore classem in Ægypto & Ægina habuisse commemorat.

In Lysianæ Orationis fragmento, quod apud Dionysium extat Halicarnasseum, in iudicio de stylo Lysiæ, agit que *ne recepta probataq. à maioribus Reip. forma Athenis aboleatur*: pag. *213*. v. XI. H. Steph. editionis X. Græciæ Oratorum: οὐχ οὕτως ἵνα Ἀθηναίων τινὰ ποιήσωμεν διανοούμεθα. H. Steph. tentabat: οὐχ ὅπως ἵνα Ἀθηναῖον τινα ποιήσωμεν. Equidem sic constituere locum conabar, οὐ ταῦτο μόνον ἵνα Ἀθηναίων ταῦτα ποιήσωμεν διανοούμεθα. Et statim vers. *15*. omissis particulis: καὶ itemque ἀλλὰ καὶ, sic tentabam: Ἐπίστασθε γὰρ τοὺς ἐφ' ἡμῶν ὀλιγαρχίαις γεγενημένοις οὐ τοὺς γῆν κεκτημένους ἔχοντας τὴν πόλιν, πολλοὺς μὲν ταυτῶν ἀποθανόντας.

Emendatus denuo Lysias: item Dionysius Halicarnasseus in Criticis. Eriphus *Comicus.*

CAPVT X.

IN Orat. XIV. ordine *contra Alcibiadem militiæ desertorem*, pag. 142. v. 25. Καὶ ταῦθ' υἱὸς ὢν Ἀλκιβιάδου ἔπεισε μὲν Δεκέλειαν Λακεδαιμονίους ἐπιτειχίσαι. Hîc vt rei gestæ constet veritas addo, ὃς ἔπεισε. Non enim hic filius, sed parens Alcibiades auctor exstitit Lacedæmoniis, vt Deceliam munirent. Sic enim Alcibiadis filius

filius apud Isocratem loquitur Orat. de Pace, & altera de Bigis: καὶ διαβάλλειν ἐπιχειροῦσιν ὡς Δεκελίαν ἐπιτείχεισεν, *Calumniari conantur patrem meum quasi Deceliam munierit*. Narrat idem semel iterumque Thucydides lib. VII. Diodorus Siculus lib. XIII. Biblioth. & Plutarch. in Alcibiade, itemque Cornelius Nepos, seu Æmilius Probus: *Huius*, inquit, *consilio Lacedæmonii cum Persarum Rege amicitiam fecerunt, Deceliam in Atticam munierunt, præsidioq́ perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt.*

II. In XVI. Lysiana, quam censeo inscribendam: Δημοσίων χρημάτων *De publicatis bonis*, potius quam Δημοσίων ἀδικημάτων, pag. 148. v. 24. hoc modo legitur: Ὅτι δὲ πάντα δημεύεται ἐξ αὐτῶν ἀπογράφω. Τρεῖς γὰρ καὶ τέτταρες ἕκαστα ἀπογεγράφασι. Equidem sic rectius legi posse existimabam: Ὅτι δ' ἤ πάντα δεδήμευται ἐξ αὐτῶν ἀπογραφῶν (repetens ἀπὸ κοινοῦ, ῥάδιον εἰδέναι) Τρεῖς γὰρ ἢ τέτταρες ἕκαστα ἀπογεγράφασι. Et mox παρέλιπον repone me auctore pro illo παραλιπόντες. Post vero non longè: Πάντα τὰ Ἐράτωνος, mutilus hic locus hiansque videtur, nisi quid iudicans fallor, vt absque libris calamo exaratis sanare me posse diffidam. Neque enim hariolandi artem didici.

III. In Orat. XIX. *pro Polystrato* pag. 161. v. 17. locus sane est, mihi quidem, impeditus. Tentabam sic meliorem facere ac perspicuum, quatuor duntaxat voculis mutatis, vnâque omissa: Εἰ δὲ τοῦτον ἀδίκως ἀπολεῖται, πῶς ἢ ἡμῖν ἡδέως συνεσόμεθα ἢ ἡμεῖς ἀλλήλοις, ὑμῶν τι ἀνάξια πάσχοντες, καὶ τῆς πόλεως.

IV. Vt Lysiæ opem adferre conati sumus, & quidem à Dionysii Halicarn. Criticis adiuti, sic huic vicissim qua possumus, prosimus. Hic Περὶ λόγων ἐξετάσεως, quo Tractatu de Oratione cuiusque examinanda perspicuè disputat, pag. 67. Wech. extrema, inter Comicos *Euripidem*, qui Tragicus est, video, librariorum haud dubiè ῥαθυμία. Sic enim ille: Κωμικὸν, τοῦτο Ἀριστοφάνειον, τοῦτο Κρατίνειον, τοῦτο Εὐπολίδειον, τοῦτο Εὐριπίδειον, τοῦτο Μενάνδρου. Sylburgius maculam vidit, non eluit. Tentabam minima mutatione, IV. syllabis Ἐρίφειον. Fuit enim *Eriphus* Græcus Comicus, cuius laudat Athenæus lib. III. & IV. Δειπνοσοφ. *Æolum, Melibœan, & Peltasten*. Affinia quoque sunt nomina Comicorum *Eunius*, *Euphemus & Euthycles*: Sed Eriphi nomen magis hic quadrare existimo, nisi si quinque etiam syllabis malis Εὐθυκλήδειον.

IN SENECÆ Rhetoris Suasoriis expleta Græcis dicteriis lacunæ.

CAPVT XI.

Mihi semel imperaui ne quid alienum obtruderem, sed mea, qualia tandem cumque sunt. Et erunt fortasse qui vltimas vtriusque Senecę parentis Rhetoris & filii Stoici Philosophi editiones nuperas Lutetiæ semel, iterumque foras datas nondum sint nacti, sed vsitatis suis editionibus contēti degant:

his ego gratificari hoc quidem loco studui vt gratus omnes nostra industria Græcis Sophistarum dictis expletos apponerem, si suos forte in codices referre placeret. Certè Desiderius & Pintianus Græcè cætera doctissimi è suis membranis, quibus sunt vsi, explere sese non potuisse ingenuè confitentur. Fruere itaque si commodum, mi lector.

SVASORIA I. ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσι.

Homer. Iliad. ε. ver. 340.

Qualis erat sanguis manans è corpore Diuûm.

Ἀντιμυκτηρίσῃ. Vicissim irrideat: In Ciceron. lib. XV. Epist.

Διόνυσον. Bacchum.

Κύριε, ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα σου Σεμέλην ἄπροικον εἶχε.

Domine, Iuppiter matrem tuam Semelem indotatam habuit.

OKTABIA KAI AΘHNA ANTΩNIΩ. Ὀκταβία καὶ Ἀθηνᾶ Ἀντωνίῳ. Octauia & Minerua Antonio.

Celebris sententia est: Τοῦτο οὐκ ἔστι Σιμόεις, οὐδὲ Γράνικος. τοῦτο εἰ μή τι κακὸν ἦν, οὐκ ἂν ὕστατον ἔκειτο. *Hic Oceanus Simois non est, neque Granicus, nisi quid erat, quod postremo loco succumberet.*

PLVTION dixit: Καὶ διὰ τοῦτο μέγιστόν ἐστιν, ὅτι αὐτὸ μὲν μετὰ πάντα, μετὰ δὲ αὐτὸ, οὐθέν. *Et ipsum propterea maximum, quia quidem post omnia; post ipsum vero nihil.*

ARTEMON dixit: Βούλεσθ' ὦ νεολαία πλείους ἡλίους; δύο Ἑλλησποντίαις ἠόσιν ἐφεστῶτες; οἱ δὲ ἐπὶ τῷ Παμφυλίῳ πελάγει τὴν ἐμπρόθεσμον προσδοκῶμεν ἀμπωσιν; οὐδὲ Εὐφράτης —τ' ἐστὶν, οὐδὲ Ἰνδὸς, ἀλλ' ἐστὶ μυστήριον, εἴτε φύσεως ὅρος, εἴτε πρεσβύτατον στοιχεῖον, εἴτε γένεσις θεῶν πρώτων ἐστὶν, ἢ καὶ ἁπλῶς ὕδωρ. *Vultisne ô Iuuenes, plures soles? Duo præfecti Hellespontiacis littoribus? Qui in mari Pamphilio terminum datum exspectemus æstuarium vadosum? Neque Euphrates hic est, neque Indus, sed arcanum quid, siue naturæ limes, siue antiquissimum elementum, siue ortus primorum Deorum est, vel simpliciter aqua.*

Al. sic: Βούλεσθ', ἐῶ, δείλην περαιοῦσιν, ἡλίους δύο Ἑλλησποντίαις ἠόσιν ἐφεστῶτες. οὐδ' ἐπὶ τῶν φθασάντων πελάγη τὴν ἐμπρόθεσμον καραδοκούμενα ναυτιῶσιν: οὐδὲ Εὐφράτης.

Apaturius dixit: Ἐντεῦθεν ναῦς ἐκ μιᾶς φορᾶς, εἰς ἀνατολὰς, ἔνθα δ' εἰς τὰς ἀοράτους δύσεις. *Hinc nauis ex vno cursu in Orientem, inde ad inspectabiles occasus.*

Ὄρους ὄρος ἀποστήσατε. *Montis verticem auferte.* ——— Est enim inflatum.

Κὰρ καιρία βάλλεται μέσος. *Caput fascia mittitur medius.*

Ὑγίαινε γῆ [fort. γυνή,] ὑγίαινε Ναΐ ἐμὰ. κέλομαι γάρ. ἆρ' οἴσει τὰ ὄσσε; *Vale Terra, vale Nais mea. Iubeo enim: num ferent oculi?*

SVASOR. II. Οὕτως ἀριστᾶτε, ὡς ἐν ᾅδου δειπνήσοντες. *Sic prandete, tanquam apud inferos cœnaturi.*

Τί σὺ φεύγεις εἰς εὐτελῆ τὰ τείχη; *Quid tu fugis in tenues muros?*

SVASOR. IV. Οἷον ἔσχηκε Βαβυλὼν μάντιν ὀχύρωμα. *Qualem habuit Babylon vatem pro munimento?*

SVAS. VII. Ἀτίμων πατέρων. *Insanium parentum.* *Alii ἀγνωμόνων, dementium seu indoctorum.*

Controuersiæ XXXIV. eiusdem Græcis sententiis à nobis è membranis antiquissimis adornatæ.

CAPVT XII.

CONTROVERSIA II. Ἐγὼ δὲ ἐδυσώπησα πρότερον τὸν ἄνδρα. γεγένηταί τις, ἢ προσέρραπται.

Εἶδέ τι, φιλάρρενα μοιχὸν ἔλαβον. *Nouit, Virorum amantem adulterum accepi.*

CONTROV. III. Diocles Carystius dixit: Τάλαινα καὶ τὸ δεύτερον ait, *Misera, etiam secundo.*

Puton ait: Ἀεὶ ἐχθρὸν νομίσῃς, ἐφ' ᾧ βέβλησαι. *Semper hostem putaueris, per quem deiecta fuisti.*

CONTROV. V. Ἐπὶ τὴν τρίτην νὺξ ἔχανεν.* *Ad tertiam nox* inhiarit.*

CONTROV. VI. Ὅρκος ἐστὶ πεῖσμα [*alias* πῆγμα] καὶ παρὰ πειράταις νημερτὲς μένον. *Iusiurandum est firmamentum, etiam apud piratas verum manens.*

Λοιδόρει νῦν τὸν ἀρχιπειράτην, τὸν μιαιφόνον, τὸν * ΠΡΟΣΕΛΟΝ πρόσθες, εἰ θέλεις, καὶ τὸν ἐπίορκον. *Conuitiare nunc Archipiratæ sanguinario..... adde, si libet, etiam periuro.*

CONTROV. VII. ——— καὶ κύσε χεῖρας
Δεινὰς ἀνδροφόνους, αἵ οἱ πολέας κτάνον υἷας.
——atq; oscula fixit
Sanguineis manibus natorum cæde cruentis.

Homer. Iliad. ω΄. v. 479.

Ἐλεήσατε αὐτὸν, ὃς κινδυνεύει πατέρα θρέψαι.
Misereat vos eius, qui ob alimentum patri datum periclitatur.

Artemon dixit: Φιλότεκνε πάτερ, καὶ σοί τι..... *Pater filii amans, & tibi aliquid.....*

Adeos dixit: Ἄξεινον σκάφος, καὶ τίς τῶν αἰτίων ἐν αὐτῷ τῷ σκάφει πατήρ ἐστι; *Inhospitalis scapha, & quis aduersariorum in ipsa scaphâ pater est?*

Nicetes dixit: Διπλᾶ δώσω, ἂν ἀποκόψητε τὰς χεῖρας. ἐζήτουν οἱ πειράται, μή τις τυραννήσας, μή τις μοιχεύσας. *Dupla dabo, si manus secabitis, Quærebant piratæ, ne quis tyrannidem exerceat, neq; fornicetur.*

CONTROV. VIII. interpretetur: Οὕτως ἂν καὶ ἄτιμον ἐφίλει. *Adeo inglorium diligebant.*

Παραστήσωμεν αὐτὸν τοῖς δικασταῖς ἀρειμάνιον. *Sistamus illum iudicibus belli ardore insanum.*

Κείσομαι ὡς τεῖχος, τὴν τάφρον ὑπέρβηθι καὶ πατέρα. *Iacebo vt murus: fossam transi & patrem.*

Δαιμόνιε φθίσει σε τὸ σὸν μένος. Homerus Il. ξ. v. 207. & Iliad. ζ. v. 407.

Te generose tuus perdet furor.——

Glycon dixit: οὐκέτι, ἐν ᾧ θανάτῳ κατὰ φρονῶ τούτῳ, πατρὶ ἐμῇ.

Diocles Caryſtius dixit: Αν ἐπιτύχῃς, μίαν προσθήσεις ἀριστείαν. αν δ' ἀποτύχῃς, τρεῖς ἀριστείας ἀπολέσεις. *Si nactus eris vnam appones fortitudinem. Sin minus, tres amittes res praclarè geſtas.*

GLYCON dixit: οὐκ ἔστιν εὖ ἱκανὸν εἰς τὸ ὑποκείμενον * ΤΟΣ προπεμπτικόν. *Non bene ſufficit in rem ſubiectam.....præmiſſam.*

Æſchines non ille Orator, &c. Ἔστι πατήρ ἐστι, οὐ τύχη μαντικώτατον. *Eſt pater, eſt. Nonne fortuna eſt res, quæ maxime futura præſagit?*——diceret:

Μία γὰρ ἐστι πρὸς τύχην ἀσφάλεια, τὸ μὴ πολλάκις αὐτὴν πειρᾶσθαι. *Vna eſt enim ad fortunam ſecuritas non toties eam experiri.*——exprimeret:

Τί σε ποιῶ μαι, τέκνον ἵν' ἄσμενα ποιῶ; ἀλλ' εἰ μὲν φθαίω, φοβοῦμαι μή τι οὐ παράταξις, μή τι οὐ πόλεμος. μὴ τοῦτο ἀρκεῖ; φοβοῦμαι περὶ τῆς οἰκουμένης. τί, τέκνον, ἐρυθριᾷς; *Quid te faciam fili, vt libentia tibi faciam? ſed ſiquidem præuertam timeo, ne quid non acies, ne quid non bellum, ne hoc quidem ſufficit? Metuo orbi terrarum. Quid, fili, erubeſcis?*

CONTROV. IX. GLYCON Scyridion——fecit ſententiam: Ὅτι ὡμολόγησε, πονηρεύη, ὁμολογῶν οἷα ἐφίσανται. *Conſenſi; agit malignè confitens qualia aggrediantur.*

Artemon dixit: οὐ σύ γε εἶ πατὴρ τῶν βεβαίων κτημάτων. Πλουτοῦσιν, οἷς πλέσιοι προπάτορες ἀπαντῶσιν. *Non tu es pater ſtabilium poſſeſſionum. Diuites ſunt, quibus maiores diuites obueniunt.*

HERMAGORAS dixit: Περιελευσόμεθα τέσσαρες ἑνὸς ἀπόρρητον. *Circumluſtrabimus quatuor vnius arcanum.*

CONTROV. XI. Πέπεισται, φησὶν, ὁ τῆς φθαρείσης πατὴρ ὅδε. ὡς ταχέως μονονοὺ πρὸ τῆς φθορᾶς. *Perſuaſus eſt, ait hic corruptæ pater: quam cito? tantum non ante corruptionem!*

ARTEMON dixit: Λέγει σε τίς θι.*..πρὸς πατέρα τῆς ἐφθαρμένης. ἀντίφωνα κεῖται. σ' ἐπιβλέπει καὶ σιωπᾷς ἀεί. *Dic te aliquis......ad corruptæ patrem, Antiphona iacet, te aſpicit, & aſſiduè ſiles.*

GLYCON dixit: Μάλα ἀπορῶ, σὲ μέσον * ΕΡΗΣΡΤΕΗΣ ἔτι ἔφθην * ΩΚΡ πότερον ἀπωθῶ μέριμναν, ἣ πρὶν ὦσα τὸν ἔλεον. *Valde animi pendeo, te medium.....adhuc aſſecutus ſum.... vtrum repello anxiam curam, cuius antea repuli commiſerationem.*

Ethicωs dixit: Ἐβόων ἀστοὺς, ἐβόων ἁλιεῖς. τίς ἄρ' ἥρπασέ σε; εἰς τί παρεγένετο; εἰς τί παρεγένετο, καὶ ταῦτα ἤτοι ἰσχὺς ἐνέδρας, ἤτοι ὅμοιον. *Inclamabam ciues, inclamabam piſcatores, Quiſnam te rapuit? ad quid acceſſit? & hæc ſiue ponens inſidias, ſiue quid ſimile.*

CONTROV. XIV. Εἰ τὴν ἀρχὴν δαπανῶ, σὺ δ' οὐκ ἐρᾷς παύῃ: *Si principatum decoquo, tu vero à re amata quieſcis?*——ſententia——fuit:

Ἐπὶ τῆ

Ἐπὶ τῆς ἀσωτίας ταύτης διαφωνοῦμεν. σὺ μὲν δαπανᾷς ἡδόμενος, ἐγὼ δὲ δωρούμενος. *In luxuria sic discrepamus; tu quidem voluptate dissipans; ego vero largiens.* Damas Scombros:

Στῆτε μέν, ἣν δέοντι ἀνασωτεύῃ. *State quidem, si forte tempori luxuriari desinat.* [Ἀνασωπεύειν est ἀνανήφειν. Dictum vt ἀνασφῆλαι.]

DIOCLES Carystius: Αἱ δ' ἔξω ῥυεῖσαι σάρκες εἰς μηδὲν μεταβάλλονται. *Quæ vero foras fluunt carnes, in nihilum rediguntur.* ---*rent i. h. c. dixit:*

Ὦ τύχης δεινῆς! ταυτὰ ἐπιτάττοντες ἀλλήλοις ἐποιοῦμεν.

O grauis Fortuna! hac nobis mutuo imperantes, agebamus.---vulgariter:

Γνώσῃ, τέκνον, ὅτι νοῦς, αὖ πάθῃ, τί, ἀναφύει. *Noscas, fili, mentem perturbationibus renasci.*

CONTROV. XVI. corruptior est: Ποσειδῶν ἀμετρήτων δέσποτα βυθῶν, τὴν ἀερίων κρατωσάμενε βασιλείαν, ἀνάγεται πατροκτόνος· μετὰ πατέρα δίκασον: *Neptune immensi domine profundi, adepte regnum ætherium, adducitur parricida: post patrem iudica.*

Οὐκ ἔσχε καιρὸν παίζειν: *Non habet iocandi occasionem.*

Πεπείρασαι, πάτερ, ὅτι* [al. κανών.] καινὸν πρὸς νουνεχῆ υἱὸς ἐστιν εὔχρηστος.

Expertus es, pater, quod norma ad res ingeniosas filius est vtilis, ac frugi. ------accessit ad eam:

Νηὸς εὐπλοήσαντος ἀναγωγή. ἄκουσον. *Naualis classis bene nauigantis eductio, attende* ----Pulchrè cœpit:

Σκάφος ἔρημον ἀνόστου τύχης. *Nauis deserta non reducis est fortuna.* Sententiã proposuit Ναυαγὸς ἀπὸ λιμένων ἀνῆγον. *Naufragus è portu soluebam.*---eleganter transiit: Αἴτησαι νῦν, πάτερ, πῶς ἀνέδυσεν, ὅπως ἀπὸ δύο εἷς. *Exige nunc pater, vt emerserit, vt è duobus vnus.*

CONTROV. XIX. GLYCON dixit: Παράθες, μῆτερ, ἴθι λαβοῦ τέκνου. ταλαίπωρε, ὁρᾷς; βαίνει σοι. ἐκράτησέ σ' εἰ μέ, φησιν, οὐ τρέφεις, ἐπίμεινον, ἵνα θύῃς. *Appone mater, vade recipe filium. Miser vides? accedit ad te, vicit te, si me non alis, exspecta vt sacrifices.* HYBREAS in hac Controuersia dixit:

Τέκνον, κἂν με φεύγῃς, καταχνύζομαι σ' ἐπαιτοῦσα. *Fili, dolebo, quamuis ne fugias, te repetens.*

CONTROV. XX. decentius posuit: Μάταιον ἀδιαφόρημα. *Inanis neglectus.* EVCTEMON dixit: Μητρυιᾷ χρῆσον ἔμπνουν μάρτυρα, ὦ ναννίον εὐσεβὲς, ὦ παιδίον ἄξιον τῆς μητρὸς ὅλον καὶ πατρός. *Nouercæ vtendum da spirantem testem, o pusille pie, o puer matre tua totus dignus & patre.* declamator dixit:

Τοῦ μὲν ἰδίου μάρτυρος ἐφείσατο, τοῦ δ' ἐμοῦ κατεφρόνησεν.

Testi quidem suo pepercit, meum vero contemsit.

Οὐκ ἔστιν ἡμέτερος. *Non est noster.*

CONTROV. XXI. dixit sententiam: Ὁ μὲν πατὴρ χείρων γέγονεν τυράννου, ὁ δὲ δοῦλος ἑαυτοῦ. *Pater quidem peior factus est tyranno, seruus quidem seipso.*

CONTROV. XXIV. σὺ δὲ μοιχὲ τί ποιήσω; μὴ καὶ σοῦ Καλλίας πατήρ ἐστι; *Adulter tibi quid agam? Num etiam tuus Callias pater est?*

Arellius Fuscus: ἀχάριστος σοὶ δοκῶ, Καλλία. οὐκ οἶδας ποῦ μοι τὴν χάριν ἔδωκας ἤδη. *Ingratus tibi, Callia, videor. Nescis vbi mihi iam beneficium præstiteris.*

Δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι, καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα. *Solent enim res secundæ, vniuscuiusq; vitia tegere atq; obumbrare. Demosthenis est Olynth.* II. post Thucydidem, vt docui lib. 3. Humanarum Obseruat.

Ὅτ' εἰσῆλθεν Κλινίας, τὰς πέδας ἀπεκάλυψα. *Ingresso Clinia pedicas retexi.* Hybreas dixit:

Συγγνώμην ἔχω μοί. *Ipse mihi ignosco.*

CONTROV. XXV. Ἐπὶ τὸ* πλησίον μαίνονται. *Ad propinqua insaniunt.* [ΠΛΗΣΙΟΝ, *erat scriptum.*]

Dixit in hac NICETES: Ὡς ἤκουσαν, ὅτι συμπόσιον ἐστιν, ἤριζον. *Vt audiuerunt conuiuium esse, contenderunt.*

EYCTEMON dixit: ΠΑΝΤΕΣΕΜΟΝ ΖΟΝΟ ΤΙΕΣΑΤΟ. Fortè: Πάντες ἐμόναζον, ὅτ' εἱστιᾶτο. *Omnes soli erant dum conuiuatur.*

Διηγήσομαι ὑμῖν καὶ τὸν κῶμον. *Narrabo vobis & conuiuium.* [Male editur καινόν.]

Ὡς ἐρωτικὸς ὁ κῶμος. *Quam amatoriæ epulæ!*

Οὐδέποτε τεθέαμαι* ἀναιρούμενον ἀναίτιον, εὐτυχῆ οὐδὲ ὄψῃ. *Nunquam vidi sublatum innocentem, neq; fortunatum videris.* [al. ἀνῃρημένον ΑΝΗΠΟΛΑCΕΤΤΥΧ τοῦ ὄψῃ; sic erat in membranis]

Οὐδέποτε τεθέαμαι* ἀναιρούμενον γύναιον. τῷ μὲν οὐ δεῖ. *Nunquam vidi sublatam mulierculam, à quo quidem non oportet.*

GLYCON dixit: Ὡς δ' ἀπήντησαν, οἷς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ πόρος ἐστίν, καὶ ἑταίρα καθεῖσεν, ἔκραγέ τις τάλας, Ἐμὲ ἄπαγε. ἐγὼ γὰρ ἀδικῶ. ὃν καὶ ἀπῆγεν. *Vt vero iis occurrerunt, quibus facultatum aliquid in carcere est, & amica assedit, clamauit miser quispiam: me abduc. Ego enim afficio iniuria; qui etiam abduxit.*

CONTROV. XXVI. Ὁ πίθηκός μου. *Iste simius meus.*

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μετείη. *Haud scisses Diomedem vtra de parte fuisses.* Hom. Iliad. ε'. v. 85.

Καὶ κακῶς. *Et ineptè.*

Ἂν ἀμφοτέρους μοὶ μὴ ἀποδῷς, ἀπολέσεις αὐτὸν τὸ δίδυμον. *Si ambos mihi non reddideris, par ipsum vitiabis.*

CONTROV. XXVII. Πρῶτον κολυμβᾶν, δεύτερον δὲ γράμματα. *Primum natare, deinde litteras discere.* Prouerbiale.

CONTROV. XXVIII. Τοῦτο τὸ παιδίον ὅταν εὑρεθῇ, τότε ἀπολεῖται. *Hic puer cum repertus fuerit, peribit.*

CONTROV. XXIX. Τί οὖν ἐψεύσατο κατὰ τῆς ἰδίας θυγατρός; ἀλλὰ κατὰ τῆς ἐμῆς; *Quid igitur in suam filiam mentitus est? non, verum in meam.* Eodem loco:

Συνοῖδ' ἐμοὶ, φησὶν, ἡ θυγάτηρ. καὶ προσέθηκεν ἐκ τούτου. *Conscia mihi sum, ait filia, & exinde adiecit.*

CONTROV. XXX. Διὰ τοῦτο ἀσφαλέστατόν ἐστι μετὰ πλουσίων περιπατεῖν. Et idem: Διατί σιγῶ; ὁ πατὴρ μου λέγων ἀπέθανεν. *Propterea tutissimum cum diuitibus ambulare. Cur taceo? pater meus dicendo periit.* HERMAGORAS dixit:

Κτίσωμεν ἰδίᾳ, ὦ πένητες, πόλιν. οἱ δὲ πλούσιοι τὴν αὐτῶν. *Exstruamus priuatim, ô inopes, ciuitatem; Hi verò diuites, suam.* Illud in Narratione:

Ὑπὸ τίνος ἀνῃρέθη οὐκ οἶδα. Ἔχει ἐχθροὺς φύσις τινὰς, τι ἄρρευστα γῆς, καὶ * ὧν τὸ ῥεῖν ὕδωρ γίνεται. *A quo sublatus sit, nescio. Habet hostes Natura: quæ in terra non fluunt, & cui fluxus aqua sit.* [* In altero cod. καὶ ἡ ῥεῖν δυναμένη.] ARTEMON dixit:

Ὅταν εὕρω τὸν φονέα, τότ' εὖ γράψομαι. καὶ πότε δεῖ, ἂν εὕρω πένητα. *Quando homicidam hunc reperero, tunc recte accusabo, & quandocunque oportet, si reperero pauperem.*

CONTROV. XXXI. NICETES in hac controuersia dixit: Εἰ ὁ πάππος ὑπὸ τῆς φύσεως ἀποδοθεὶς * ΗΜΕΙΣ ἡμῖν παρέστη τῷ τότε δικαστηρίῳ, οὐκ ἂν εἶπεν. Τίς νύ μοι ἡμέρη ἥδε, θεοὶ φίλοι; νὴ Δία μάλα χαίρων. ὅτ' ἀρετῆς περὶ δῆριν ἔχουσιν, εἶπον, μῶν ὅδε πατρὸς ἀμείνων; *An auus ille à natura datus nobis adfuerit, in eo quod tunc institutum est iudicio non facile dixerit. Quæ mihi dies hæc cari Dii? per Iouem valde gaudebo; Et illi qui de virtute contentionem suscipiunt, dixerunt, num hic patre melior?*

CONTROV. XXXIII. Τί κάκιον; καὶ τούτους τροφὰς αἰτεῖς, οὓς μὴ τρέφειν, ἀσεβές ἐστιν. *Quid peius? & hos alimenta poscis, quos non alere impium est.*

Κλαίουσαι μητέρες ἠράνιζον, εἰ μὲν ἐμὸς, λέγουσαι τὸν ἐμόν. εἰ δὲ ἀλλότριος, καὶ τὸν ἐμὸν ἄλλοι. *Lamentantes matres stipem corrigabant, si quidem meus dicentes, meum: sin alienus, & meum alii.*

Dixit: Τὰ μὲν τῶν ἄλλων ἐρωτᾶν δεῖ γ' ἕως πρέπει. ἀλλ' ἡμέτερα ἀνάπηρα τρέφει *De aliorum rebus quærere oportet, dum decet: sed nostra nutriunt mutila.* DAMAS SCOMBRUS dixit:

Πάλαι μὲν ἐκθέτοις κίνδυνος ἦν τὸ ῥιφῆναι. νῦν δὲ τὸ τραφῆναι. *Olim quidem expositos periculum erat abiici; nunc vero nutriri.* Sententiam:

Κρουσάτω τις τὴν θύραν· τῶν ἐχόντων τι προσαγάγοι τίς. Et illum: ἄγε σὺ δὲ κλαῖε, σὺ δὲ θρήνει· ὦ κακῶν ἀσυμφώνων. *Pulsato quis ostium. Rerum huc pertinentium aliquid adducat quispiam. Age tu plora, tu lamentare; ô mala dissona.* Aliquis audiat:

Αὕτη μόνη. *Hoc solum.* GLYCON dixit:

Τοῖς ταλαιπώροις χαρὰ καταλέλειπται. *Miseris istis gaudium relictum est.*

CON-

CONTROV. XXXIV. Πῦρ καὶ ἄνθρωπος Προμηθεῦ τὰ σά σε δῶρα βασανίζει. *Ignis & homo ô Prometheu tua dona te torquent.*

Προμηθεῦ ἐπί σε τὶς πῦρ καὶ ἄνθρωπον. *Promethea post te aliquis ignem & hominem.*

Ἄλλως: Προμηθεῦ μέ τις γράφων ἄνθρωπον, ἀφανίζει. *Prometheu, me pingens hominem perdit.* ——corruptissime:

Δικαίως, ὦ Προμηθεῦ. διὰ τί γὰρ τὸ πῦρ ἔκλεπτες ἀνθρώπῳ; *Recte ô Prometheu, quare ignem homini clepsisti?*

Ἢ πρόσθες, φησίν, ἢ ἄφελε, ἵνα μὴ Ἀττικὸς ᾖ. Vel appone, inquit, Vel aufer, ne sis Atticus.

Ἡλίου παρόντος * [al. καίοντος] λύχνον οὐχ ἅπτω. *Sole præsente* [alii *vidente*] *Lucernam non accendo.* Prouerb.

Εἰ πίνακι διαπύρῳ ζωγραφοῦνται * ΠΙΝ τυραννοῦνται. *Si in tabula ignita pinguntur .... tyrannide vexantur.*

E Græcis DORION furiose dixit:

Τίς Οἰδίπους εἰς * ΑΛΙ τίς [al. ἀλήτης] Ἀτρεύς, οὐ γράφεις. Ἰδ' Ἡραν μὴ μύθους. ἴδης * ΣΗΝΝΙΑΣ. [al. ζῇ Αἴας.

*Quis sit Oedipus, quis Atreus non pingis, *ne fabulas videas.. ..viuit Aiax.* Quam quod à METRODORO dictum est:

Μή μοι Τρῳάδας, μηδὲ Νιόβην. ἐπίθες τῷ πυρὶ προνοωτὸν Προμηθέα * ΠΣΑΟΤΚΕΝ. [al. πέπλωκεν] *Non mihi Troades, neque Nioben, Appone qui extensum Promethea....cecidit.*

Ex Aricia fatuus dixit:

Ἀποκτείνατε Παῤῥάσιον, μὴ θελήσας γράφειν ἐξ ἡμῶν ἀρχέτυπον εὕρῃ. *Occidite Parrhasium, ne pingere volens de nobis exemplar repperiat.* Παυσανίας dixit:

Διά σε, Παῤῥάσιε, ἀστεῖος ἐκπορευόμεθ' υἱέων ναοῦ, ἀφαγνίσαντες. *Propter te, Parrhasi, urbanum ingredimur filiorum templum, postquam consecrauimus.* Eodem modo:

*Ἄπιστος ἡ ὑπερηφανία πρὸς τὸ δεξιὸν εἶδος ἰδέα. Μάνε. *Infida res est fastus, ad gratam formam; clamabat, Mane.*

Σαρκοφάγα σου ἡ γραφὴ καὶ τὰ ζῶα. *Carniuora sunt tua & pictura & animalia.*


Ὧι τοῦτο τὸ πῦρ εἰς θεοὺς πάρει κλαπῆναι. *Cui contra Deos hunc ignem furandi facultas aderat.*

Deformata Ciuitas. *Ciceronis lib. V. ad Atticum variè agitatus locus.*

CAPVT XIII.

VAriatum est sententiis ab omnibus pæne, qui difficiles illos ob breuitatem, & acumen M. Tullii ad Att. Epistolarum libros expoliendos sumserunt, in hisce Græcis quæ lib. 5. Epist. 12. ad Attic. exstant: *Itaque erat in animo nihil festi-*

hil festinare, nec me Delo mouere, nisi omnia ἀκρωτηρίων iura vidissem. Græca in his libris, quia ab indoctis librariis scripta erant, coniectandi materiam doctis hominibus suppeditarunt: Vt Simoni Bosio, homini pereruditο: qui vt alia plurima in Cicerone & Plauto Lambino suggesserat: sic hoc loco legendum sibi videri, vt pro *iura*, vel (vt alii habent) *tuta* ἴυγγα reponeret, vt in altera Tullii edit. Lamb. & Commentario ad librum V. T. Lucretii *de rerum natura* fusius explicauit. Post tamen idem Bosius inspecto vetere cod. vt nominat, decurtato, mutata velificatione leg. censuit: *Nisi omina ἀκρωτηρίων οὔρια*, & explanat Hesychii auctoritate, applauditq; Iunius suis notis, nisi quod *omnia* hîc malit, quam *omina*. οὔρια autem ἀπὸ τῆς οὐρᾶς, quæ puppim veluti caudam impellant, deriuat. Ingeniose quidem vterq;, si hæc tunc M. Tullio in mentem venire potuerunt. Muretus vero Gallus & ipse antea lib. XIV. Variar. Lect. cap. XI. tentarat ἀκραῆ πάντα καὶ οὔρια: quasi dicat Cicero, non esse sibi consilium nauigare, nisi serena, tranquilla, ac secunda omnia viderit. Ant. Couarruuias I. C. & Senator Regius, frater Didaci Segobiens. Episcopi, quicum Toleti sæpe ac iucundè differere consueueram, emendandum coniiciebat: *nisi omnia ἀμόρφως πόλεως tuta vidissem:* Vt *deformatam ciuitatem* Romam idem appellauit bello ciuili agitatam initio libri III. de Orat. ad Q. fratrem, L. Crassi Oratoris è lateris dolore mortem sic deplorans: *Non vidit*, inquit, *in omni genere deformatam eam ciuitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria præstitisset.* Et scriptor Rhetoricorum ad Herenn. lib. IV. *Italiam deformarunt Carthaginienses.* Formam autem à *formo* deriuat Nonius Marcellus, quo de nomine *Formis*, vel *Formus* pluribus alii. Vt Plautus Bacchidib. Act. 2.2. *Etiam formus tibi visa est?* Et Milite glorioso Act. 4.3. *Ecquid formis visa est?* vbi *fortis* sunt qui legant, pro formosa, ex Nonio, & Seruio in IV. Æneid. *Formus* etiam calidus est. Vnde ille apud Pompeium Festum lepidus versiculus: *Aut hic formaster, aut latafter paruulus.*





ANDR. SCHOTTI OBSERVATIONES PHILOSOPHICÆ.

LIBER V.

IN PHILOSOPHOS

GRÆCOS

Aristotelem
Platonem
Porphyrium.
Epictetum
Plutarchum
Nicandrum
Cl. Galenum
Dioscoridem

LATINOS

M. Tullium Ciceronem
L. Senecam, Stoicum.
C. Plinium
L. Appuleium, Platonicum.

Phreatte & Puteal *Athenis*, Barathrum. *Demosthenes contra Aristocratem, & Aristoteles in Politicis declarati.*

CAPVT I.



ARistoteles lib. de Rep. extremo: πέμπτον δὲ ὅσα φεύγουσι φόνον ἐπὶ καθόδῳ ἐπιφέρεται, οἷον Ἀθήνησι λέγεται καὶ [f. εἶναι] τὸ ἐν Φρεαττοῖ δικαστήριον. Hunc locum nemo melius explicat Demosthene, Oratione *contra Aristocratē*: πέμπτον δικαστήριον ἄλλο θεάσασθε τὸ ἐν Φρεαττοῖ. Quod Wolfius vertit *Phreattaeum iudicium*. Alii *puteum*, alii *carcerem*, alii *os putei*. Nemo rectè. Erat enim locus mari vicinus Φρέαττον dictus, vel ab Heroë, quem Theophrastus nominat lib. XVI. de legibus, aut propter vicinum aliquem puteum: nam φρεάτης vox originem habet à φρέατος, omnes illius vici tribus,

bus, quæ inde nomen ſortirentur. Eratq; locus ea forma qua φαληρᾶ. Hic tribunal erat cauſſarum ea figura, quam clarè Demoſthenes exponit. Sed nemo Ariſtotele copioſius hæc explicat; alii per partes: & dubitari poteſt, an de eodem loco Demoſthenes loquatur. Neutrobi certè puteus eſt, neq; carcer, nec puteal, nec cauerna, ſed tribunal: nec barathrum vbi ſontium corpora iaciebantur ſumto ſupplicio, quale Romæ *Saxum Tarpeium*. Nam *barathrum* cum alio loco comparabant, quem Lacedæmonii κίαδας appellabant, aut cum altero, quem Plutarchus ἀποθέτας vocat. Ex hoc tribunali cognoſcebant iudices delicta ab exſulibus commiſſa, vt homicidia in exſulio perpetrata. De Etymo Lexicographi, Suidas, & Harpocration. Nunc interpretum ſententias colligamus. Vetus interpres, quo vſus eſt D. Thomas, ſic:

I. *Quartum autem quæcunq; fugientibus in diſceſſu feruntur homicidia, velut Athenis dicitur, & quod in puteum compulit iudex.* Hic mira congerit Scholiaſtes Leonard. Aretinus, quæ huc non transfero.

II. Secundus verò ita reddidit: *Et quos pro homicidio exulantibus circa reditum ſtatuuntur, vt Athenis dicitur, & in Phreatum iudicium.*

III. Ioan. Sepulueda vir doctiſs. ſic tranſtulit: *Quarta ſpecies eſt reorum capitis, quorum cauſſa ad ſubterraneum carcerem referatur, quale Athenis eſt tribunal, quod Puteale vocatur.* Et explicat Athenis fuiſſe ſubterranea iudicia ad audiendos eiuſmodi reos detruſos in loca ſubterranea, obſcura & triſtia. Sed hæc Ariſtotelis neq; Demoſthenis verbis ſatis reſpondent, aut cum alio nemine. Sed, vt apparet, non meminit loci Demoſthenis.

IV. Pet. Victorius ſic: *Quartum autem quæcunq; reis cædis, vt redeant intenduntur, veluti Athenis dicitur & curia vocata ἐν Φρεάτῳ.* Explicans verò ſubiicit: ſcilicet aliqui, qui ſolum non vertunt ob cædem, cupiunt redire, ſeq; iis iudicibus committunt, vt ſi cauſſam probarint, poſſint domi manere; ſin minus, ſupplicio afficiantur. Dubitari hic poteſt, hæc an ad Ariſtotelem pertineant, nam ad Demoſthenem nihil pertinere certum, & nihil ad puteum & locum ſubterraneum.

V. Dionyſius Lambinus Demoſthenem potius vertere videtur: *Quartum*, inquit, *maleficium eſt, cuius crimen infertur iis, qui ob cædem non voluntariam exſulabant, ab exſulio reuocatis, vt capitis cauſſam dicant. Quale dicitur Athenis eſſe etiam id iudicium quod exercetur in Phreattone.*

Dubitari itaq; non poteſt, quin iudicium tribunalq; vt Demoſthenes, ſic Ariſtoteles intellexerit. Quæri tamen queat, rectène ſubterraneum locum, carcerem & puteum intellexerint. Lambinus cum vertit *Phreattone*, fecit quantum coniicio nominatiuum Φρεαττὼ, vt λητὼ, διδὼ: itaque Latinè inflectit, vt *Didonis*, *Calypſonis*. Pauſanias in Atticis nominatiuum aut eſſe Φρεαττὸς, Pitæci portum, aut in eius finibus. Romani quoque Græcorum

æmuli *Puteal* in Porcia Basilica iuncta curiæ Hostiliæ non procul ab arcu Fabiano, vbi prætor ius dicebat, agnoscunt, cuius & meminit Halicarnasseus lib. III. Antiquit. Rom. & Q. Horatii veteres nouiq; interpretes ad lib. II. Sat. VI.

Roscius orabat sibi adesses ad puteal cras.

Historia de Catone *explicata, Appuleius correctus.*

CAPVT II.

CVm aduersarii Appuleio accusato obiicerent, quod paucis famulis stipatus incederet, Æmilianus id non solum Philosophorum, quorum in numero se haberi vellet, more factum, sed & præstantissimorum Impp. rebus bello togaq; gestis illustriũ, Marii, Curii, Carbonis, M. Antonii, & M. Porcii Catonis. de quo sic Apolog. I. *M. Cato nihil opertus, vt alii de se prædicarent, ipse in Oratione scriptum reliquit, cum in Hispaniam Consul proficisceretur, tres seruos solos ex vrbe duxisse, quoniam ad villam publicam venerat, parum visum quo vteretur, iussisse duos pueros in foro de mensa emi, eos quinque in Hispaniam duxisse.* Historiam assequor, quam à Liuio lib. XXXIII. & Val. Max. lib. IV. cap. III. explicatam didici; quamquam hic tribus dumtaxat comitatum profectum ait, sed verba in Madaurensi scriptore me remorantur. Lego: *Quom iam ad villam publicam venerat, parum visum queis vteretur. De mensa* verò adhuc quærimus, quid sit, vnde mancipia à mangonibus vendebantur? An catasta, in qua cretatis pedibus serui venibant? qualis Athenis erat, teste Pausania: An in mensa subhastatio? Vide Festum *in celibaris hasta.* an lapis, in quo præco stabat & præconium faciebat? de quo lib. II. Milesiar. *Conspicor medio foro procerum quendam senem, insistebat lapidem, claraq; voce prædicabat.* Et Plautus Bacchidib.

Stulte nescis nunc vendite, atq; in eo ipso
Astas lapide, vbi Præco prædicat.

Villam autem *publicam* locum in campo Martio accipio auctoritate T. Liuii, Val. Maximi lib. IX. c. II. de Corn. Sulla. Nec enim villam habuisse censorem verisimile est (quamquam agricola esset) cuius vita ipsa erat Censura morum. Villam autem *publicam* fuisse *Campum Martium* declarat P. Victor de regionibus V. Ro. Reg. IX. *Villa publica*, inquit, *vbi primum populi census est actus in campo Martio.* Ere nata illud adiungam, quod de eodem Catone refert Plinius lib. XIV. Cap. XII. *Cato cum in Hispaniam nauigaret, vnde cum triumpho rediit, non aliud, inquit, vinum bibi quàm remiges.* Eadem Plutarch. in Catone, & Apophth. & Frontinus lib. IV. cap. III. Vno etiam Cantherio vehi solitum, hippoperis etiam impositis, auctor Seneca, frugi & ipse

ipſe homo, Epiſt. LXXXVIII. Ipſe quoque in ea quam ſcripſit de ſuis virtutibus contra Thermum, apud Feſtum *in Pepaſtinare*: *Ego*, inquit, *iam à principio in parſimonia atq; induſtria omnem adoleſcentiam meam abſtinui, ſaxis, ſabinis, ſilicibus repaſtinandis, atq; conſerendis*. Addo corollarii vice, quod ab Appuleio eſt prætermiſſum, de Scipione Africano Iuniore, duos ſeruos, præter C. Lælium familiarem, vel, vt alii tradunt, Panætum Philoſophum ſecum ducente, cum ad exteros reges legatione fungeretur, propter piratas Cilices, qui mare infeſtabant, vel ad ſociorum regna inſpicienda, vt ait Iuſtinus lib. XXXVIII. Quinque verò duxiſſe auctor Athenæus lib. VI. & Plutarchus Apophth. Septem verò comitatum fuiſſe Valerius Max. lib. VI. cap. III.

Caſtigantur quatuor Plutarchi loca aliis intacta. Manuum pedumque digiti *variis nominibus.*

CAPVT III.

NAvarunt quidem bonam Plutarcho operam nuper Germani duo, ſed qui poſteris ſpicas etiam colligendas dederint: At

I. *Nemo*, inquit togatorum doctiſſimus, *meritò eſt reprehenſus, qui aliis ſpicam reliquerit*. En tibi in præſens è multis paucas. In Laconum inſtitutis *Archilochi*, à Spartanis, vt ῥιψασπίδων reprehenſi, verſus adfert, ſed hiatibus deformes, quos ex Ariſtophanis εἰρήνῃ, Strabone lib. X. & XII. Sext. Empirico lib. III. Pyrrhon. Andr. Alciatus explere conabatur, non probante tamen Mureto:

ἀσπίδι μὲν Σαΐων τις ἀγάλλεται ἣν παρὰ θάμνῳ
ἔντος ἀμώμητον κάλλιπον οὐκ ἐθέλων.
ψυχὴν δ᾽ ἐξεσάωσα φεύγων, ἀσπὶς ἐκείνη
ἐρρέτω ἐξαῦθις κτήσομαι οὐ κακίω.
Nunc aliquis Saiûm noſtra ſeſe aſpide iactet
Quam liqui ad dumum non ego ſponte mea.
Seruaniq; animam fugiens, clypee ergo valeto,
Proximus haud vllo tempore peior erit.

II. In Romanis Quæſtionibus pag. *275*. Διὰ τί τῶν οὐινεραλίων τῇ ἑορτῇ πολὺν οἶνον ἐκχέουσιν ἐκ τοῦ ἱεροῦ τῆς Ἀφροδίτης. repono οὐιναλίων, pro *Vinalibus feſtis*, quæ in vetere Kalendario Rom. (quod in ædibus Maffeiorum ſpectatur) ante diem IX. Kal. Maias, & XIV. Kal. Septemb. agebantur. Meminitque M. Varro de Re R. & Plinius lib. XIIX. cap. XXIX. Fefellit interpretes templi Venerii in hac quæſtione mentio. Non video tamen quænam ſint *Veneralia*, quorum Kalendarium Rom. non meminit, & cur vinum ἀφροδισίοις effunderetur.

III. Tranſeo ad vitas parallelas. In vita Ciceronis extrema legitur, τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τῶν γενείων ἁπτόμενος, ἀτενὲς ἑώρα τοὺς σφαγεῦσι αὐχμοῦ καὶ κόμης ἀνάπλεως,

πόλεως, καὶ συνεστηκὼς ὑπὸ φροντίδων τὸ πρόσωπον. Interpretes quidem rectè vertunt *situ & squalore obsitus*, locum tamen corruptum in Græco non viderunt, emendarim itaque κόνεως pro κομῆς.

IV. Libro περὶ ἀδολεσχίας Chream hanc lepidam de concordia, sed vitio contaminatam, apponit: Ἡράκλειτος ἀξιούντων αὐτὸν τῶν πολιτῶν γνώμην τινὰ εἰπεῖν περὶ ὁμονοίας, ἀναβὰς ἐπὶ τὸ βῆμα καὶ λαβὼν ψυχροῦ κύλικα, καὶ τῶν ἀλφίτων ἐπιπάσας, καὶ τῷ γλήχωνι κινήσας ἐκπιὼν ἀπῆλθεν. Rescribo *indicem digitum* λιχανῷ: non enim hic *pulegium* quadrat, non minus quam ignis aquæ. Hinc illud etiam colligo non rectè *medicum* dici *digitum* minimo proximum, sed indicis quoque officium hoc fuisse ex Heracliti facto apparet. Digitorum autem hæc ferè Græcis apud Pollucem nomina. Manuum quidem, μικρὸς, qui Latinis *minimus*: huic proximus παράμεσος nobis minimo proximus. Nam *annularem* & *auricularem* docti non agnoscunt, vt nec ego *medicum digitum*, qui ex vetere Horatii interprete à Politiano Miscell. cap. *62.* profertur, sed vt dixi ex hoc Heracliti facto, indicis hoc est etiamnum hodie officium, etsi non inficior annulum gestari solitum παραμέσῳ, quòd inde neruum tenuissimum ad cor pertinere ex Ægyptiorum disciplina Appion tradat apud Agellium lib. X. Noct. cap. *10*. Post hunc μέσος *medius*: & deinde λιχανὸς à *lingendo*, qui Latinis *index*, quod eo ostendentes vti soleant. Dictus & *salutaris*; vt alter *medius*, infamis quoque, *verpus & impudicus*. Quintus est ἀντίχειρ δυσόνδυλος, cum alii τριχόνδυλοι sint: & *pollex* Latinis à *pollendo*, vt Græcis μέγας & ἀντίχειρ, quod vnus sit reliquorum instar omnium. Pedum quoque digiti perinde numerantur, vt *pollex* μέγας sit: nam ἀντίχειρ dici non potest: & huic proximus, & medius deinceps, & proximus medio, & minimus μικρός. C. Plinius lib. VII. Nat. hist. cap. *2*. *Pyrrho Regi pollex in dextro pede, cuius tactu lienosis medebatur, hunc cremari cum reliquo corpore non potuisse tradunt, conditumq; .... in templo.* Quæ copiosius idem Plutarchus in Pyrrhi vita commemorat, quem locum digito indicasse sufficiat. Addam de annulis osculandis ritum, aliis fortasse indictum, etsi non ignoratum. Vt enim olim adorantes osculum ad manum sibi adferebant, hodieque salutantes idem seruant, sic & amantes inspiciendum inuicem annulum cum osculo excipiebant. Ita enim interpretor Ennianum illud apud Isidorum lib. I. Originum seu Etymologiarum cap. XXV. de signis digitorum: siue Næuii est in Tarentilla, cui Pompeius Festus tribuere videtur: siue id vtrique, vt fit, in mentem venit; qualia & M. Accius Plautus in Asinaria Act. IV. Sc. I. continet, de impudica omnes mulieres: vt Salomon Prouerbiorum VI. cap. Sed Ennii apponam versus:

Alium tenet, alii nutat: alibi manus
Est occupata: alii percellit pedem:
Alii dat annulum spectandum à labris.

Significat nimirum detractum à digito annulum labris osculando imprimere solere: deinde amicis spectandum porrigere. Sic & apud Plautum ille stipulatur de amica: *Spectan-*

Spectandum ne cui annulum det, neq; roget.

Et Tibullus Elegia VII.

Sæpè velut gemmas eius signumq; probarem,
Per causam memini me tetigisse manum.

Senecæ Philosophi Epistola XIII. XIV. & XV. è Poetis illustratur. Ornamenta, *gladiatorum arma.*

CAPVT IV.

SEneca Lucilio persuadens, non esse seruiendum corpori, enumerat mala quibus miserum corpus vndique cingitur.

I. *Naturalia mala quæ retuli inopia atq; morbi, silentio subeunt nec oculis nec auribus quidquam terroris incutiunt.* Imitatus est Hesiodum, qui silentio morbos venire ait, à Ioue enim vocem iis ademptam esse:

Νοῦσοι δ' ἀνθρώποισιν ἐφ' ἡμέρῃ ἠδ' ἐπὶ νυκτὶ
Αὐτόματοι φοιτῶσι κακὰ θνητοῖσι φέρουσαι
Σιγῇ, ἐπεὶ φωνὴν ἐξείλετο μητίετα Ζεύς.

Et Virgil.

——*subeunt morbus tristisq; senectus.*

II. Paulò pòst: *Cogita hoc loco carcerem, & cruces, & aculeos illam tunicam alimentis ignium & illitam & intextam.* Horrendum relatu supplicii genus hic tangit: tunicam scilicet pice, resina, aliisque ignis alimentis delibutam, quam induebantur nudis corporibus cruciandi, ita vt vndique hæreret; tum subiecto igne viui, & tædæ in morem ardentes in cineres redigebantur. Iuuenalis Sat. VIII. v. 235.

Ausi quod liceat tunica punire molesta.

Et Martialis:

In matutina nuper spectatus arena
Mucius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens fortisq; tibi, durusq; videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes:
Nam cum dicatur tunica præsente molesta
Vre manum, plus est dicere, non facio.

Molesta tunica vtrique Poetæ dicta, quia lento ardebant igne.

Et Corn. Tacitus XV. Annali de Christianis supplicio affectis: *Et pereuntibus adiecta ludibria, vt ferarum tergis contecti laniatu canum interirent:* Ex Tertulliano plura hic Lipsius. Talis & in tauro Phalaridis pœna exstitit, Prouerbioque locum dedit: similiaque ingeniosa cruciatuum genera.

III. Inferius: *Difficile temperamentum est, verendumq; ne in contemtum nos inuidia timor transferat.* Huc pertinet illud Horatii:

Inui-

Inuidiam placare paras virtute relicta;
Contemnere miser. ——

Nodus hinc ad enodandum perdifficilis, in quo sudat Lipsius, vt in acutis solet, feliciter. Conemur tamen, vt alias nonnunquam, vt interpunctione seu interrogatione locum planiorem reddamus, nihil interim, vt ille, argute truncantes. Sic enim Philosophus è Stoa: *Quid tua, vter vincat? Melior vincere non potest:* (imo potest. Igitur) *Potest esse peior, qui victus fuerit.* (Demus ita esse. Ergo) *Non potest esse melior qui vicerit?* Ad M. Catonem verba sunt, in ciuili Cn. Pompeii & C. Cæsaris discidio belloque animi pendētem, cum Cicerone, qui in Epistolis ingenue, etsi Pompeianus esset, subuereri tamen se significat eius, si vicisset, tyrannidem: vt quem fugiat, probe cognoscat; quem sequatur, ignoret. De Catone huc Martialis refero Epigram. IIX. libri I. de Deciani dogmate:

Quod magni Thraseæ, consummatiq; Catonis
Dogmata sic sequeris, talis & esse velis;
Pectore nec nudo strictos incurris in enses:
Quod fecisse velim te, Deciane facis.
Nolo virum facili redimit qui sanguine famam:
Hunc volo laudari qui sine morte potest.

IV. Sub finem Epistolæ: *Ars ei constat, qui per ornamenta percussus est.* *Ornamenta* vocabantur gladiatorum arma vt apud Plautum Captiuis, Act. III. Sc. 4. *Ornamenta absunt: Aiacem, hunc cum vides, ipsum vides.* Item vestem significat Scenicam: Idem in Persa, Act. I. Sc. 3. *Ornamenta πόθεν? abs chorago sumito.* Et Trinummo Act. 4. Sc. I. Plura suggeret idem Lipsius lib. II. Saturnal. cap. XVII. & lib. II. Epistolicarum Quæstionum Epist. X. & Ia. Gruterus ad lib. IV. Natural. Quæst. Senecæ, Præfat.

V. Epistola insequente: *Copiâ ciborum subtilitas animi impeditur.* Horatius prius idem dixit:

——*Corpus onustum*
Hesternis vitiis animum quoq; degrauat vnà,
Atq; affligit humi diuinæ particulam auræ.

VI. Mox ibidem: *Accedunt homines quibus ad votum dies est actus si in locum eius quod effluxit, multum potionis alterius ieiuno gutture ingesserunt.* Ieiuni namque Romani bibere solebant, quo statim vomerent, Martialis:

Nec cenat prius aut recumbit ante
Quam septem vomuit meri deunces.

Et Iuuenalis Sat. VI. v. 425.

——*Tandem illa venit rubicundula, totum*
Oenophorum sitiens, plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter

Duci-

Ducitur ante cibum, rabidam facturus orexin,
Dum redit, & terram lato ferit intestino.
Marmoribus riui properant: aut lata Falerno
Peluis olet; Nam sic tanquam alta in dolia longus
Deciderit serpens, bibit & vomit. ——

VII. Sequitur: *Bibere & sudare vita Cardiaci est.* Nam ἡ καρδία καὶ διάθεσις τοῦ στομάχου πάθος ἐστὶν ait Trallianus lib. VII. cap. II. Καρδίαν enim sæpè vocabant *stomachum*, id est, os ventriculi. Cardiaci autem immodico sudore diffluunt, & crebro vini potu fouentur. C. Plin. lib. XXII. *Cardiacorum morbo vnicam spem in vino esse certum est.* Idem Iuuenal. Sat. V. v. 32.

Cardiaco cyathum nunquam missurus amico.

Reducamus iterum sursum versum funem, Epistola XIII. *Omittamus*, inquit, *hæc magna verba, sed Dii boni, vera.* Obtestantis est formula, *Dii boni*, vt *Dii magni* Catullo:

DI magni, horribilem & sacrum libellum!

Et Nasoni:

Oscula, DI magni, trans mare digna peti.

Mox Seneca: *Quid est quod trepident, quid est quod contagium quoq; mei timeant, quasi transilire calamitas possit?* Membranæ nostræ, *quasi transire calam. possit*, melius, vt puto, vt idem Ouidius:

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi
Multaq; corporibus transitione nocent.

Infra; *Nulli tam perniciosi, tam irreuocabiles, quam lymphatici metus sunt: cæteri enim sine ratione; hi sine mente sunt. Lymphatici* dicti metus, quia putabantur à Nymphis immitti. Nymphæ enim & Lymphæ eædem. Tales & *Panici terrores*, in Prouerbiis.

Quod hic autem de futurorum angore & metu ne conficiamur philosophatur argute, eadem & de Diuinatione M. Tullius disputat. Quod ait: *Quid futurum sit videbimus: hodie nihil negotii habet:* illud nimirum est quod Saluator ait Matthæi VI. v. 34. Ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς. *Sufficit diei malitia sua.*

In Plinio lectio germana; mendis sublatis restituta.

CAPVT V.

M. Porcii Catonis Vticensis & L. Scipionis Asiatici exemplis docet Plinius in Præfat. benè sibi conscios nullius iudicium, recti conscientia fretos iustitiaque subnixos, reformidare.

I. *Adeo summum quisque causæ suæ iudicem facit, quemcunq; eligit, vnde prouocatio appellatur.* Extrema hæc verba purpuræ assutus pannus mihi videntur. &

 ex ora

ex ora in feriem irrepsisse, vel si mordicus retineri placet, per me licet, modo aut vncis, tanquam cancellis, includantur, aut *expellatur* legas. Arbitrabitur eruditus Lector.

II. Mox quoque tria illa verba, *immensa prater cateras* aberant à Toletano Codice, & item Murbacensi rectè.

III. Post inferius: *Nos quidem omnes patrem, te fratremq; diximus, opere iusto, temporum nostrorum historiam orsi à fine Aufidii Bassi, vbi sit quaeres, iam pridem peractu sancitur.* Sic in vulgus editi ad vnum omnes: diuinabam legendum, vt Metaphora similis esset: *Nos quidem omnes patrem, te, fratremq; texuimus opere iusto.* Hoc est, magno volumine. Eadem & Plinius minor Epist. ad Macrum V. lib. III. de Historia librorũ XXXI. à fine Aufidii Bassi. Rursum legi, *vbi ea sit quaris? iampridem peracta sarcitur.* Nam *sancitur* impeditam violentamque sententiam continet, siue à sanctione legum, siue à sacris deriues. Cicero sic lib. I. Academic. *dum Reip. non solum cura, sed quaedam etiam procuratio multis officiis implicatum & constrictum tenebat, hac inclusa habebam & ne obsolescerent, reuocabam, cum liceret, legendo.* Sic *texere, ordiri,* & *sarcire,* confinia sunt, scriptisque accommoda. Cicero in Maniliana, & in Culice Virgilius eis vsi sunt. *Dicere* porro prædicare non inficior ita Poetis & Oratoribus attribui, quin & Geographis. Mela enim: *Orbis situm dicere aggredior* pro describere, depingere. Sed hæc omnia Arbitrarii iuris, à quo prouocare liceat.

IV. Pòst paulò: *Cum præsertim sors fiat ex vsura.* Impeditum sensum continet. Equidem Iurisconsultos appello. Interpretantur alii: *præsertim cum sors tibi integra etiam remetienti vsuram, reliqua sit.* Hoc est, ex vsura persoluta sors tamen integra tibi maneat. Ego verò sic tentabam: præsertim cum vtendo iis scriptoribus arbitratu tuo, si mutuum agnoscis vsuræ & facinoris nomine tantum lucri feceris, vt sortem vsura exæquet. Nam vt M. Tullius ait, *si agnoscis, mutuum est; si non agnoscis, furtum.*

V. Mox: *Scito conferentem me auctores deprehendisse à iuratissimis & proximos veteres transscriptos ad verbum neq; nominatos.* Solicitant hanc lectionem doctissimi viri, qui *à furacissimis* rescribunt. Equidem contra libros retineo editam scripturam, non eo sensu quem merito reprehendi video, sed commodiori. *Iuratus* enim & Tullius dixit, & Græci ἀιωνήτως vocant, Plinius vocum nouator, quid mirum si superlationis gradu, vt aliàs sæpè, hoc sit vsus loco.

In Plutarchi Sympofiacis lacuna expleta. ὡς ἴσον ἐἰπεῖν. Euripidis locus, duo idem Themistii illustrati.

CAPVT VI.

Magna certè labes in lib. III. συμποσιακῶν Plutarchi in Aldina editione conspiciebatur, paginis aliquot scripti libri in compaginando, vt fit, transpo-

sitis

ſitis, quod & doctiſſimus Ant. Auguſtinus in Florentinis illis Pandectis, & Angelus Politianus vſu-veniſſe docuerunt. Eam verò Germani feliciter ſarciuerunt, adiuti vt opinor, fideliori Codice. Erant enim in præfatione lib. IV. quæ ad caput IV. lib. tertii pertinebant. In hoc verò quæ ad ſextum caput referenda, ex quo rurſum libri IV. præfatio integranda erat. Sic igitur in Baſil. & ea quæ omnium accuratiſſima putatur, Stephani editione Græca: Ὦ Σόσσιε Σενεκίων, τοῦ Πολυβίου Σκιπίωνι παραινοῦντος Ἀφρικανῷ, μὴ πρότερον ἐξ ἀγορᾶς ἀπελθεῖν, ἢ φίλον ἕνα ποιήσασθαι [συνέγγυς ὄντα τῶν πράξεων τῶν πολιτ.] Quæ poſtrema, quia huc non pertinent, à capite VI. lib. III. auulſa eſſe deprehendi ex Aldino maximè, licet corrupto, exemplari. Vt enim qui arboris fructus incautè legunt, ſurculos ramoſque ſæpè diuellunt, pluraque quàm velint decerpunt, idem hic accidiſſe video. Reuocanda igitur, & collocanda extremo ſexto tertii libri capite, περὶ καιροῦ συνουσίας, vbi loco ſuo vi mota, alienum occuparunt. Reponatur itaque ſic: ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον εὐλαβείας τὸ συνέγγυς ὄντα τῶν πράξεων τῶν πολιτ. ἀφροδισίοις χρῆσθαι, μήτε ἄγαν μετέωρον τὸ σῶμα καὶ κεκλονημένον. Quod ego, niſi diligentiſſimos etiam interpretes, Xylandrum, Cruſerium, & Stephanum fugiſſet, à Iunio etiam omiſſum eſſet (forte quod medicus ille ex Hippocratis ſententia, depoſitis medicinam eſſe minimè faciendam putarit) indignum his Annotationibus cenſuiſſem. Illud eſt etiam à Xylandro prætermiſſum: πολλοὶ δὲ ἕκαστον ἀγῶνες ἐκδέχονται δι' ἡμέρας, γυμνασία δὲ ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἅπαντας. Niſi forte elegantem illam formulam (Ioachimum Perionium in lib. IV. Ethic. Nicomach. Ariſtot. ſecutus) ſemper omittendam eſſe cenſuerit, cum tamen M. Tullius in Timæo reddiderit, *quod ritè dicitur*. Moſchopulus autem de vocibus Atticis exponit ἀντὶ τοῦ ὡς ἐν λόγῳ. Æſchyli verò Scholiaſtes in Perſis, ἐν συντόμῳ λόγῳ, pro *vt vno verbo dicam*, & *breuiter*, vel, *vt ita dicam*. Euripides initio Oreſtis:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν, ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲ πάθος, οὐδὲ συμφορὰ θεήλατος,
Ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Nihil, inquit, (*vt vno verbo eloquar*) *dirum ac terribile eſt; neq; morbus, neq; à Diis inuecta calamitas; cuius grauitati hominum conditio ac natura expoſita non ſit.* Quos tres verſus cum Euripides Oreſten doceret, fertur reuocaſſe Socrates, vertitque apud Ciceronem Tuſculana IV. Pacuuius, non Cicero: ſed primo verſu non ſatis ex fide illud ὡς ἔπος εἰπεῖν, vt Muretus obſeruat lib. VIII. Variarum Lect. cap. 16.

Neq; tam terribilis vlla fando oratio eſt,
Neq; ſors, neq; irâ cælitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

Libet nunc alterius Philoſophi Themiſtii, ob eloquentiã Euphradę cognomẽto bina loca coronidis vicem apponere. Is prima Orat. quę βασανιστής, ἢ φιλόσοφος

inſcribitur, pag. 7. H. Steph edit. de Philoſopho & Logico: οὐ τὰ ὁμώνυμα διΐστασι, ἢ οὐκ διΐστασι, καὶ ᾗ διαφέρει τι διότι καὶ καθότι, καὶ τὰ τοιαῦτα ἄλλα ἀτεχνῶς σκολιὰ καὶ λοξὰ ῥήματα τῆς Ἀριστοτέλους διαλεκτικῆς. Typographorum tamẽ ὁ σίφαιρος λοξὰ, aut κολοβὰ reponendum cenſuit. Neutrum mihi quidem adblanditur. Quid ſi νωδὰ, id eſt, *edentulam*, vt ſic dixerim, quæ vicinior ſcriptura eſt, legas? Dionyſius Petauius noſter, cui Syneſius perpetuo eſt debiturus, deprauatum locum & ipſe animaduertit, tentabatque φοβερὰ pro λωβὰ voce nihili reponere. Meum mihi placeat. Arbitrentur doctiores: Mox in ea ipſa Orat. pag. 9. v. 8. Ἐπὶ αἰθρώπων δὲ παροφῶμεν, καὶ οὐκ οἰόμεθα ζωιέχειν: Suſpecta hæc vox ζωιέχειν. Equidem pro *referre*, & *intereſſe* exponendum duxerim hoc modo: *In hominibus vero negligamus. Neque in iis referre arbitremur.* Dion. Petauius noſter, quaſi δύναμιν ἔχειν eſſet, reddidit: *Nec in iis vim habere arbitramur.*

Aſphodelus. *Galenus emendatus. Nicander expoſitus.*

CAPVT VII.

Eſſe quaſdam herbas, quæ bis quotannis, & quaſdam quæ ter floreant, vt Scylla, & Narciſſus, & roſæ Peſtanæ apud Maronem, aſſeruit Theophraſtus, & Plinius ex illo, item Dioſcorides. De Scylla ſiue ἀσφοδίλῳ in Theriacis ſic cecinit Nicander Poëta & Medicus inſignis:

> ἄγρει δ' ἀσφοδέλοιο διάνθεος ἄλλοτε ῥίζαν.
> *Tu quoque florentis radicem velle rotundam*
> *Aſphodeli.*

Vbi Latinus interpres Gorræus, non rectè διάνθεος *florentis* vertit, cùm *Tu bis florentis* vertendum eſſet. Galenus autem libro de ſimplic. Medicam. facult. *Aſphodeli* ſpeciem eſſe Scyllam ait, qui adeo medicos torſit, vt aliam aſphodeli ſpeciem fingere cogerentur, ſalua vt Galeni eſſet opinio, cum vnica ſit. At cùm ille Dioſcoridis adeo familiaris eſſet, nullus vt maior Galeno præco illius exiſtat, & frequentior, in Dioſcoride reperi Aſphodeli ſimilem eſſe γλυκυρίζα, quæ vox in σκυλακίδα perperam degenerauit, deprauatis, vt ſæpè fit literis: itaque diuino legendum. Heſiodus initio ἔργων:

> Νήπιοι, οὐδ' ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς
> Οὐδ' ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ' ὄνειαρ.
> *Stulti quos latet, vt toto ſit dimidium plus*
> *Et quanta in molli malua aſphodeloq́ voluptas.*

Thomas Magiſter: ἀσφόδελος planta, ἀσφοδελὸς verò locus ea herba conſitus, vt Greg. Theologus in funebri Baſilii laudatione: οὓς ἀσφοδελῶν λειμώνων καὶ Ἠλυσίων πεδίων ἠξίωσαν Ἕλληνες.

Antequam verò Theriaca Nicandri de manibus deponam, aliud annotare viſum, vbi de venenatorum morſu agit.

δήποτε

H. δήποτε δ' ἢ βλωθροῖο πυρίτιδος εὔχλοα φύλλα,
ἢ σκολοπενδρείοιο φέρειν ἀπὸ καυλὸν ἀμήσας.

quæ sic reddo:

Atque virens foliis miscenda tenella pyritis
Aut scolopendra recens, exempto caule, ferenda.

Quod de *Scolopendra* aut scolopendrio dixit, mirum non animaduertisse Scholiasten Græcum. Ait enim exempto caule, iniiciendam hãc herbam, quæ ne per somnium quidem caulem gerit. Quod sanè à Poëta velut per iocum, & εἰρωνικῶς, aut per ἀντίφρασιν, dictum esse arbitramur. *Scolopendrium* verò nostri auratam herbam (quòd dorsum eius, veluti aureis litteris refulgeat) nominant: vel potius error Nicandri fuit. Io. Gorræi interpretatio scopum non attingit:

Crescentis viridem nonnunquam carpe pyrethri
Cæsariem, aut missum scolopendri porrige caulem.

Immensum-quantum. *C. Plinii locus à duorum Criticorum correctione vindicatus.*

CAPVT VIII.

DE saltu Pyrenæo Plinius lib. IV. cap. XX. *Immensum quantum hinc Oceano, illinc Iberico mari comprimentibus.* Ferdinandus Nonius Pintianus, homo eruditissimus, *cuneatum* pro *quantum* reponebat: à quo dissentit familiaris eius Io. Genesius Sepulueda Cordubensis, ac per epistolam *immissum quantum* reponebat lib. III. Epist. XLV. Verùm non ego

Hos inter tantas ausim componere lites.

Sed offendit fortasse grauissimos viros formula pueris iam trita; *immensum, immane*, & *nimium quantum* apud Ciceronem, Sallustium, Horatium, Liuium, Symmachum, reliquos, quos non describo, valde familiaris. Illud modo: à Græcis eam dicendi formam vt pleraq; ad Latinos fluxisse: quippe qui θαυμαστὸν ὅσον ἤθελω, pro *mirum quã*, Demosthenes aliiq; venustè vsurpant. Lucianus de Historia componenda: ὡς ἐλπίσαι θαυμαστὰ ἡλίκα μετὰ ταῦτα ἀκούσεσθαι, *vt iam quadam exspectent miracula.* Et per οἷον καὶ ὅσον ibidem: ἀλλ' ὀξὺ δεδορκὼς οἷος ἐπὶ πράγμασι χρήσασθαι εἰ ἐπιτραπείη. Et mox: οὐδ' οἷος πιστεύειν μόνον τοῖς ἀπαγγέλλουσι: hoc est: *Qui & rebus satisfacere possit.* Et, *cuius fides non pendeat de narrationibus aliorum.* Tale Platonis illud lib. VI. de Republ. Εἴη δ' ἂν καὶ ὁ τοῦ ἡμετέρου ἑταίρου Θεάγους χαλινὸς οἷος κατασχεῖν. *Fuerit & mirificum in cohibendo frenum illud amici nostri Theagis.* Vel (vt οἷος significet παράδειγμα) *In coercendo quoq; multum valuerit frenum, quale Theagis amici nostri.* Minuta hæc: non inficior: sed qualia hodieq; à longe doctioribus in medium adferri consueuerunt. Plura vero de *nimium-quantum*

 in Cice-

in Cicerone V. de Finib. corrupto, & in Agellii Noctib. Atticis, legas licet Commentario II. Antiquatum lectionum Lud. Carrionis I. C. cap. XII.

Ἀναγκοτροφεῖν quid. Gladiatorum sagina, Athletarum abstinentia, Euphrates disertus Philosophus. Epictetus quà emendatus, quà illustratus.

CAPVT IX.

ROgatus aliquando, ecquidnam esset illud in vulgus ignotum in Epicteti ἐγχειριδίῳ, *ἀναγκοτροφεῖν* in his verbis: *θέλεις ὀλύμπια νικῆσαι, κἀγὼ νὴ τοὺς θεούς· κόμψον γάρ ἐστιν. ἀλλὰ σκόπει καὶ τὰ καθηγούμενα, καὶ τὰ ἀκόλουθα. καὶ οὕτως ἅπτου τοῦ ἔργων. δεῖ σ' εὐτακτεῖν, ἀναγκοτροφεῖν, ἀπέχεσθαι πεμμάτων*, &c. Nam quod Politianus reddit, perinde mihi inauditum est, vt Aborigenum verba videantur, *ingratis edere, abstinere bellariis*. Respondi, *ingratiis* priscam honestamq; vocem esse: quales fere studiosè facit Angelus, vt apponat delicatioribus palatis, T. Lucretio, Plauto, Terentio, Nepoti in Themistocle usitatam, pro *inuitè, & velit nolit necessariis vesci*: Hæc de voce. De re illud occurrebat, quod olim in M. Fabio obseruaram, è certis ciborum diariis saginari à lanistis solitos Gladiatores, non quæ valetudini paucis contentæ, sed corpori corroborãdo responderent. Hic Aristotelem VIII. Polit. modò *βίαιον τροφὴν* modò *ἀναγκοφαγίαν*, vt & Clem. Alexand. lib. II. pædag. vocasse, quòd plus etiam quam habitudo corporis & ventriculus posceret, edere cogerentur. Cyprianus Martyr epist. ad Donatum, quæ de gladiatoribus est: *Implentur*, inquit, *in succum cibis fortioribus corpus, & arvina toris, membrorum moles robusta pinguescit, vt saginatus in pœnam carius pereat.* Idemq; Martyr lib. de spectaculis: *Prima victoria est vltra modum humani ventris esurire potuisse, super titulo corona edacis, flagitiosa nundina, ictibus infelix facies locatur, vt infelicior venter saginetur.* Quintil. *Alebat deuotum corpus prauior omni fame sagina.* Inde Tacito, *Gladiatoria sagina*. Et Propertius *saginæ* nomine ludum gladiatorium intelligit,

Qui dabit immundæ venalia fata saginæ.

Vt meritò iam inde ab initio crescentis Ecclesiæ, in id genus hominum vt perniciosum inuecti sint Tertullianus libro de Spectaculis: & ad Martyres, Hieronymus in VI cap. Amos, Basilius Hom. LII. & LIV. aliique.

Quin ipsi quoq; Athletæ se vltro saginabant, vt tantò in luctando currendoq; maiores vires & validiora latera cõpararent, vt apertè ex Euripide Galenus (idq; ex Hippocratis lib. de Alimento, & explicat copiose ad Thrasibulum, & in Aphorismum 3. lib. 1.) *ἐν προτρεπτικῷ πρὸς τὰς τέχνας* docuit, & Athenæus lib. X. p. 204. Bas. Adscribam, vt emendatiores versus illos in Galeni Orat. Ferd. Iamotius Medicus & Poëta excellens Lutetiæ euulgauit:

Κακῶν

Κακῶν γὰρ ὄντων μυρίων καθ' Ἑλλάδα
οὐδὲν κάκιόν ἐστιν ἀθλητῶν γένους,
οἳ πρῶτα μὲν ζῆν, οὐδὲ μανθάνουσιν εὖ,
οὔτ' ἂν δύναιντο. πῶς γὰρ ὅστις ἔστ' ἀνὴρ,
γνάθου τε δοῦλος, νηδύος θ' ἡττημένος
κτήσαιτ' ἂν ὄλβον εἰς ὑπεκτροφὴν πατρός; Et mox:
τίς γὰρ παλαίσας εὖ, τίς ὠκύπους ἀνὴρ,
ἢ δίσκον ἄρας, ἢ γνάθον πλήξας καλῶς,
πόλει πατρῴᾳ στέφανον ἤρκεσεν λαβών;

Eras. in interpretatione sic numeris reddidit; parcam itaq; operæ quãdo alias tam feliciter eiusdem Tragici Hecubam & Iphigeniam metro conuertit:

Innumera cum sint mala per omnem Græciam,
Haud aliud vllum est peius Athletis genus.
Primum ii domi sibi consulunt parum bene,
Nec liceat. Etenim quomodo vir qui siet
Gulæq; seruus, atq; ventri deditus,
Opes pararet, vnde viueret domi?

Et statim:

Quis enim in palæstra, quis pedum cursu valens,
Feliciter versatus, aut disco bene
Misso, aut probe sciteq; mala icta viri
Patriæ corona opem tulit parta sua?

Primus autem Pythagoras ad carnes athletas transtulit, solitos antea caricis siccis, caseis recentibus, triticoq; corpus ad robur pascere, vt apud Laërtium Phauorinus, & Plinius lib. XXIII. cap. VII. qui & hordeo victitasse refert eos, lib. XVII. cap. VII. fabis & ptisana Galenus lib. I. de alimentorum facult. fuit Pythagoras *ἀλείπτης* ille, qui Plinio *Exercitator* est, & in Oribasii Collectaneis lib. VI. *Goras* est truncata prima vocis parte, pro *Pythagoras*, quẽ ait *Eurameni* Samio carnes apposuisse, qui Laertio est *Eurumenes*: quæ sunt ab Ambrosio Florentino interprete prætermissa. Meminit & huius Pythagoræ Samii Galenus lib. de paratu facilibus. Philosophus enim Samius qui potuit? cum ab animantium esu deterruerit, καὶ τῶν ἐμψύχων ἀπηγόρευεν ἅπτεσθαι; De illo Epigramma illud circumfertur:

Οὗτος πυκτεύσων ἐς Ὀλύμπια παισὶν ἄνηβος
Ἤλυθε Πυθαγόρας ὁ Κρατέω Σάμιος.

Addit Epictetus: *εἶτα εἰς τὸν ἀγῶνα παρέρχεσθαι. ἐστὶ δὲ ὅτε χεῖρα βαλεῖν, σφυρὸν στρέψαι, πολλὴν ἁφὴν καταπιεῖν, ἔσθ' ὅτε μαστιγωθῆναι, καὶ μετὰ ταῦτα πάντα νικηθῆναι.* Gemina his D. Basilius vere Magnus Homil. LII. & LIV. de plagis & victu, explicans illud D. Paulli 1. Corinth. IX. *πᾶς δὲ ἀγωνιζόμενος πάντα ἐγκρατεύεται*, *qui in stadio currit, ab omnibus se abstinet*: *Nempe*, inquit, *cum athletæ*

segre-

segregentur ad strictiorem disciplinam, vt robori adificando vacent, continentur à luxuria, à cibis lætioribus, à potu iucundiore, coguntur, cruciantur, fatigantur, vt Flaccus:

> *Qui cupit optatam cursu contingere metam,*
> *Multa tulit, fecitq; puer, sudauit & alsit,*
> *Abstinuit Venere & Baccho.——*

Clemens lib. III. Strom. à Venere abstinuisse gladiatores refert, & Simplicius in Epictetum cap. LXXVII. Latinè dicam: *Appetitus ad Venerem in Athletis; quamquam carnis pleni ac prapingues sint ætatisq; vigore pruriant, tamen quiescit, ipsis oleaginea corona, quæ in Olympiis datur, amore, Veneri renunciare assuetis.* Galenus quoq; eodem προτρεπτικῷ πρὸς τὰς τέχνας, οἱ δὲ τὰ γυμνάσια πρὸ δὲ τοῦ προσήκοντος ἑκάστης ἡμέρας διαπονοῦσι, τροφάς τε προσφέρονται σὺν ἀνάγκῃ πολλάκις, ἄχρι μέσων νυκτῶν ἐκτείνοντες τὴν ἐδωδὴν, ὡς προσηκόντως ἄν τινα ἐπ' αὐτῶν εἰπεῖν.

> Ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες ἱπποκορυσταὶ
> Εὗδον παννύχιοι μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ
> Ἀλλ' οὐκ ἀθλητὰς κακοδαίμονας ὕπνος ἔμαρπτεν.

Respexit nimirum Medicus ad versus Iliad. Ω'. vers. 678. Et idem paullò pòst: ὡς εἰκότως ἄν τις εἴποι, εὐγενῶς ὀνομάζεσθαι τῶν ἀθλητῶν προσαγορευθέντων, ἢ ἀπὸ τοῦ ἀθλητοῦ (Fort. ἀθλίου) τὴν προσηγορίαν τῶν ἀθλίων ἐσχηκότων,——ἢ κοινῶς ἀμφοτέρων καθάπερ ἀπὸ γῆς (f. πηγῆς) τῆς ἀθλιότητος ὠνομασμένων. Efficitur itaq; saginari vtrosq; solitos, cum gladiatores, tum athletas: sed hos etiam exercitationi ac palæstræ vicinos abstinenter egisse: vt his quoq; M. Fabii locis euincitur. Sic enim Rhetor ille Oratorem comparans athletæ artis præcepta ad perfectam eloquentiam parandā non satis esse docens, lib. V. Cap. X. *Non magis*, inquit, *quam palæstram didicisse nisi corpus exercitatione, continentia, cibis, arte profuerit.* Et lib. X. cap. V. *Ne carmine quidem ludere contrarium fuerit: sicut athletæ remissa quibusdam temporibus ciborum atq; exercitationum certa necessitate, otio & iucundioribus epulis reficiuntur.*

Subiicit Epictetus; οὕτω θεασάμενοί τινες φιλόσοφον, καὶ ἀκούσαντες, οὕτω τινὸς λέγοντος, ὡς, εὖ Σωκράτης λέγει, καὶ τίς οὕτω δύναται εἰπεῖν ὡς ἐκεῖνος. In veteribus calamo exaratis, vt & in eo quem ex Ferdin. Pintiani scripto exemplari Salmanticenses ediderunt, legitur, ὡς Εὐφράτης λέγει, quomodo etiam legisse Arrianum lib. III. Comm. cap. XV. apparet. Vbi eadem exscripsit. Simplicius enim alias in Philosophando verbosus, hic cum testimonium iure Quiritium dicere iuberetur, vadimonium deseruit: Nisi vt suspicor quædam hic in illis scholiis eruditis deperierint: dabitque, vt opto, Da. Hœschelius breui Simpliciū illum, quomodo alios auctores Græcos plurimos, longe meliorem. Denique Arrianus lib. IV. meminit eiusdem Oratoris, ab eloquentia, vt apparet, nomen sortiti: Καλῶς Εὐφράτης ἔλεγεν, ὅτι ἐπειρώμην λανθάνειν φιλοσοφῶν, καὶ ἦν μοι

φησὶ

φησὶ τῶν ὠφέλιμον. Plinius lib. I. Epist. X. egregie laudat tamquam æqualem sibi perfamiliarem. *Disputat*, inquit, *subtiliter, grauiter, ornatè, frequenter etiam Platonis illam sublimitatem, & latitudinem effingit. Sermo est copiosus & varius, dulcis imprimis, & qui repugnantes quoq; ducat, impellat. Adhac proceritas corporis, decora facies, dimissus capillus, ingens & cana barba.* Themistium quoque celebrem illum Aristotelis interpretem Εὐφράδην cognominatum ab eloquentia, sed per ϑ, & ab illo diuersum accepimus, cuius etiam exstant disertæ & Philosophicæ orationes post Aldinam & H. Stephani editionem plures Dionysii Petauii nostri opera, & accident, vt opto, IV. è Pantini amici summi bibliotheca: Equidem non inficiabor *Socratem* quoq; eloquentem habitum, priusquam se Philosophiæ præceptis imbuendum tradidisset: μετὰ τὸ μαθητὴς Αἰσχίνῃ ῥητορεύειν ἐδίδαξε, vt Phauorinus in Omnigena Historia. At veterum librorum, &, in quo sunt omnia, Arriani testis locupletissimis auctoritatem contemnere nec possum, nec debeo. Ceterum de Athletarum certo victu Hieronymus Mercurialis lib. II. cap. XXI. de arte Gymnastica ex Aristotelis Politicis, & Clemente Alexandrino: Petrus Faber in Agonistico III. ac Budæus Comm. ad Pandectas; deniq; L. Seneca epist. XV. ad Lucilium, & inibi I. Lipsius.

Morus & Mori *de Plinii loco lib. VII. variè disputatum.*

CAPVT X.

DE Ænigmate quodam in Bucolicis posito rogatus Maro, crucem se Grammaticis fixisse aiebat. Idem iure vsurpet *C. Plinius*, adeo locis quibusdam, vt concisus, sic & obscurus exsistit. Certe exercuit nostrâ memoriâ egregia aliquot Medicorum ingenia, præsertim in Bætica Hispaniæ prouincia, locus iste Plinianus lib. VII. cap. 50. *Atque morbus est aliquis per sapientiam mori.* Difficilem sane locum Hieron. Mercurialis, præstans arte Medica Græcisq; litteris vir, lib. VI. Variarum Lect. cap. 20. animaduertens, de phrenesi exposuit. Verum hoc nomine Scaliger Notis ad Eusebii Chronicon, lacerat conuitiis. Factum nollem. Humanitatem in his litteris libentius amplectar: De moris rursus idem lib. I. cap. XXIV. Variarum. Iac. Dalechampius, Medicus & ipse Lugdunensis, ad eundem fere modum, *& per sapientiam mori* exponit, quasi leg. vterque censuisset in Plinio, *desipientem mori*; hoc est, delirum, φρενητίζοντα: Pliniumq; male dixisse videri hic notat. Ferd. Pintianus enim & Rhenanus hoc in nodo, cetera in libro VII. Plinii exponendo diligentes, ne γρῦ quidem adferunt. Qui vero Pliniũ in varias propagarunt linguas, de *morte* accipiunt: quo sensu non me expedio. Alii ad *Morum* arborem notam retulerunt: Franc. Ximenius & Doct. Luna Hispalenses Medici, & Salmantinus Christoph.

Medranius vt Medici, *Sapientiam* ferè vt morbum capiunt: qua tamen vita, non mors paratur. De arboris mori sapientia Plinius ipse sic lib. XVI. cap. *25. Morus*, inquit, *nouissima vrbanarum arborum germinat, nec nisi exacto frigore : ob id dicta sapientissima arborum.* Quod mutuatum à Theophrasto lib. I. de Causis plantarum cap. 21. Ergo (inquiunt Medici) vt morus non nisi exacto frigore germinat; Ita & morbus aliquis, vt quartana febris, hiberno non inuadit tempore, sed autumno, & Vere. De moris autem nigris Q. Flaccus lib. II. Satyra IV. & Martialis lib. I. Epigr. 37. & VIII. Epigr. 64. & Ouidius Metam. lib. IV. vers. 165.

Nam color in pomo est, vbi permaturuit, ater.

Et Plinius rursus cap. 24. lib. XV. Laurentius Ramirez Iureconsultus, corruptum, vt ait, locum sic legendum voce traiecta existimat: *Atq. morbus est aliquis Sapientiam præmori:* qua etiam voce ibidem sit auctor vsus, de senectutis agens incommodis *: Membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus &c.* P. Ioannes de Pineda, egregius Societatis nostræ Philosophus, ac Theologus deprauatum & ipse à librariis locum ratus, enodare sic tentat post And. Alciatum lib. II. παρέργων cap. 16. voce vna coniuncta: *Atq. morbus est aliquantisper Sapientiam mori.* Vel sic potius, cui quidem lectioni nunc libentius subscripsero:

Atq. morbus est aliquis per Sapientiam morosis: vnde *mori* à rudibus scribis per compendium factum. *μώρωσις, fatuitas* est Medicorum filiis, à senum delirio, & *ἀνοίᾳ* discrepans, vt Paulus docet Ægineta, lib. III. cap. II. & Aëtius, ex Rufo & Galeno. Græcis autem vocibus quæ Latinis conscriptæ literis, ob Latinarum inopiam sæpe vsum Plinium deprehendas. Verum enimuero:

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Sententias tantum referre per saturam placuit, vt si quid alii forte melius excogitarint, proferant. Palma enim in medio est.

De Pliniana lectione in Præfatione historiæ naturalis quæsitum.

CAPVT XI.

EST *quædam publica etiam eruditorum reiectio. Vtitur illa M. Tullius extra omnem ingenii aleam positus, præsertim cum de Rep. scriberet.* In his postremis verbis, alter Toletanus Codex mēbraneus, *præsertim cum de Rep. præscriberet*: Vnde in eam

eam suspicionem venio, legendum *de oratore*, natumq; mendum, vt opinor, ex compendiis *de Õre*, vnde librarius fecit *de Rep.* vel rescribendum *de Philosophia* ex his *Phia* natis. Exstat enim Lucilii Satyrici dictum partim lib. I. de finibus partim initio secundi de oratore. Verba adscribere non pigebit. *C. Lucilius homo doctus & perurbanus dicere solebat, ea quæ scriberet, neq; ab indoctissimis neq; ab doctissimis legi velle: quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quam ipse de se.* Si quis tamen receptam lectionem pertinaciter tueri velit, animus est non vehementer contra pugnare. Habet enim rationum momenta, quibus se tueatur, vt non tam librarii (quamquam ab illis multa peccantur partim inscitia, partim incuria) quam Plinii esse peccatum, & μνημονικὸν ἁμάρτημα magnis etiam ingeniis non insolens, præsertim in magno opere. Deinde vt ne hæc subterfugia quæramus, quia hi de Rep. libri ad Platonis imitationem à Tullio scripti damno publico interciderunt, fieri potest, vt in πολιτικῶν libris eadem quæ in finibus & Oratore dixerit. Equidem ita censeo. Quare miror qui fragmenta contulerunt librorum de Rep. vt Carolus Sigonius, & And. Patricius hæc prætermisisse.

L. Appuleius auctus ex coniectura, ac melior.

CAPVT XII.

Hiatus plurim in ilibris antiquis apparere plerunq; solent, quod Græca fere omnia, quæ tunc ætatis vitio non legebantur, post etiam nascente arte typographica, typi Græci desiderarentur, & in libris spatium relinqueretur, vt vehementer sudandum sit in reponendis iis quæ desiderantur. Quare non mirandum, si non quod volumus assequimur, fruamur interim nostra insania, dum veriora librorum veterum ope adferantur. Periculosa omnis coniectura est, fateor; sed libet hic ingenium exercere, si forte veterum auctorum genius in posteros μετεμψυχώσει quadam Pythagorica migrare non desierit.

Theophrasto hoc caput consecramus, qui Peripatetica in schola Aristoteli successit, & à diuinæ Eloquentiæ suauitate nomen repperit. Sed Appuleium Platonicum Philosophum Apolog. I. audiamus. *Non negabunt me in Getulia mediterraneis montibus fuisse tibi* (lego, *vbi*) *pisces per Deucalionis diluuia reperiantur, quod ego gratulor nescire istos, legisse me Theophrasti* περὶ ἰχθύων *.....& Nicandri* θηριακά*..... Ceterum me etiam veneficii postularent, vt qui hoc negotium ex lectione, & æmulatione Aristotelis nactus sum: nonnihil & Platone meo adhortante*

 qui

qui [in Timæo] ait, eum qui iſta veſtiget, φρονεῖν ἀδύνατα, καὶ θεῖα αὖ περὶ ἀληθείας ἐφάπτηται. Quis bonorum auctorum ſortem non doleat! Reſcribo itaq; *Theophraſti quoque* περὶ ζώων ἐν ξηρῷ διαμενόντων. *& Nicandri* θηριακὰ καὶ ἀλεξιφάρμακα. In Theophraſti titulo diu ſudaui. Nam de multis ingenii monumentis, quæ publico malo interciderunt, quorū nomina apud Laërtium paginas implent, pauca ætatem ferre potuerunt,& ad nos tranſmitti, propter obſcuritatemne, doctrinæq; reconditam ſcientiam,an maiorum negligentiam non facile dixerim. Reponi poterant alii tituli περὶ ζώων βιβ. ζ'. & περὶ φωλευόντων. περὶ τῶν αὐτομάτων ζώων. Omitto *naturalium hiſtoriarum cauſſarumq;* libros varios. Taceo *hiſtoriæ animalium*, quam concinnauit, *Epitomen*. Prætereo & περὶ ἀποφαινομένων ζώων. Poſt in nuperis editionibus,facta hac coniectura,ita comperi: *Theophraſti quoq;* περὶ δακετῶν καὶ βλητικῶν, *& Nicandri* θηριακά. Quod per me quisq; amplectatur: Attuli in medium noſtra. Infra quoq; Madaurenſis Theophraſti egregium lib. de *Caducis* laudat, & *de non videntibus animantibus*, quorum nulla tamen apud Laertium exſtat mentio. Et quis fando audiuit, ait ibidem Caſaubonus, Theophraſtum ſcripſiſſe librum *De non videntibus animalibus?* etſi Seneca lib. III. Quæſtionum naturalium cap. XVI. ſcripſiſſe innuat Theophraſtum, piſces quibuſdam locis luce carentibus erui. Scripſiſſe & περὶ τῶν φωλευόντων ζώων auctor eſt Laertius. Sed hic veriſſima eſt emendatio amici: περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν, id eſt, *De invidentibus animalibus*. Ex quo libro hoc tantum ſupereſt fragmentum in Photii noſtri Bibliotheca pag. 862. Οἷς ὁ γαλεώτης, φασὶ, φθονῶν τῆς ὠφελείας τοῖς ἀνθρώποις καταπίνει τὸ δέρμα, ὅταν ἐκδύηται. ἔστι γὰρ βοήθημα ἐπιλήπτῳ.

Cleanthis verſus Græci à Seneca conuerſi. Epicteti Enchiridion denuo illuſtratum.

CAPVT XIII.

FAtorum neceſſitate Stoicorum natio omnia metiebatur, cui & Iouem ſuum alligabat. Hinc Seneca, qui Stoicæ apud Latinos ſectæ familiam ducit, exempla CVII. ad Lucilium: *Sic alloquamur*, inquit, *Iouem, cuius gubernaculis moles iſta dirigitur, quomodo Cleanthes noſter verſibus diſertiſſimis alloquitur, quos mihi in noſtrum ſermonem mutare permittitur, Ciceronis viri diſertiſſimi exemplo. Si placuerint, boni conſules; ſi diſplicuerint, ſcies me in hoc ſecutum Ciceronis exemplum:*

Duc me pater, celſiq; dominator poli
Quocumq; placuit: nulla parendi mora eſt:
Adſum impiger, fac nolle, comitabor gemens,

Ma-

Malusq; patiar, quod pati licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Græcos autem Cleanthis versus Iambico senario constantes in Epicteti ἐγχειριδίῳ extremo obseruaram, sed anteuertit doctissimus Lipsius, quos numeris suis redditos & emendatos eò libentius apponam, quòd ab iis, qui nuper *Philosophicam poesin* concinnauerunt, præteritos videam: Sic igitur Græcus vterque Stoicus: ἐπὶ παντὸς πρόχειρον ἑκτέον ταῦτα:

Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη
Ὅποι ποθ' ἡμῖν εἰμὶ διατεταγμένος·
Ὡς ἕψομαί γε ἄοκνος. ἢ δὲ μὴ θέλω
Κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.

Cleanthis autem esse, quo minus dubitem, facit Arrian. lib. IV. de dictis Epicteti cap. IV. primum versum citantis, auctoritas: τὸ Κλεάνθους πρόχειρον, Ἄγου δέ μ' ὦ Ζεῦ καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη. Auctor & Simplicius in Epictetum, qui & Asso oriundum facit, vti Laërtius ex Antisthene, assiduumque Zenonis Stoicorum principis auditorem per annos XIX. & in Schola successisse; Chrysippi adhæc præceptorem. Præterea statuam illi insignem à S.P.Q.R. honoris ergò, quam & vidisse se affirmat in ipsa Asso erectam. Respondere etiam hæc Cleanthis cum illis Epicteti: μὴ ζήτει τὰ γινόμενα γίνεσθαι ὡς θέλεις, ἀλλὰ θέλε τὰ γινόμενα, ὡς γίνεται, καὶ εὐροήσεις. Quod & Aristoteles apud Stobæum vsurpauit: ἐπειδὴ μὴ γίνεται τὰ πράγματα ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι ὡς γίνεται. Vnde Comicus in Andria:

Quoniam id fieri, quod vis, non potest, velis id quod possit.

Epiphonema verò illud:

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt:

Senecæ esse videtur, & fortè an minus Publii Syri: cui geminum illud Sophoclis Oedipo Colonæo:

οὐ γὰρ ἴδοις ἂν ἀθρῶν βροτῶν ὅστις ἄν, εἰ
θεὸς ἄγοι γ' ἐκφυγεῖν δύναιτο.

Alterum verò Socratis dictum de fati necessitate in Critone exstare monuit Simplicius: ὦ Κρίτων εἰ ταύτῃ τοῖς θεοῖς φίλον ταύτῃ γινέσθω. Vt alterum ex Platonica Socratis Apologia definitum de Anyto, & Melito, qui Socratem reum fecerunt: ἐμὲ δὲ Ἄνυτος καὶ Μέλιτος ἀποκτεῖναι δύναται, βλάψαι δὲ οὐ.

Angelus Politianus homo cætera eruditissimus, hæc fere, vitiosum, vt suspicor, exemplar Græcum secutus, omisit, tantum abest, vt metri modulum & numeros obseruarit, quem alibi ex Simplicio multa de suo adiecisse deprehendas. Et verò variè hoc ἐγχειρίδιον Græcè interpolatum hodie circumfertur, quòd sit ab Arriano, præceptoris sui dictata ex suo sensu reddente, suoque

arbitratu digerente, excerptum, vt credi par est, idemque affirmanti fides habenda, & à Simplicio, qui *Messalino* id opus nuncupasse refert. At verò qui hodie in manibus est Arriani Commentarius, *L. Gellio* dedicatus est, nisi aut in ipso statim limine mendum est, apud Græcum vtrumque Epicteti interpretem, aut *L. Gellius Messalinus* dictus, quod Romanum nomen esse apparet: aut non γνήσιος ille partus est, præsertim cum & Arriani quædam ab Arnobio lib. III. extremo citata non compareant, sed Critici viderint, nosque alibi in ψευδεπιγράφοις.

Areus *Philosophus. In Seneca Stoico locus de coniectura emendatus, & lacuna Græca suppleta.*

CAPVT XIV.

L. Annæus Seneca Philosophus disertus, multorum iam labore industriaque emendatior in lucem prodiit, adeo vt nihil pænè in eo quod quis desideret, reperiri possit. Mihi tamen, liceat post tantos viros spicas legere: Assentior doctissimo Pintiano in libro de Consolatione ad Marciam, cap. IV. ex his membranarum vestigiis: *Se consulareo philosophi viri sui prabuit*, de Liuia Augusta, sic emendanti: *Se consilio Arei philosophi viri sui prabuit*. Et supplendum est, *amici*, quod per ἔλλειψιν Atticam dictum puto. Cuiusmodi est illud Terentii Eunucho: *Plurima salute Parmenonem suum impertit Gnatho.* Deest enim *amicum* auctore Prisciano. Vel emenda, si magis placet: *Se consolandam Areo philosopho viri sui prabuit*. Fuit autem *Areus* seu *Arius* Philosophus Alexandrinus amicissimus Augusti Imp. vt Plutarchus in M. Antonio refert vita, & Dio lib. LI. Suetonius in Augusto cap. LXXXIX. *Eruditione varia repletus super Arei philosophi, filiorumque eius Dionysii & Nicanoris contubernium iniit.*

Græca vero sic supplenda in Epist. vndecentesima ad Lucilium: quæ sapiens est & ipsa elegansque in morte filii consolatio: *Illud nullo modo probo, quod ait Metrodorus, esse aliquam cognatam tristitiæ voluptatem, hanc ipsam captandam in huiusmodi tempore. Ipsa Metrodori verba subscripsi....* In editis libris hiatus est, & Græca, vt solent, à librariis prætermissa. Nos de veteri codice quo vsi sumus sic explemus: Μιχθεῖσαι ἡδονὴ ἀηδείᾳ. τίς γάρ ἐστιν; οὐ μὴν ζητητέη κατὰ ταῦτην τὸν χρόνον. M. Ant. Muretus, qui & Senecam Romæ est de superiore loco interpretatus interdum & Notis eruditis illustrauit, in scriptis etiam membranis quibus est vsus, lacunam hiatumque deprehendit. Lipsius vero noster Græcos quidem characteres sed, vt fit, ab imperitis librariis fictos verius quam factos in Codd. quos adhibuit antiquis repperit, sed è quibus deprauate scriptis nihil erueret. Vterque poetarum adfert loca. Nasonis quidem:

Fleque meos casus: est quædam flere voluptas:
Expletur lacrymis egeriturque dolor.

Et Sta-

Et Statii: *——tunc flere & scindere vestes*
Fataq; & iniustos rabidis pulsare querelis
Calicolas, solamen erat.——

Vide & Aristotelem lib. I. Rhetoricor. ad Theodecten cap. XI.

L. Appuleii Platonici philosophi Apologia de Magia sæpius emendatur. Eccilli. *Q. R. notæ.*

CAPVT XV.

EX Apologia plena eruditionis, & frugis, instar apis quædam delibamus, vt animos quorundam ab earum lectione alienatos invitemus. Equidem quoniam per omnia volitare non licet, pauca è multis proferam.

I. Sic igitur Apologia I. de Magia: *Zenonem illum antiquum Velia oriundum, qui primus omnium dictionem solertissimo artificio ambifariam dissoluerit, eum quoq; Zenonem longè decoratissimum fuisse, vt Plato autumat.* Emendat vir doctus, quia Eleates fuit *Elea oriundum*, non necessario. Seruius enim in VI. Æn. idem esse docet *Velia*, *& Elea*. Digamma huic accessit Æolicum, vt in *Eneti, Veneti*. Hispanis *Vandaluzia*, hodie *Andaluzia*. Glossema autem in insulam deportandũ *Eum quoq; Zenonẽ*: nisi legas, *Eum inquam Zenonẽ*. Locus Platonis est in *Parmenide*: Ζήνωνα εὐμήκη καὶ χαρίεντα ἰδεῖν, καὶ λέγεσθαι αὐτὸν παιδικὰ τοῦ Παρμενίδου γεγονέναι.

II. Inferius cum de *Magia Platonis* ex Alcibiade priore verba posuisset, nescio qua iniuria omissa reliqua hactenus desiderantur, nos vestigia odorati hæc Platonis innui opinamur. *Idem*, inquit, *Plato in alia sermocinatione de Zamolxi quodam Thraci generis, sed eiusdem artis viro, ita scriptum reliquit*: Hic asteriscus in Florentina edit. qua vtor, appositus. Coniicio dialogum innui, qui *Charmides* inscribitur. Sic enim Plato: τοιοῦτον τοίνυν ἐστὶν καὶ τὸ ταύτης τῆς ἐπῳδῆς. ἔμαθον δ' αὐτὴν ἐγὼ ἐπὶ στρατιᾶς παρά τινος τῶν Θρᾳκῶν τῶν Ζαμόλξιδος ἰατρῶν οἳ λέγονται καὶ ἀπαθανατίζειν. Sed nunc alii viri eruditissimi hæc ex eodem Platonis Dialogo substituerunt, sic hiatum explendo; θεραπεύεσθαι δὲ τὴν ψυχὴν ἔφη ὦ μακάριε ἐπῳδαῖς τισί, τὰς δ' ἐπῳδὰς τοὺς λόγους εἶναι τοὺς καλούς.

III. Et pòst non longè: *Dein similiter suspecta est Eocli Catharino, Socratis dæmonion, Platonis τὸ ἀγαθόν.* Ex his vestigiis ingeniose, vt omnia, Casaubonus reponit: *suspectata Empedoclis καθαρμοὶ, Socratis dæmonion, &c.* referens ad nobilem Empedoclis ποίησιν καὶ καθαρμούς. Scipio etiam Gentilis I. C. in Comm. gignendi hæc casu legi perspicuitatis mauult gratia. Mihi locus, si quis alius, longè contaminatissimus & obscurissimus cum videretur olim, tentabã: *Dein similiter suspecta est eccilli Cato Rufino Socratis dæmonium; Platonis τὸ ἀγαθὸν* Nam *de Deo Socratis* & ipse Appuleius, vt Platonicus Philosophus, scripserat, qui liber hodieque in manibus est: (Ex quo loca citat B. Augustinus lib. VII. & X. Ciuitatis Dei) vt & Plutarchi liber est eiusdem argumenti. Et Serm. XXVII. Maximi Tyrii.

Pudens.

Pudens igitur cum Herennio Rufino ſocero & cum Sicinnio Æmiliano patruo, filius Pudentillæ ex Sicinnio Claro, priuignus Appuleii, Magiæ crimine vitricum, quod matris bona poſſideret, accuſauerat; vt ex hac ipſa Apologia manifeſtum. *Catonis* verò nomen ob Cenſuræ grauitatem in Prouerbium abiit, vt & *tertius è cælo Cato* cecidiſſe diceretur. Vocat ergò lepidè compoſita voce *Cato-Rufinum*, quod ineptè de diſciplinis iudicaret, & Philoſophos, Poetaſque qui de rerum natura, & Diis traderent, Magiæ præiudicio inſimularet. Confirmo coniecturam altero Appuleii loco huius Apologiæ infra, de Pontiano: *Suſcepta*, inquit, *contra matrem ſimultas, non ipſi vitio vortenda, ſed ſocero eius, eccilli Herennio Rufino, qui vnum neminem in terris viliorem ſe, aut improbiorem, aut inquinatiorem reliquit. Eccilli* autem vetus demonſtrandi compoſitum, Comicis vſitatum, vt *Eccum, Eccillum*. Fuit cùm *Eccilli Cato Cenſorino* legendum diuinarem, vel *Euclidis κατόρθωμα*, vel *Eudoxi καθῆκον* potius. Iſaaci tamen ἰυςοχίαν iure meis ineptiis anteponendam cenſeo. Æmiliano autem accuſatori duo agnomina hic indita obſeruo, *Charontis* ob teterrimam faciem, & animi diritatem; & ob deorum contemtum, *Mezentii*: cuius è Marone nota crudelitas:

Mortua quin-etiam iungebat corpora viuis.

IV. Apologia autem extrema: neque enim duas ſed vnicam Apologiam agnoſco: *Teſtimonium Caſſii Longini tutoris, & Coruini Clementis Q. R. éſtne ita vt dixi?* Sic Florentina illa editio vetus. Priora non eſſe orantis Appulei verba coniicio, ſed hic teſtes examinatos à Claudio Maximo iudice annotatum ſuſpicor ad oram, vel ad medium paginæ, vt cum epiſtola aliqua fidei faciendæ in eadem cauſa recitaretur. Illud *Clementis Q. R.* corruptum eſt: repono, *Coruini Celeris Quæſtoris*. Coruinus enim Celer iamiam nominatus cum Caſſio Longino erat: vel legerim, *quid reſponſum. Eſtne ita, vt dixi?* Valerius quidem Probus ſingulas literas Q. R. F. *quod rectè factum* exponit, vt in Edictis boni ominis gratia adſcriptum Q. B. F. *Quare bonum factum*. Editur tamen hic à doctis hominibus, quibus mea non antepono cæco ſui amore, *Quod recitatum eſt.*

Geminata negatio apud Latinos interdum Græcorum ritu, negans. In Plinii Præfatione coniecturæ aliquot.

CAPVT XVI.

TItum Imp. eloquentem, diſertum, poetam, & hiſtoricum fuiſſe, Tranquillus ait, cap. IX. & Plinius in proœmio.

I. *Quanto tu ore patris laudes tonas? Quantum fratres amas* (vbi *animas* Rhenanus ſubiicit, ego *ornas* malim) *Quantus in Poetica es? ô magna fœcunditas animi! quemadmodum fratrem quoque imitareris excogitaſti.* Docti aliquot locum in extremis

tremis deprauatum esse deprehenderunt, qui medicam manum admoueret, vidi neminem. Conabor, si quid opis ferre queam; sin minus, eruditos vt exsuscitem. Lego: *quemadmodum quoq; fratrem inuitares excogitasti.* Tranquillus enim disertè cap. IX. ad æmulationem virtutis Titum fratrem suum prouocasse scribit turbulento ingenio virum.

II. Mox: *Hæc doctissimum omnium Persium legere nolo, Lælium Decimum volo.* Hermolaus ex *omnium* castigasse videtur *Manium.* Equidem nihil muto, quando illis ipsis fere verbis Cicero retulit II. de Oratore: & de Finibus. In calamo exaratis *nec doctissimis* legi afferit Rhenanus: & quando *hæc*, & *nec* sæpè permutari à librariis solent (non longè abiero, *hac fiducia operis est hæc indicatura.* Sic Hermolaus; at Rhenanus ex membranis, *nec fiducia operis est, sed, &c.*) Puto itaque *nec doctissimum Persium nolo*, more Græcorum dixisse, vt duæ magis magisque particulæ abnutiuæ negent. Sic autem sæpe M. Tullium, cuius hæc sunt, locutum fuisse, sed à librariis indoctis quæ non caperent, temerè mutantibus, corruptum esse, nullus dubito. Nam alibi: *negant Stoici nec virtutes nec vitia crescere.* Et Epist. XIV. ad Dolabellam lib. IX. ad Famil. *Neque planè assentior, ne imminuam laudem tuam, si omnis à meis consiliis profecta videatur, neque valde nego.* Terentius Phormione: Act. 2. Sc. 3. v. 8. *Negat neque eius esse patrem; si sanè quis fuerit*, vbi Donatus, *neque* πλεονάζει. & in Heautontimor. *Neque pretii maioris nemo habet.* Catullus in Phaselo:

Neque vllius natantis impetum trabis
Nequisse præterire. ——

Et ibidem:

Et hoc negat minacis Adriatici
Negare littus. ——

Et Tibullus:

Non ego signatis quidquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quàm meus ante, velim.

Naso lib. I. de Ponto, El. 1.

Mors certè faciet, ne sim, cum venerit, exul,
Ne non peccarim, mors quoq; non faciet.

III. Post non longè idem Plinius: *Et ne totum videar Græcos insectari, ex illis nos velim intelligi absoluta opera pendenti titulo inscripsisse. Pendentem titulum* interpretor, quem temporis imperfecti Græci παρατατικὸν appellant, vt rectè præstanti ingenio Politianus vidit Miscell. cap. XLVII. Addo D. Basilium oratione de vtilitate capienda ex gentium scriptis: ὥσπερ ἀνδριάντα τὸν δημιουργὸν ὁ δεῖνα ἐποίει, &c.

IV. Infra: *De Catone Censorio, qui sub Africano, imò verò sub Hannibale didicisset militare.* Glossema latere hic, nullus dubito. Quis enim sic loquitur, Militare sub eo, qui contrà arma tulerit? inculcatum nimirum ex ore alicuius lite-

teratoris, & veteres plerique libri ex vno omnes primùm descripti conspirant in iisdem mendis. Nihil enim vnquam tale apud Historicos reperi.

V. Extrema autem Epistola illud turbat lectorem: *Quid singulis contineatur libris huic epistolæ subiunxi, summaq; cura ne perlegendos haberes, operam dedi.* In Toletano Codice, quem inspexi, est *ne nec legendos*; vnde *negligendos* scripsisse Plinium coniicio commodo sensu: ne omnino abiiceres opus tam vastum mole ipsa deterritus, indices præfixi. Et mox: *vt perlegant*, lego *ne negligant*. Tu per hoc & aliis præstabis, ne abiiciant hos libros, sed exemplo tuo inuitabis vt libentius legant. Sic suprà paulò: *Hæc ipse tu præstas, quod ad te scribimus.* Sed nihil immuto. Mox: *Hoc ante me fecit in literis nostris Valerius Soranus.* Puto scripsisse *inter nostros.*

Pictura Agamemnonis. Plinii cæterorumq; super eadem opinio reiecta.

CAPVT XVII.

SEnatoriam notionem vel censuram attulisse videar quando inter Ciceronem, Plinium, Valerium Max. necnon & M. Fabium, sententiam pronunciaturus accedam, nouam meam, nescio an veram, allaturus. Status causæ versatur in Pictura Agamemnonis à Timante facta, qua causa commotus illum in Aulide pinxerit, pallio oculos suos coopertum. Plinius rem sic exponit lib. XXXV. cap. X. *Nam Timanti vel plurimum adfuit ingenii. Eius enim est Iphigenia Oratorum laudibus celebrata: Qua stante ad aras peritura, cum mœstos pinxisset omnes, præcipuè patruum, cum tristitiæ omnem imaginem consumsisset, patris ipsius vultum velauit, quem dignè non poterat exprimere.* Mutuatus id est à M. Tullio lib. de perfecto Oratore, vnde & Fabius lib. II. cap. XIII. & Valerius Maximus lib. VIII. cap. XII. Vnde elicitur ideo pinxisse Agamemnonem velatum, quia non potuerit pictor tristitiæ eam imaginem in tali casu ad Agamemnonem accommodare, quam patrem habere par erat. Equidem in alia prorsus omnia concedo, nec credidero Timantem magnitudine ingenii Agamemnonem ore velato pinxisse, commotum ratione perspicacioris ingenii ac iudicii: sed citra contentionem crediderim id ex Euripide in Iphigenia Aulidensi desumsisse Timantem. Verba Euripidis Agamemnonem describentis sunt:

Δάκρυα προῆγεν ὀμμάτων πέπλον προθείς.

Præsertim dum dicat Lucianus in Cronosolone, pictores sumere à Poëtis solere hypotheses: nec non Horatius in arte Poëtica:

Vt pictura poesis erit.

Cyni-

Cynici Philosophi unde dicti sint, Contra aliorum sententiam.

CAPVT XVIII.

CYnicos Philosophos non esse dictos ab asperitate vitæ, neque quod mordaces essent, aut quod Antisthenes eius sectæ conditor, in Cynosarge gymnasio docuerit, vt putat Diogenes Laertius, Nicolaus Perottus, & Tortellius, aliique: sed ob habitum quo induerentur, sic dictos equidem existimo. Tribonem enim duplicem gestabant è pellibus caninis, aut ouinis, aut aliorum animantium. Cum igitur villosis animalium pellibus amicti incederent, canes & videbantur, & appellabantur, vt Diogenes Cynicus in quadam Epistola testatur: *θάῤῥει ὦ ταῦ πάτερ ἐπὶ τῷ ὀνόματι ᾧ καλοῦσιν ἡμᾶς, ἐπὶ τῇ στολῇ, ἐπεὶ ὁ μὲν κύων ἐστὶ πρὸς θεῶν ἡδὺ εὕρημα θεοῦ.* Sed & peras quas ex humeris gestabant, non ex alia materia faciebant, vt Lucianus dialogo I. Inferorum narrat. De Cynica professione, *περὶ κυνισμοῦ.* Arrianus in Epicteteis differit, Athenæus lib. XIII. Lucianus in Cynico, & rursum *βίων πράσει*, *Vitarum auctione* & Politianus Miscellan. capit. XXX. Sed de Cynico habitu apponere lepidum libet Epigramma Valerii Martialis lib. III. cum illud Plautinum præmisero è Persa Act. I. Scen. III.

Cynica esse è gente oportet Parasitum probum.

Vt quidem Valentinus Acidalius perspicuè concinnat. Alii enim aliter. Sic autem Martialis:

Hunc, quem sæpe vides inter penetralia nostræ
Pallados, & templi lumina, Cosme, noui
Cum baculo, peraq́, senem: cui cana, putrisq́,
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit.
Cerea quem nudum tegit vxor abolla grabati,
Cuiq́, datis latrat obuia turba cibis.
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo? canis.

Diogenem quoque Cynicum ferunt ab Alexandro Magno rogatum, quid faciens canis vocaretur, respondisse: Quod iis, qui dant, blandior, in eos contra, qui non dant, oblatro: malos autem mordeo. Efficitur itaque *Cynicos* idcirco etiam dictos quòd obuios quosque morderent, siue ob sordidam vitam, quodque mendicato canum more viuerent.

C. Plinii historiæ partim illustrantur, partim emendantur. Ausonii lacuna expletur.

CAPVT XIX.

I. PLinius lib. V. cap. VII. *At contra Carthaginis sinum è gremio duæ areæ aræ.* Sudat Hermolaus in expositione eius loci. Puto equidem illos esse scopulos, quos Virgilius lib. I. Æneid. *aras* ab Italis vocari ait. Fauent & huic parti verba Pliniana, quæ subiiciuntur: *Reuera scopuli verius quam insulæ, inter Siciliam maximè, & Sardiniam.* Virgilii versus sunt:

Tres Notus abreptas in saxa latentia torquet,
Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus Aras.

Nec parum hoc loco iuuabit Seruii auctoritas, minimè contemnenda: *In saxa latentia] propter tempestatem. Hæc autem saxa inter Africam & Sardiniam sunt, quæ saxa ob hoc Itali Aras vocant, quòd ibi Afri & Romani fœdus inierunt. Vnde & Dido:*

Litora litoribus contraria, fluctibus vndas
Imprecor.——— Quæ Aræ à Sisenna Propitiæ vocantur.

II. Lib. VII. cap. LVI. vbi de rerum agit inuentoribus: *Bouem & aratrum Briges Atheniensis, vt alii Triptolemus.* Cuius verba tantum à vera ac syncera lectione absunt,

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.

quamque à Gadibus Aurora distat & Ganges. Quid si *Buzyges* legamus? Res confecta est. Fauet Hesychius: Βυζύγης ἥρως ἀττικὸς ὁ πρῶτος βοῦς ὑπὸ ἄροτρον ζεύξας, ἐκαλεῖτο δὲ Ἐπιμενίδης. καθίσατο δὲ παρ' αὐτοῖς, καὶ ὁ τοὺς ἱεροὺς ἀρότους ἐπιτελῶν Βουζύγης. Quod certè Hermolaum latuit, necnon Polydorum Vergilium, qui adulterinam lectionem secutus est.

III. Ausonius autem sic locutus ad Pontium Paullinum:

Hoc si impetratum munus abs te accepero
Prior colère quàm Ceres
Triptolemon olim, siue Medem, quem vocant,
Aut Tullianum Buzygem.

Medem vocat hic quem Hesychius *Epimenidem* vocat. Quem locum Ausonii à me ex Hispania acceptum sic Elias Vinetus probauit, nihil vt in Commentariis anteponendum censuerit.

Aqua

Aqua Indorum & spelunca reos explorans, ex Porphyrio lib. de styge. Stobæi Eclogis physicis datum initium.

CAPVT XX.

INgens est Philologiæ iuxtà ac Philosophiæ thesaurus Ioan. Stobæi *Gnomæ*, partim è Poëtis, partim è Philosophis depromtæ, meritoq; laudatæ à Photio nostro ἐν τῷ μυριοβίβλῳ. Verùm non quales ille vidit, & ordine concinnat, integras nunc habemus. Ethicas quidem ~~Tigurini~~, Physicas verò Eclogas Guil. Canterus noster è Farnesiana bibliotheca typis dedit Plantinianis; sed capite mutilas; quod caput olim è bibliotheca Ant. Augustini, Tarraconensis Archiepiscopi describendum curaui, &, vt meus est mos, cum amicis non inuitus communicaui. Verùm quia longiùs fieri video vt lucem illa aspiciant, dabo ob venustatem ἀποσπασμάτιον è Porphyrianis commentariis, *de Indorum aqua* reos explorante. Veréne an falsò, nunc non disputo, sed iis libens permitto, qui copiosè nuper *de Magia* disseruerunt. Græca ipsa repræsentare non pigebit.

Πορφυρίου, ἐκ τοῦ περὶ στυγός.

Ἰνδοὶ οἱ ἐπὶ τῆς βασιλείας τῆς Ἀντωνίνου τοῦ ἐξ Ἐμισῶν εἰς τὴν Συρίαν ἀφικομένου Βαρδισάνῃ τῷ ἐκ Μεσοποταμίας εἰς λόγους ἀφικόμενοι ἐξηγήσαντο. ὡς ὁ Βαρδισάνης ἀνέγραψεν, εἶναί τινα λίμνην καὶ ταύτην παρ' Ἰνδοῖς, δοκιμαστηρίου λεγομένην. εἰς ἣν εἴ τις τῶν Ἰνδῶν αἰτίαν ἔχων τινὸς ἁμαρτίας ἀρνεῖται· τῶν δὲ Βραχμάνων τινὸς δοκιμάζουσιν αὐτὸν τοῦτον τὸν τρόπον συνθανόντας τοῦ ἀνθρώπου, εἰ θέλει διὰ τοῦ ὕδατος γενέσθαι τὴν ἐξέτασιν, καὶ μὴ θέλοντος μὲν ὡς ὑπεύθυνον ἀποπέμπουσι τὴν δίκην ἀποτίσοντα. παραδεχόμενον δὲ τὴν βάσανον εἰσάγουσι μετὰ τῶν κατηγόρων. καταβαίνουσι γὰρ καὶ οὗτοι εἰς τὸ ὕδωρ δοκιμασθησόμενοι μὴ συκοφαντῶσι. διέρχονται τοίνυν οἱ ἐπιβαίνοντες τοῦ ὕδατος εἰς ἕτερον μέρος τῆς λίμνης. τὸ βάθος δὲ ἐστιν ἄχρι τῶν γονάτων παντός. οὗτος οὖν εἰς αὐτὴν ἐπιβάντος. ὅταν δὲ κατηγορούμενος ἐπιβῇ ἀναμάρτητος μένων, ἀδεῶς διέρχεται ἄχρι τῶν γονάτων ἔχων τὸ ὕδωρ. ἁμαρτὼν δὲ, ὀλίγον προβὰς βαπτίζεται μέχρι κεφαλῆς. οἱ δὲ Βραχμάνες ἀνασπῶντες αὐτὸν ἐκ τοῦ ὕδατος παραδιδόασι τοῖς ἐνάγουσι ζῶντα, καὶ ἀξιοῦσι παιδευθῆναι χωρὶς θανατικῆς καταδίκης. γίνεσθαι [f. γίνεται] δὲ τοῦτο σπανίως, [ἵνα] τὸ μηδένα τολμᾶν ἀρνεῖσθαι τὸ ἁμάρτημα, διὰ τὸν ἐκ τοῦ ὕδατος γιγνόμενον ἔλεγχον. ἑκουσίων τοίνυν ἁμαρτημάτων δοκιμαστήριον Ἰνδοὺς τοῦτ' ἔχειν τὸ ὕδωρ. ἀκουσίων δὲ ὁμοῦ καὶ ἑκουσίων καὶ ὅλως ὀρθοῦ βίου ἕτερον εἶναι. περὶ οὗ ὁ Βαρδισάνης τάδε γράφει· θήσω γὰρ κἀκείνου κατὰ λέξιν, ἔλεγον δὲ καὶ σπήλαιον εἶναι αὐτόματον μέγα ἐν ὄρει ὑψηλοτάτῳ σχεδὸν κατὰ μέσον τῆς γῆς, ἐν ᾧ σπηλαίῳ ἐστὶν ἀνδριὰς ὃν εἰκάζουσι πηχῶν δέκα ἢ δώδεκα. ἑστὼς ὀρθὸς ἔχων τὰς χεῖρας ἡπλωμένας ἐν τύπῳ σταυροῦ καὶ τὸ μὲν δεξιὸν τῆς ὄψεως αὐτοῦ ἐστὶν ἀνδρικόν. τὸ δ' εὐώνυμον θηλυκόν. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ βραχίων ὁ δεξιὸς, καὶ ὁ δεξιὸς πούς καὶ ὅλον τὸ μέρος ἀρσενικόν, καὶ τὸ εὐώνυμον θηλυκόν, ὡς ἰδόντα τινὰ ἐκπλαγῆναι τὴν σύγκρισιν ποιοῦντα. πῶς ἀδιαιρέτως ἐστὶν ἰδεῖν τὴν ἀνομοιότητα τῶν δύο πλευρῶν ἑνὶ σώματι ἐν τούτῳ τῷ ἀνδρὶ αὐτὸν λέγουσι γεγλύφθαι περὶ τὸν μαζὸν τὸν

δεξιὸν ἥλιον καὶ περὶ τὸν ἀριστερὸν σελήνην καὶ κατὰ τῶν δύο βραχιόνων..... τέχνῃ γεγλύφθαι ἀγγέλων ἀριθμὸν καὶ ὅσα ἐστὶν ἐν τῷ κόσμῳ τουτέστιν οὐρανὸν καὶ ὄρη, καὶ θάλασσαν, καὶ ποταμὸν, καὶ ὠκεανὸν καὶ φυτὰ, καὶ ζῶα, καὶ ἁπλῶς ὅσα ἐστί. τοῦτον τὸν ἀνδριάντα φασὶ δεδωκέναι τὸν θεὸν τῷ υἱῷ ὁπηνίκα τὸν κόσμον ἔκτιζεν, ἵνα αὐτὸν [f. κτισθέντα] ἔχῃ παράδειγμα, ἐξήτασα δὲ φησὶ ποίας ἐστὶν ὕλης καὶ διεβεβαιοῦτο ὁ Σανδάλης, ἐμαρτύρουν δὲ αὐτῷ καὶ οἱ ἄλλοι, μηδένα εἰδέναι ποίας ὕλης ἐστὶν ὁ ἀνδριὰς ἐκεῖνος. οὔτε γὰρ χρυσοῦς ἐστιν οὔτε ἀργύρεος, οὔτε χαλκοῦς, οὔτε λίθινος οὔτε ἄλλης ὕλης, ἀλλὰ μᾶλλον παραπλήσιος ἐστὶ ξύλῳ στερροτάτῳ καὶ ἀσηπτοτάτῳ. μὴ εἶναι δὲ ξύλον προσετίθεσαν δὲ λέγοντες ὅτι τῶν βασιλέων τις ἠθέλησεν ἀφελέσθαι τρίχα ἐκ τῶν περὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ αἷμα· ῥεῦσαι καὶ φοβηθῆναι τὸν βασιλέα ἐκεῖνον ὡς μόλις εὐξαμένων τῶν Βραχμάνων ἀναπαύσασθαι ἑαυτόν. ἐπὶ δὲ τῇ κεφαλῇ τούτου λέγουσι θεοῦ ἄγαλμα εἶναι. ὡς ἐπὶ θρόνου τινὸς καθήμενον. λέγουσι δὲ καὶ ἐν τοῖς καύμασιν ἱδροῦν ὅλον τὸν ἀνδριάντα τοῦτον. καὶ ῥιπίζεσθαι ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, καὶ παύεσθαι τοὺς ἱδρῶτας καὶ εἰ μὴ ῥιπίζοιεν πολὺν φέρειν ἱδρῶτα ὡς βρέχεσθαι τὴν περὶ αὐτὸν γῆν ἐνδότερον δὲ αὐτοῦ ἐν τῷ σπηλαίῳ, μετὰ πολὺ διάστημα εἶναι σκότος. ἔνθα μετὰ λαμπάδων εἰσέρχονται οἱ βουλόμενοι καὶ εὑρίσκουσι θύραν τινὰ, ἐξ ἧς θύρας προσέρχεται ὕδωρ καὶ λιμνάζει περὶ τὰ τελευταῖα τοῦ σπηλαίου καὶ ὡς δοκιμάζοντες ἑαυτοὺς. ἔρχονται διὰ τῆς θύρας ἐκείνης. καὶ ὅσοι εἰσὶ καθαροὶ ἀπὸ τῆς θύρας καὶ εὑρίσκουσι πηγὴν μεγίστην ὕδατος πάνυ διαυγεστάτου καὶ πλημμυρωτάτου, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ ἐκεῖνο προσέρχεται. οἱ δὲ ἐν καταγνώσει ὄντες πολὺ θλίβουσιν εἰσελθεῖν διὰ τῆς θύρας ἐκείνης καὶ οὐ δύνανται συγκλειομένης αὐτοῖς οἵτινες βιαζόμενοι ἐξομολογοῦνται ἐπὶ τῶν ἑτέρων εἴ τι ἥμαρτον..... δέησιν ποιοῦνται ἵνα οἱ λοιποὶ εὔξωνται περὶ αὐτῶν καὶ νηστεύσωσι χρόνον τινὰ ἱκανόν. ἐκεῖ φασιν εὑρηκέναι περὶ τὴν ζάλβαλην συνάγεσθαι [f. ἐκεῖ, φησὶ, οἱ περὶ Βαρδεσάνην συνάγεσθαι] τοὺς Βραχμᾶνας, ἡμέρᾳ μὲν τινι τεταγμένῃ, ἀλλὰ εἶναι μὲν τινας ἐκεῖ ἔχοντας τὴν διατριβὴν, τοὺς δὲ ἀλλαχόθεν συνιέναι θέρους ὥρᾳ καὶ περὶ τὸ φθινόπωρον πλεοναζούσης τῆς ὀπώρας, ἐπί τε τὴν θέαν τοῦ ἀνδριάντος καὶ ἐπὶ ἀλλήλοις συμμίξαι καὶ εἰς τὸ πεῖραν ἑαυτῶν λαβεῖν, εἰ δύνανται εἰσελθεῖν διὰ τῆς εἰρημένης θύρας. γενέσθαι δὲ ἐκεῖ ζητήσας λέγουσι περὶ τῆς ἐν τῷ σώματι ἐκείνῳ γλυφῆς· οὐδὲ γάρ ἐστι ῥᾳδίως πᾶσαν τὴν ἀνατύπωσιν ἐπιστῆσαι διά τε τὸ πολλὰ εἶναι καὶ διὰ τὸ μὴ πάντα τὰ ζῶα καὶ φυτὰ ἐν πάσῃ χώρᾳ ὑπάρχειν. ἃ μὲν οὖν Ἰνδοὶ ἱστοροῦσι περὶ τοῦ παρ' αὐτοῖς δοκιμαστηρίου ὕστερος ἐστὶ ταῦτα. οἶμαι δὲ τούτου καὶ [Philostratus lib. III.] Ἀπολλώνιον τὸν Τυανέα μεμνῆσθαι τοῦ ὕδατος τοῦ ἐν τῷ σπηλαίῳ λέγοντα. γράφων γὰρ τοῖς Βραχμᾶσιν ὅρκον τινὰ ὀμνύει, οὐ μὰ τὸ Ταντάλιον ὕδωρ, οὐ με ἐμυήσατε. οἶμαι γὰρ Ταντάλιον λέγειν τοῦτο, διὰ τὸ ἀεὶ τῇ προσδοκίᾳ κολάζειν τοὺς ὑπὸ τοῦ ἐλθεῖν ἐσπουδακότας, καὶ τούτου ποτὲ ἀρύσασθαι.

PLVTARCHI Charonensis in X. Græciæ Oratoribus locus sanatus.

CAPVT XXI.

VIX mihi tempero, quin hîc rursum Plutarcho medicinam faciam, quem in *X. Oratorum* libello comprehensionis traiectione deprauatum esse facilè dabunt, qui locum propiùs volent (velle autem omnes liberalibus dediti studiis debent,) considerare. In Græca editione H. Stephani, qua adhuc vtimur, pag. 1553. hanc periodum loco motam, infra meo periculo sic colloca, & lucem tenebris adferri animaduertes. *Sic enim* constituendum locum censeo: πρότερον μὲν ὑπὸ Δημομέλους Ἀριστονείκου Ὑπερείδου χρυσῷ στεφάνῳ, τελευταῖον δὲ, ὑπὸ Κτησιφῶντος. καὶ γραφέντος τοῦ ψηφίσματος παρανόμων ὑπὸ Διοδότου, καὶ Αἰσχίνου, ἀπολογούμενος ἐνίκησεν· ὥστε τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων τὸν διώκοντα μὴ μεταλαβεῖν. Quibus è superiori loco tanquam postliminii iure in pristinam sedem subiici hic ambitus debet: φεύγοντος δὲ Αἰσχίνου μετὰ τὴν καταδίκην, ἵππῳ καταδιώξαι αὐτόν. τοῦ δὲ οἰηθέντος αὐτὸν συλλαμβάνεσθαι, καὶ προσπεσόντος καὶ συγκαλυψαμένου, ἀναστήσας αὐτὸν παρεμυθήσατο, καὶ τάλαντον ἔδωκεν ἀργυρίου. Neque-dum locum esse integrum, sed mirè conuulsum deprehendi è Photii nostri μυριοβίβλῳ, qui hinc quædam ad verbum transscripsit pag. 804. Φέρειν δὲ γενναίως ἀποδεδειγμένην αὐτῷ τὴν φυγὴν Δημοσθένους· καὶ πῶς ἂν δυναίμην, Αἰσχίνης ἔφη, τοιαύτης ἀποστερούμενος πόλεως ἐν ᾗ καὶ τοὺς δοκοῦντας ἐχθροὺς εἶναι τῶν ἀλλαχόθι φίλων χρηστότητι, καὶ καλοκαγαθίᾳ εὑρεῖν ἐστι διαφέροντας. Corruptum autem locum existimo Græculorum scribentium vitio, qui ne lituræ scripturam deforment, obliterare σφάλματα nolunt. Hinc illæ lacrymæ: & in Athenæo conuulsa plurima, atque adeo in Poëtis Latinis ad eundem modum notarunt homines doctissimi, & olim foliorum traiectiones in *Censorino de die natali*, & *Antonini Aug. Itinerario* obseruauimus: denique in *Pandectis Florentinis* Politianus olim, & Ant. Augustinus. Quin & in hoc ipso, quo de agimus, Philosopho, *Symposiacis Quæstionibus* traiecta quædam esse, ac distracta, suprà ostendimus. Illud mirandum, non vidisse hæc Gallicum Interpretem, cetera doctissimum; ac ne duos quidem Germanæ viros eruditissimos (qui integrum postea Plutarchum singuli conuerterunt) talia obseruasse: sed, vt arbitror, ingentis mole operis oppressi, fatigatique cesserunt. Hoc vero quale tandem existimandum est? quod Britannus interpres in eodem hærens luto ibidem de Xenophonte historico omnia conturbat: cùm illud Græce dicatur, scripsisse illum historicum Socratis auditorem, & Demosthenis propè æqualem, res Græcorum ad Mantineam gestas. Chariclide verò Athenis Prætore Oratorem male-gestæ tutelæ accusasse tutores suos, ac vicisse. Sed demus aliorum erratis veniam, etsi solemnia peccent, vt nostris apud æquos Lectores facilius impetremus.

Insignis

Insignis Arriani locus Libro III. Commentariorum In Epicteti Enchiridion suâ sede conuulsus in iustum reuocatus ordinem.

CAPVT XXII.

VT aliàs interdum traiecta ac conuulsa in suam reponimus sedem; & subdititia suo nonnunquam parenti reddimus: Sic & in præsens egregium restituere locum, & insignem explere hiatum voluimus; adiuti Regis Gallorum Christianiss. membranis quas inspexit diligenter in sua interpretatione Religiosus vir (N) Nicolai Gullonii, Regii Professoris F. & cum Alberto Miræo V. C. communicauit. Eum suo quisq; codici reponere festinet, quo expeditus magis legenti locus sit, & ad intelligendum obuius. Igitur lib. III. Arriani in Epictetum cap. XXVI. *In eos qui inopiam timent*. pag. 354. editionis nuperæ Coloniensis anni CIↃIↃXCV. post illa verba: *ἀλλὰ πῶς αἰτήσει πρὸς τοὺς παρθένους, αἰτήσουσι τὰ ἀναγκαῖα*: hic continenter inserendum ex pag. 382. post *ἀναγκαῖα* (Repetitio enim, vt fieri amat, vocis eiusdem librariis errandi obiecit ansam) quod subiicimus Fragmentum: *ὡς ἀναισχιστον εἶναι δοκεῖ, δεῖσθαι παρ' ἄλλου,*

Ὥστε λέων ὀρεσίτροφος ἀλκὶ πεποιθώς

Τίνι πεποιθώς; οὐ δόξῃ οὐδὲ χρήμασιν οὐδ' ἀρχαῖς, ἀλλ' ἀλκῇ τῇ ἑαυτοῦ τοῦτ' ἔστι δόγμασι τῶν ἐφ' ἡμῖν, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῖν. Ταῦτα γάρ ἐστι μόνα τὰ τοὺς ἐλευθέρους ποιοῦντα, τὰ τοὺς ἀκωλύτους, τὰ τὸν τράχηλον ἐπαίροντα τῶν τεταπεινωμένων, τὰ ἀντιβλέπειν ποιοῦντα ὀρθοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς πρὸς τοὺς πλουσίους, πρὸς τοὺς τυράννους καὶ τὸ τοῦ φιλοσόφου δῶρον τοῦτο ἦν. σὺ δὲ οὐκ ἐξελεύσῃ θαρρῶν, ἀλλὰ περιτρέμων τοῖς ἱματιδίῳ, καὶ τοῖς ἀργυρωματιδίοις. δύστηνε οὕτως ἀπώλεσας τὸν μέχρι νῦν χρόνον. Τί οὖν ἂν νοσήσω; νοσήσεις καλῶς. Τίς με θεραπεύσει; ὁ θεός, οἱ φίλοι σκληρῶς κατακείσομαι. ἀλλ' ὡς ἀνήρ. οἴκημα ἐπιτήδειον οὐχ ἕξω. ἐν ἐπιτηδείῳ νοσήσεις. τίς μοι ποιήσει τὰ τροφεῖα; οἱ καὶ τοῖς ἄλλοις ποιοῦντες. ὡς Μάνης νοσήσεις. Τί δὲ καὶ τὸ πέρας τῆς νόσου; ἀλλ' ὅτι ἢ θάνατος; ἆρ οὖν ἐνθυμῇ ὅτι κεφάλαιον τοῦτο πάντων τῶν κακῶν τῷ ἀνθρώπῳ καὶ ἀγεννείας καὶ δειλίας, οὐ θάνατός ἐστι, μᾶλλον δ' ὁ τοῦ θανάτου φόβος; ἐπὶ τοῦτον οὖν μοι γυμνάζου, ἐνταῦθα νευέτωσαν οἱ λόγοι πάντες, τὰ ἀσκήματα, τὰ ἀναγνώσματα καὶ εἴσῃ ὅτι οὕτος μόνος ἐλευθεροῦνται ἄνθρωποι.

ΑΡΡΙΑΝΟΥ

ΑΡΡΙΑΝΟΥ ΕΠΙΚΤΗΤΟΣ

ΒΙΒΛΙΟΝ ΤΕΤΑΡΤΟΝ ARRIANI

Commentariorum Epicteti

LIBER QVARTVS.

Ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστὶν, οὔτε κωλῦσαι, οὔτε βιάσασθαι. οὗ αἱ ὁρμαὶ ἀνεμπόδιστοι, αἱ ὀρέξεις ἐπιτευκτικαὶ, αἱ ἐκκλίσεις ἀπερίπτωτοι. τίς οὖν θέλει ζῆν ἁμαρτάνων; οὐδείς. τίς θέλει ζῆν ἐξαπατώμενος, προπίπτων, ἄδικος ὢν, ἀκόλαστος, μεμψίμοιρος, ταπεινός; οὐδείς. οὐδεὶς ἄρα τῶν φαύλων ζῇ ὡς βούλεται· οὐ τοίνυν οὐδ' ἐλεύθερός ἐστι. τίς δὲ θέλει λυπούμενος ζῆν, φοβούμενος, φθονῶν, ἐλεῶν, ὀρεγόμενος καὶ ἀποτυγχάνων, ἐκκλίνων καὶ περιπίπτων; οὐδείς. ἔχομεν οὖν τινα τῶν φαύλων ἀνάλυπον, ἄφοβον, ἀπερίπτωτον, ἀναπότευκτον; οὐδένα. οὐκ ἄρα οὐδὲ ἐλεύθερον. Ταῦτα ἄν τις ἀκούσῃ δισύπατος, ἂν μὲν προσθῇς, ὅτι σύ γε σοφὸς εἶ, οὐδὲν πρὸς σε ταῦτα, συγγνώσεταί σοι. ἂν δ' αὐτῷ τὰς ἀληθείας εἴπῃς, ὅτι τῶν τρὶς πεπραμένων οὐδὲν διαφέρεις πρὸς τὸ μὴ καὶ αὐτὸς δοῦλος, τί ἄλλο ἢ πληγάς σε δεῖ προσδοκᾶν; πῶς γάρ φησιν ἐγὼ δοῦλός εἰμι; ὁ πατὴρ ἐλεύθερος, ἡ μήτηρ ἐλευθέρα, οὐ ὠνὴν οὐδεὶς ἔχει. ἀλλὰ καὶ συγκλητικός εἰμι, καὶ Καίσαρος φίλος, καὶ ὑπάτευκα καὶ δούλους πολλοὺς ἔχω. Πρῶτον μὲν ὦ βέλτιστε συγκλητικὲ τάχα σου καὶ ὁ πατὴρ τὴν αὐτὴν δουλείαν δοῦλος ἦν, καὶ ἡ μήτηρ καὶ ὁ πάππος, καὶ ἐφ' ἑξῆς πάντες οἱ πρόγονοι. εἰ δὲ δὴ καὶ μάλιστα ἦσαν ἐλεύθεροι τί τοῦτο πρός σε; τί γὰρ ἐκεῖνοι μὲν γενναῖοι ἦσαν σὺ δ' ἀγεννὴς, ἐκεῖνοι μὲν ἄφοβοι σὺ δὲ δειλὸς; ἐκεῖνοι μὲν ἐγκρατεῖς σὺ δ' ἀκόλαστος; καὶ τί φησι τοῦτο πρὸς τὸ δοῦλον εἶναι; οὐδέν σοι φαίνεται τὸ ἄκοντά τι ποιεῖν τὸ ἀναγκαζόμενον τὸ στένοντα πρὸς τὸ δοῦλον εἶναι; τοῦτο μὲν ἔστω φησίν. ἀλλὰ τίς με δύναται ἀναγκάσαι εἰ μὴ ὁ πάντων κύριος Καῖσαρ; οὐκοῦν ἕνα μὲν δεσπότην σου καὶ αὐτὸς ὡμολόγησας. ὅτι δὲ πάντων ὡς λέγεις, κοινός ἐστι μηδέν σε τοῦτο παραμυθείσθω. ἀλλὰ γίνωσκε ὅτι ἐκ μεγάλης οἰκίας δοῦλος εἶ οὕτω καὶ Νικοπολῖται ἐπιβοᾶν εἰώθασι, νὴ τὴν Καίσαρος τύχην ἐλεύθεροί ἐσμεν, ὅμως δ' ἄν σοι δοκῇ. τὸν μὲν Καίσαρα πρὸς τὸ παρὸν ἀφῶμεν ἐκεῖνο δέ μοι εἰπὲ οὐδέποτ' ἠράσθης τινός; οὐ παιδισκαρίου; οὐ δούλου οὐκ ἐλευθέρου τί οὖν τοῦτο πρὸς τὸ δοῦλον εἶναι τι ἐλεύθερον; &c.

Vitruuii Architectura sæpius emendata.

CAPVT XXIII.

AVgusti hic æqualis, cui & libros decem de Architectura inscripsit, ea elegantia, vt artis sit vsus vocabulis maxime propriis. Bonam ei operam Gul. Philander, Gallus, & Daniel Barbarus, homo Italus, quisque pro virili nauauit, sed qui posteris etiam spicas legendas reliquerint. Eius rei exemplum demus, nacti olim Toleti codicem perantiquum, in quo operæpretii nonnihil in comparando fuit. Sic enim capite I. editur: *Non minus Lacones, Pausania Cleombroti filio Duce Platæo prælio, pauca manu infinitum numerum exercitus Persarum cum superauissent, acto cum gloria triumpho, [spoliorum & præda] porticum Persicam ex manubiis laudis & virtutis ciuium, indicem [victoriæ] posteris pro trophæo constituerunt.* Glossematis fœdatus sane locus. Hæc enim: *spoliorum & præda*, ex-

Gg positio

positio fuisse videntur dictionis, *manubiis*; vt statim *laudis & Virtutis* glossema est τῇ *Victoria*. Legendum itaque fortasse hoc modo: *Actocum gloria triumpho, porticum Persicam ex manubiis, laudis & Virtutis ciuium indicem, posteris pro trophaeo constituerunt.* De hac autem *porticu* multa Pausanias non dux ille sed Graeciae descriptor, in Laconicis, & Æmilius Probus, seu Cornelius Nepos in Pausaniae vita, huiusq; interpretes Longolius, Magius, & Lambinus.

Post autem, de artium agens compositione, constare nimirum ex opere, & eius ratiocinatione, hoc est, vt in scholis loquuntur, πρακτικῇ ϗ θεωρητικῇ, *Vti Medicis*, inquit, *& Musicis, & de venarum rythmo, & de pedum motu.* Glossemate hic quoque locus inquinatus. Toletanus codex praefert: *Et de venarum sfigmo.* Puto legendum *de venarum & pedum rythmo.* Martianus Capella lib. de Musica: *Herophilus aegrorum venas rythmorum collocatione pensabat.*

Lib. II. cap. I. initio de priscorum hominum vita, & de principiis humanitatis agens; *Interea*, inquit, *quodam in loco ab tempestatibus & ventis densae crebritatibus arbores agitatae, & inter se terentes ramos ignem excitauerunt: & eo flamma vehementi perterriti, qui circa eum locum fuerunt, sunt fugati.* Prodigii simile, ramorum attritu ventorum impetu ignem excitatum atq; excusum, vt Virgilii verbo vtar, siluamq; hinc cōflagrasse. Quod in prodigiis numerari sat scio, & maiorum memoria Hercyniam syluam aestu inflammatam legere memini; refertq; Thucydides similia lib. II. belli Peloponnesiaci, de Plataeensi incendio; Ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὑτὴν ἀπὸ ταὐτομάτου, πῦρ καὶ φλόγα ἀπ' αὐτοῦ ἀνῆκε. *Iam & alias accidit arbores, quae sunt in montium syluis, casu, vi ventorum, mutuo attritu collisas, ignem flammamq; ex hoc conceptam emisisse.* Adhaec in Vestalibus sacris ignem reparari solitum si per nefas extinctus esset, lignorum attritu, auctor est Pompeius Festus, in dict. *Ignis Vesta*, & Lipsius noster Syntagmate *De Vesta & Vestalibus*, cap. VIII. & plurib. Muretus in lib. II. Natural. Quaest. cap. XXII. Causas anquirant Philosophorum παῖδες ac Medicorum: nos aliò tendimus.

Cap. III. extremo. *Est autem in Hispania vlteriore Calentum, & in Gallis Massilia, in Asia Pitane, vbi lateres cum sunt ducti & arefacti proiecti natant in aqua.* Membranae Tolet. amplius: *Calentum ciuitas maxima, & in Galliis, & in Asia Pithone.* Legendum fortasse hoc modo: *Est autem in Hispania vlteriore ciuitas & Massia, in Asia Pitane.* Sic enim fere Plinius lib. XXXV. Nat. Hist. cap. 14. *Massiam* Theopompus apud Stephanum Byzantium de Vrbibus in Baetica Hispaniae collocat. Vnde fortasse loci ignarus, & Galliae perstudiosus pro *Massia* ad oram notarat: *in Galliis Massilia*; quod in contextum seriemq;, vt fieri amat, pòst irrepserit. Tu lege Senecam lib. III. Naturalium Quaestionum cap. XXV. de his lateribus.

Palma.

Palma. *M. Varronis emendatus locus.*

CAPVT XXIV.

IN M. Terentii Varronis, togatorum doctissimi aureis *de re rustica* libris, post diligentem Victorii, ac Scaligeri operam, multa adhuc esse cum deprauata, tum temerè adiecta facile mihi dabit, quisquis eos libros legere paullo attentius, commodo suo ac publico animum induxerit: & cum M. Catone qui antea; quiq; postea Columella ac Palladio de Agricultura scripserunt, comparare voluerit. Id adeo verum esse reapse nuper comperi cum Vinalibus forte de vitis natura in hæc libro I. cap. *31.* inquirerem paulo diligentius. Verba doctissimi scriptoris apponam: *Eiuncidum enim sarmentum propter infirmitatem sterile, neq; ex se potest eiicere vitem: quam vocant minorem, flagellum: maiorem etiam vnde vuæ nascuntur, palmam. Prior, littera vna mutata, declinata à venti flatu, similiter flabellum ac flagellum. Posterior, quo ea* [*vitis*] *immittitur ad vuas pariendas, dicta primo videtur à pariendo parilema: exin mutatis litteris (vt in multis) dici cœpta, palma.* Ita Victoriana editio. Emendo: *Posterior, quod ea summittitur ad vites parietinas dicta primo videtur à pariendo parilema: exin minutis litteris (vt in multis) dici cœpta, palma:* Lego autem ductus litterarum secutus, & Columellæ auctoritatem probans, *summittitur*, qui ex Varrone locum sic descripsit, lib. IV. cap. *6. Primo tamen, bini pampini summittuntur, vt sit alter subsidio, si alter forte deciderit.* Et infra: *Id tamen sarmentum quod in materiam summittimus, vt de sarmentis duobus, quæ vitibus relinqui Varro ait. vnum, quod dicitur flagellum, summittitur ad materiam; alterum, quod Palmam vocat, summittitur ad vuas pariendas, & à pariendo Palma dici forte cœpit. Vitis* vero vox cusa ex *sum*, deletur à nobis. Nam antecessit prius. Lego quoque *minutis litteris* pro, *mutatis.* Litteræ enim, vt in hoc omni Philologiæ genere, quod prisci docent Litteratores, *adduntur, demuntur, aut mutantur.* Hic vero ex *parilema* dum fit *palma*, abiiciuntur non mutantur. Ceterum *vitis* Etymon non hoc quidem loco M. Varro tradit, sed semel iterumq; lib. IV. de Ling. Lat. Etymologiæ seu Originum.

Vitruuius emendatus. De Euripidis loco disputatum.

CAPVT XXV.

REdit ad nos Architecturæ artifex Vitruuius. Is lib. IX. cap. IV. de Gnomonicis dissetens, de Veneris stella sic ait: *Ergo totam circuitionem in cælo,*

quadringentesimo & octogesimo quinto die permensa iterum in id signum redit, ex quo signo prius iter facere cœpit. Nisi me fugit ratio, fallitur calculus, mendum esse in numeris, vt sæpè fit, deprehendi. Nam si ratio vera esset in singulis signis, Venus moraretur diebus quadraginta: quod ipse Vitruuius fieri tantum ait, cum Soli radiis impeditur: alioqui XXX. diebus signi spatium percurrere. Quare emendandum censeo: *Trecentesimo & octogesimo quinto die.*

Pòst non longe de Sole agens: *Antecurrentes,* inquit, *stellas, veluti refrenando, retinendoq́; non patitur progredi, sed ad se cogit regredi, & in alterius trigoni signum esse.* Extrema hæc deprauata nullus dubito. Dixit enim paulo ante: *donicum idem Sol de eo trigono in aliud signum transitionem fecerit.* Quare hic legendum arbitror: *in alterum trigonò signum esse*; pro *in alium à trigono*, quomodo loqui solet æqualis eius æui Q. Horatius lib. I. Epist. 16. v. 20.

Neue putes alium sapiente bonoq́; beatum.

Brutus item & Cassius epist. ad M. Antonium, vt legit quidem è fidissimo exemplari Victorius, Notis ad III. Varronis de Re rustica: *Nos ab initio spectasse otium: nec quidquam aliud libertate communi quæsisse, exitus declarat.* Sequitur statim Euripidis versus, qui non tam à scriptura quam sensus veritate laborat: *Id etiam*, inquit, *Euripides Græcorum Poëta animaduertisse videtur. Ait enim quæ longius à Sole essent, hæc vehementius ardere; propiora vero contemperata habere. Itaq; scribis in fabula Phaetonte sic:*

Καίει τὰ πόῤῥω, τὰ δ' ἐγγὺς εὔκρατ' ἔχει.

Vbi τ' ἀγχίγυα δ' εὔκρατα ἔχει, è vestigiis veteris codicis Toletani verius fortasse videatur: vt Dionysius Afer in περιηγήσει—Καὶ ἀγχίγυοι Νιγρῆτες, & *finitimi Nigritæ.* Apollonii quoque Rhodii Scholiastes lib. II. Argonaut. Ἀγχίγυοι οἱ πλησιόχωροι, οἱ γείτονες *contermini, vicini.* Verum enimuero paradoxum videatur quod Euripides ait, quæ Soli sint viciniora, ac propinqua, temperata esse; Vri vero longinquiora; quod contra in circulis seu zonis orbis habitabilis apparet. Refellitq; diserte Philo Iudæus lib. *de Confusione linguarum:* Vbi de Sole & æthere sic disserit: ὅτι ὁ αἰθὴρ ἱερὸν πῦρ, φλόξ ἐστιν ἄσβεστος, ὡς καὶ αὐτὸ δηλοῖ τοὔνομα, παρὰ τὸ αἴθειν, ὃ δὴ καίειν ἐστὶ κατὰ γλῶτταν εἰρημένον· μάρτυς δὲ μία μοῖρα τοῦ οὐρανίου πυρὸς ἥλιος, ὃς τοσοῦτον γῆς ἀφεστὼς ἄχρι μυχῶν τὰς ἀκτῖνας ἐπιπέμπων, αὐτήν τε καὶ τὸν ἀπ' αὐτῆς ἀνατείνοντα μέχρι τῆς οὐρανίου σφαίρας ἀέρα φύσει ψυχρὸν ὄντα, τῇ μὲν ἀλεαίνει, τῇ δὲ καταφλέγει. τὰ μὲν γὰρ ὅσα ἢ μακρὰν ἀφέστηκεν αὐτοῦ τῆς φορᾶς, ἢ ἐγκάρσια παρεκκέκλιται ἀλεαίνει μόνον, τὰ δ' ἐγγὺς ἢ ἐπ' εὐθείας ὄντα, καὶ προσσυνεκαίει βίᾳ. *Quoniam æther sacratus ignis, flamma est inexstinguibilis, iuxta Græcam nominis etymologiam,* παρὰ τὸ αἴθειν, *quod vrere significat. Testis est Sol, ignium pars cælestium, qui ex tanto internallo intima terræ penetrat suis radiis: nec tantum hanc, sed & aerem,*

aerem, qui ad cælestem vsque orbem ad ea pertinet, licet suapte natura frigidum, partim tepefacit, partim exurit. Nam quæcunque aut multum distant ab eius orbita, aut ad latus alterutrum declinant, tepefacit tantummodo. Quæ vero aut propinqua sunt, aut directe opposita, maiore vi caloris exurit.

In M. Vitruuio & Athenæo de Machinis emendata. Orseis *nympha.* τρίγλυφα. Cochlea. Elepolis.

CAPVT XXVI.

I. Vitruuius in manus iterum incidit. Lib. III. cap. 2. Peccatum interpunctione est, cum ait: *Vti est ad circum maximum Cereris & Herculis. Pompeiani item Capitolii.* Lege forte *& Herculis Pompeiani: item Capitolii.*

II. Lib. IV. cap. I. *Namque Achaia Peloponnesoq; tota Dorus Hellenis & Opticos Nymphæ filius regnauit.* Hæret hic aqua Philandro, vt ad Bocatii auctoritate pusilli Genealogiam confugerit: nec mirum. Deprauatus enim est locus. Toletanus codex, *Helenidos & Spectidos* præfert; alter etiam *Exoptidos.* Emendo: *Hellenis & Orseidis.* Sic enim Apollodorus Atheniensis lib. I. Biblioth. Deorum: Ἕλληνος δὲ καὶ νύμφης Ὀρσηΐδος Δῶρος, Ξοῦθος, Αἴολος. *Ex Hellene & Orseide nympha Dorus, Xuthus, & Æolus.*

III. Ibidem *Triglyphos.* Vitruuius nominat, cum mutulis, de quibus variant architecti, vt Bernardinus Baldus, Vrbinas, doctissimus Abbas, de verborum significatione apud Vitruuium Pollionem, Commentario differit: qui & ipse in sequenti capite *Triglypha* describit, vtiturque voce Aristoteles lib. X. Ethicorum ad Nicomachum, cap. 4. exempla ab ædificantibus petens. Vbi interpretes, vt fit, rei ignari, multa peccant, atque ineptiunt, ac ne Eustathius quidem Græcus Aristotelis interpres, aut Euripidis in Oreste Scholiastes rem sunt assecuti, neque Hesychius ac Phauorinus. Artifices itaque hic erant consulendi. Diphilum quoque Comicum apud Athenæum τρίγλυφα, pro domus ornamento cepisse, & Euripidem εἴσω τριγλύφων dixisse obseruasso.

IV. Lib. VII. Vitru. cap. 14. *Aut annulariam, vitrumq; quod Græci ὕαλον appellant, inficientes.* Vetus cod. Carpentanus: *vitro, quod Græci hyalin vocant.* Lege *vitro, quod Græci ἰσάτιν.* Oribasius consulendus, & Plinius lib. XXXV. cap. 6. *Isatin* autem infectores *herbam vitrariam* nominant. Legendus & Turnebus lib. VI. Aduersariorum cap. 17. & lib. XXIII. cap. 22.

V. Lib. VIII. cap. I. *In quibus locis ea non significabuntur inuentiones, sic erunt experiunda.* Legendum: *In quibus, si hæc significabuntur.* Sic enim apud Palladium de *Re rustica* legitur. Statimque pro *latus pedes tres; altus* forte legendum. Et in sequenti capite: *Gallia, Rhodanus: Belgica, Rhenus.* In Toletano Cod. *Celtica* erat, pro *Belgica.* Cap. III. Pro Ἀσφαλτὶς, lege, vt Græcis est Ἀσφαλτῖτις λίμνη. Ἄσφαλτον

enim bitumen est: quo de Pomponius Mela, & Corn. Tacitus lib. V. Historiarum, ibidemque doctissimus interpres Lipsius. Infra, pro *Lucaniæ Crathis*, antiquus liber habet; *Sequanus Araris*, nihil tamen demuto: nam & *Crathidos*. L. Seneca lib III. Quæstionum Naturalium meminit, ibidemque M. Ant. Muretus.

VI. Transeo ad librum Vitruuii X. cap. XI. vbi de *Cochlea* agit; & de lacu Thrasymeno, qui nunc *Perusinus* dicitur, à se conspecto, & cochlea à se visa ad specum, Gul. Philander iocundè magis quam necessario. Nos de eius inuentore è Diodoro Siculo. Sic enim lib. I. Bibliothecæ, vbi de Ægyptiis rebus diffusè; Archimedis inuentum esse prædicat: τ δ' ἀνθρώπων ῥᾳδίως ἅπασαν ἀρδευόντων διά τινος μηχανῆς. ἣν ἐπενόησε μὲν Ἀρχιμήδης ὁ Συρακούσιος, ὀνομάζεται δὲ ἀπὸ τοῦ σχήματος κοχλίας. *Incolæ facile AEgyptum irrigant machina quadam, ab Archimede Syracusio inuenta, quæ à forma cochleæ nomen habet.* Et rursum libro V. Καὶ τὸ πάντων παραδοξότατον. ἀπορύτλουσι γὰρ τὰς ῥύσεις τῶν ὑδάτων τοῖς Αἰγυπτιακοῖς λεγομένοις κοχλίαις, οὓς Ἀρχιμήδης ὁ Συρακούσιος εὗρεν ὅτε παρέβαλεν εἰς Αἴγυπτον. *Quod ante omnia admireris; illos aquarum profluxus cochleis (quæ AEgyptiæ vocantur) exhauriunt. Inuentor harum fuit Archimedes, in sua ad AEgyptios peregrinatione.*

VII. Cap. XXII. De *Helepoli* machina, quæ quo pacto paretur docet Ammianus Marcellinus lib. XXIII. & Athenæus Græcus scriptor bellicarum machinarum, qui penes nos est calamo exaratus, typis nondum euulgatus, de Demetrio Rhodio eadem hæc prior, quam Vitruuius, commemorat. Ἡ δὲ ὑπὸ Ἐπιμάχου τοῦ Ἀθηναίου γενομένη ἑλέπολις. ἣν Δημήτριος ὁ Ῥόδιος πολιορκῶν προσήγαγον τοῖς τείχεσιν αὐτῶν, ἐστὶ τοιάδε. τὸ μὲν ὕψος λαμβάνει πήχεις ϛ΄. τὸ δὲ πλάτος πήχεις η΄. γίνεται δὲ τῷ σχήματι πυργοειδής. ὑπομένει δὲ πληγὴν ὡς τριάκοντα ταλάντου λίθου. Sed mutuas, vt par est, conferamus operas, opemque Græco scriptori mutuo præstemus. Nam & hic pro τριάκοντα ταλάντου, quod est scribarum vitio peccatum, rescribendum equidem existimo τριταλαντιαίου λίθου, hoc est, trium talentorum lapide. *Talentum* enim Vitruuio, centum habet & viginti pondo, vt ex hoc ipso Vitruuii capire apparet. Igitur pondo CCC. LX. tria conficiunt talenta. Porro ad latitudinem quod attinet, Plutarchus in Demetrii vita, cubitorum ait fuisse XLVIII. Diodorus vero Siculus lib. XX. Biblioth. XLV. Vt in Athenæo legendum vicissim videatur μή: & apud Vitruuium, *Pondo LXXII.*

Oppiani de piscatu libri expurgati.

CAPVT XXVII.

IN Poetarum quidem censum Oppiani Cynegetica, nonnihil pro virili illustrando, retulimus; nunc à re, qua de agitur, de Piscium puta natura, ad Philosophiam refero. Medici enim de his, vt & de victus ratione pertractant. Sequor in his iudicium fere M. Fabii grauissimi ingeniorum artiumque existimato-

matoris, & lepidi Martialis, qui *M.Lucanum* non poetis, (vt vulgus, quia metrica duntaxat considerat) sed Historicis adnumerandum censent: quod res gestas temporum serie commemoret, non à media auspicatus re, neque fingat etiam (quod poetarum esse proprium Aristoteles indicat) nec ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς.

I. Eius poetæ lib. I. Ἁλιευτικῶν hæc obseruabam: V. 349.

Πορπαὶ δ' ἰθύνουσι δόμον καὶ νῆα, καὶ ἰχθύν.

Ita lege pro ἰθύνουσι δόμονδε vt supra V. 255. ἄλλοτε δ' ἄλλον ἀλὸς πόρον.

V. 371. Μάλθη θ', ἡ μαλακῇσιν ἐπώνυμος ἀδρανίῃσι.

Lego ex cod. perantiquo Vaticanæ bibliothecæ à me diligenter inspecto: Μάλθη τ' οὐ. Adscriptum enim erat: οὐ γὰρ μαλακὴ τὴν δύναμιν, ἀλλὰ τοὐναντίον ἰσχυρά ἐστι.

V. 740. Ἀσπασίως τέτληκε, πάλιν δ' ὑπεχεύατο παῖδας

Σπλάγχνοις. ——In membranis repperi ὑπεδέξατο.

II. LIBRO III. extremo, Celtas Phocæensium facit colonos.

Κελτοὶ Φωκαίης τε παλαίφατοι ἐνναετῆρες.

Ἄποικοι γὰρ Φωκαιέων οἱ Κέλτοι, vt & Massilienses, teste Strabone lib. IV. Geogr. Κτίσμα δ' ἐστὶ Φωκαιέων ἡ Μασσαλία. Lege Iustinum lib. XLIII. & M. Lucanum lib. III. Pharsal. c.

III. LIBRO IV. versu à fine prope 92.

Ὀρνίθων δήσαντο θοὰ πτερά. ——

Illustrant hunc locum quæ disserit Arrianus ad Epictetum Enchirid. lib. II. cap. I. Versu hinc 9. ——ἐπ' ἀλλήλοις δὲ χέοντες, κέχυνται scriptum erat in membranis, vt & v. 13. Ἀγχονόμοισιν τοῖσι μέγαν πόνον ——sic inibi calamo erat exaratum: Ἀγχονόμοι, σίνεσι μέγαν πόνον ——ἤτοι βλαπτικοῖς ἀνθρώποις.

IV. LIBRO V. ver. 153. Φοιταλέας, μηδ' ἰχθὺς ἀπορρήξειε σίδηρον. Est in cod. Vaticano ἰθὺς pro ἰχθὺς. Et statim pro ——πλέκτον βρόχον εἰλίοωσι, scriptum ibi erat: πλαγκτὸν δρόμον εἰλίοωσι.

Cætera in suaui illo poeta, vt minuta, his inserere libris non placuit, sed cum amicis libenter communicauimus.

De calida potione *variæ Doctorum hominum sententiæ.* Thermopolium *Plauti.*

CAPVT XXVIII.

Disputatum nostra memoria memini à Medicorum filiis, quorum proprium est ea anquirere, primum quidem, an Vinum niue circumdatum, aut sulphureo puluere agitando frigefactum valetudini noxium sit, aut salutare? Quo de certarunt scriptis Medici Hispani, ob aeris illius æstum, qui non-

non nisi frigidæ potionem ferat. Deinde non à Medicis modo quæsitum, sed à liberali etiam doctrina præditis viris, An frigida potio calidæ præstet? Num antiqui in deliciis calidam habuerint; denique, fuerintne calida suapte natura vsi veteres, an arte calefacta? Scio equidem Hieronymum Mercurialem, Foroliuiensem, Medicum æui nostri πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων, semel quid sentiret definiuisse, lib. Variar. Lect. I. cap. 8. & doctissimum nostræ ætatis Lipsium lib. I. Electorum cap. 4. & Ios. Castalionem Romæ nobis perfamiliarem, Decad. I. Obseruat. cap. 9. contrarias in sententias abiisse: & Gul. Stuckium lib. III. Antiquitat. Conuiual. cap. 7. Populari lingua vidimus Ant. Persium, qui calidam omnino potionem non defendit modo, sed & commendat. De *Thermopolio* vero apud Plautum, Scholiastæ ipsius complures in Curculionem Act. II. & Persam Act. V. & Trinummum Act. IV. & Turnebus in loca Ciceronis ex lib. II. de Orat. & nos adolescentes admodum ad Aurelium Victorem in Tiberio Nerone, qui per iocum à potu frequenti *Caldius Biberius Mero* audiit, pro Claudio Tiberio Nerone. Equidem in hac controuersia nihil addam ambitiosè, neque me arbitrum controuersiæ interponam.

Non nostrum hos inter tantas componere lites.

Loca duntaxat Auctorum, ne planè asymbolus hinc abeam, aliis fortasse intacta appendam, quæ per me quisque arbitratu suo discutiat, expendatque, & quam in partem libet, concedat. Animus enim est, quam minimum obniti, quòd ex eo non pendeant, vt ille dicebat, fortunæ Græciæ, neque ex hoc mustaceo lauream quærimus. Arrianus itaque Dissertationum in Epictetum lib. I. cap. 13. calidam prædicat potionem in vsu tum fuisse, & Eunapius Sardianus in Philosophorum Sophistarumque vitis in Aedesio pag. 42. Plant. edit. περὶ τὸ θερμὸν ὕδωρ διαβαλεῖν κεχηνότα: vbi Iunius interpres, cætera doctiss. ambiguum reliquit, an de sitiente Ægyptio an puerpera sermo sit. Idemque historicus in Proæresio pag. 149. καὶ τόν γε ὅλον οὕτω διετέλεσε βίον, ἀπείρατος θερμοῦ γενόμενος ποτοῦ. *Qua certè ratione totum vitæ curriculum exegit, nunquam calidam expertus potionem:* vbi & *meracius* quidam interpretari queant, alii *calidius*. Illud Græcis ἀκρατοποτεῖν καὶ ζωροποτεῖν. Merum enim magis quam mistum vinum calefacit. His addo & Iulii Pollucis lib. IX. cap. 6. pag. 433. nuperæ edit. Περὶ μὲν τοι ποτοῦ παρ' Ὁμήρῳ οὐχ οἷόν τε ἦν εὑρεῖν θερμὸν ὕδωρ ἐπὶ ποτῷ, τὸ δὲ ἦν τοῖς ἀρχαίοις ἰατροῖς. Ἐπεὶ γὰρ ὅταν Ἱπποκράτης εἴπῃ, τὸ ψυχρὸν πολέμιον νεύροισιν, ὀστέοισιν, ὀδοῦσιν, ἐγκεφάλῳ, δῆλον ὡς οἶδε τὸ τοῦ θερμοῦ προσφορὸν τοῖς ὀδοῦσιν. *De potu vero, apud Homerũ, nequaquam inuenire licebit, calidam aquam ad potum referri, sed apud veteres Medicos. Et sane cum Hippocrates ait: Frigidum infestum est neruis, ossibus, dentibus, & cerebro: manifestum est calida dentibus offerenda.* Loca hinc adfert Aristophanis & Philemonis: quæ & Casaub. illustrat Animaduers. lib. III. cap. 14. Claudam Ammiani Marcellini querimonia, de sæculi sui moribus, lib. XXIII. *Ita pauci, inquit, sunt inter eos seueri vindices delictorum, vt si aquam calidam tardius attulerit seruus, trecentis affligi verberibus iubeatur.*

beatur. Cætera argumentorum momenta, qui sitim explere volet, hauriat licet ex Ant. Persii eruditiss. viri Commentario, ac Lipsio nostro, viro nunquam satis laudato.

Orestis ob paricidium silentium. χοὴ χοηφόρος. Plutarch. in Sympofiacis correctus, Macrobius notatus. Anagnostæ in mensa.

CAPVT XXIX.

QVærit summus & Historicus simul & Philosophus Plutarchus initio Conuiualium Quæstionum, An inter pocula philosophari ius fasque sit: quod & Deipnosophistes disputat Athenæus.... Vt si quis hodie quærat, An inter pocula Germanorum ritu, aut de Rep. deliberandum, aut de Religione sit disputandum. De more illo Corn. Tacitus diserte lib. de morib. Germanorum. De hoc omnino certum est nefas esse sacra ita profanari atque exponi. In Chæronensi illo philosopho locus deprauatus hactenus circumfertur, & ne ab H. Steph. in Scholiis quidem animaduersus, necab Hadr. Iunio, qui eos libros paulo meliores interpretando euulgauit. Nos vt emendandum censemus pridem in aduersaria nostra retuleramus, sed, vt bonus est mos, ad hanc diem pressimus studio, cum & Xylandro venisse in mentem post comperimus: sed qui hæsitaret, ac veluti somnii loco venditaret. Nos veram eam esse lectionem vel ex ipso Plutarcho eodem libro repertam, argumẽtis efficiemus necessariis. Sic enim de Orestis agens silentio, etiam in mensis (in quibus quod sit amicitiæ conciliatrix conuiuium, maior exsistere libertas sit) post matris cædem, religiose seruato, sic ait: Εἰ μὲν ἂν, ὥσπερ οἱ τοῦ Ὀρέστου ἑστιῶντες, ἐν θεσμοθείῳ τὴν τρώγειν καὶ πίνειν ἐμέλλομεν, ἦν τι τοῦτο τῆς ἀμαθίας οὐκ εὐτυχὲς παραμύθιον. Reddidit Xyl. *Quod si tanquam Orestem qui conuiuio accipiebant, legibus imperato silentio & seruato, edendum nobis bibendumq; esset, non infelix hoc nostræ inscitiæ nobis esset remedium*: legisseque apparet οὐκ ἀτυχὲς, vel εὐτυχὲς tantum: quòd non male agatur cum indoctis, quoties iis licet suo silentio tegere inscitiam. Prouerbio etenim stultus à sapiente, si taceat nihil distare iactatur. Iunius vero ita conuertit, sibi vt satisfecisse coniectando minime videatur: *Quippe si nobis alicubi vbi leges præfiguntur, ex præscripto viuendum esset, quem faciunt ii; qui insanum Orestem epulis admonent, foret id solatium insipientiæ, quamuis infelix.*

Verum emendandum omnino esse, tametsi hæsitet Xyl. nullus dubito ἐνθέσμῳ σιωπῇ: idque Plutarchi ipsius auctoritate adductus libri secundi Quæstione *K*. euincam hisce verbis: ὥσπερ οἱ Δημοφωντίδαι τῷ Ὀρέστῃ λέγονται πίνειν κελεῦσαι μὴ προσέχοντα τοῖς ἄλλοις. ἢ τοῦτο ὅπερ νῦν γίνεται κρέας προθέμενον καὶ ἄρτον, ὥσπερ ἐκ φάτνης ἰδίας ἕκαστον εὐωχεῖσθαι; πλὴν ὅτι μὴ πρόσκειται σιωπὴ ἡμῖν ἀνάγκη, καθάπερ τοῖς τὸν

Ὀρέστην ξενίζουσιν *Vt Demophontidæ Orestem feruntur cœna excepisse iubentes pro se bibere, neq; obseruare alios: quam id agere quod hodie fit, vt quisq; sibi proposito pane & carne, tamquam è proprio præsepi vescatur? Nisi quod nobis non incumbat necessitas tacendi, vt Orestem conuiuio accipientibus.* De hoc autem silentio Orestis conuiuio excepti, Athenæus lib. X. Δειπνοσοφ. & Suidas in χόες. ὁ Πανδίων παραγενόμενον μετὰ τὸν Ὀρέστην αἰδούμενος, κοινωνῆσαι δὲ ποτοῦ καὶ τραπέζης ἀσεβὲς ἡγούμενος, μὴ καθαρθέντος αὐτοῦ τοῦ φόνου, ὡς ἂν μὴ ἀπὸ τοῦ κρατῆρος πίνοι, ἕνα ἑκάστῳ τῶν κεκλημένων παρέθηκε χοαύ. Æschylus quoque in χοηφόροις Tragœdia, initio cur sic inscripserit, fabulæ ostendit. Est enim χοηφόρος qui gestat libamina mortuorum bustis infundenda. Et Euripides Tragicus alter in Iphigenia Taurica v. 951. hæc inter alia Orestes ait:

> Σιγὴ δ' ἐτεκτήναντ' ἀπόφθεγκτόν μ', ὅπως
> Δαιτός γενοίμην, πώματός τ' αὐτοῦ δίχα.
> *Silentium autem fecit me omnis colloquii expertem*
> *Ac cibi potusq; communione cum cæteris habenda semotus vt essem.*

Et ibi Scholiastes Græcus.

Verum, ne quid dissimulando videar præuaricari, Macrobius libro I. Saturnal. qui liber è Plutarchi Symposiacis magnam est partem descriptus, immutato interdum ordine rerum, Areopagiticum hic subiecit silentium, pro Orestis illo: nescio quid somnians. Nam etsi Areopagitæ in tenebris, (ne personarum dilectum haberent, ideoque prooemiis vti nefas esset atque Epilogis) iudicarent, tamen conuiuio id minus est aptum: Licet etiam Alciphron in Epist. Ἀρεοπαγίτου σιγηλότερος parœmia quadam extulit, quod noctu iudicantes silentium tenerent, & arcana seruarent. Verum & plura Macrobii σφάλματα notat doctiss. Medicus Mercurialis lib. III. Variar. c. 4. & 5. Quæri & illud hoc loco possit, si inter pocula philosophari, ne res profanentur, nefas visum, an in mensis legendum sit, aut auscultandum; seruato interim silentio, ne animus plane sit in patinis? vt Religiosi hodie homines solent suis in familiis, more antiquorum.

Hinc etiam veterum *Anagnostæ* in mensis suauiter legendo adhibiti, vt à C. Plinio maiore, sic referente minore lib. III. Epist. V. *Studebat in cœna tempus, super hanc liber legebatur, adnotabatur, & quidem cursim.* Et antea T. Atticus Anagnostas cum haberet optimos, plurimos librarios, & pueros litteratissimos, *nunquam sine aliqua lectione apud eum cœnatum est, vt non minus animo quam ventre conuiua delectarentur. Nemo in conuiuio eius aliud acroama audiuit, quam anagnostem: quod nos quidem iucundissimum arbitramur.* Ad quem locum idem à Cicerone seruatum notaui. Et de B. Augustino Possidius Episc. in eius Vita.

Q. Cl.

Q. Cl. Venuleius & Sempronius Proculus *IC.* ἐκβράζειν. eiicere *vt mare solet.* Ponticis *à Cn. Pompeio data leges. Duo Pandect. loci emendati, vnus expositus.*

CAPVT XXX.

QVantum olim Budæus, Galliæ lumen, nuper etiam Cuiacius atque Hotmanus, locis Iuris ciuilis contulerunt Ciceroni Eloquentiæ Latinæ principi illustrando, tantum vicissim Pandectis Iuris conferre de nostris angustiis studeamus, vt vel voluntas conatusque, vt facultas desit, rata sint. Nunquam enim adolescens à Iurisprudentia abhorrui.

I. Igitur Pandect. lib. XLVII. Tit. IX. L. *3*. §. *Qui eiecta.* D. de inc. ruin. nauf. sic editum in Norica Haloandri editione, post Budæum & And. Alciatum: *Qui eiecta naue quid rapuit, hoc Edicto tenetur. Eiecta, hoc est, quod Græci aiunt* ἐξοκελλομένης. Alibi vero editum ἐκλυζομένης, malè. At in Florentinæ Reip. venerandæ antiquitatis membranis disertim scribi refert clariss. IC. Ant. Augustinus lib. IV. Emendationum cap. XVI. ad hunc modum: *Quod Græci dicunt* ἐξεβράσθη: quod ἀπὸ τοῦ ἐξεβράζειν deriuatum. Quod verbum vt verius, nec in vulgus satis notum, comprobandum nobis est auctoritate Pausaniæ in Laconicis. Sic enim pag. *107*. Gr. Wechel. Oreatas, post Brasias hinc dictas, quod arca Semeles corpus continens eo esset æstu maris eiecta, ac delata in eos fines. Ἐπὶ τούτῳ δὲ αὐτοὺς καὶ τὴν πόλιν Ὀρειάτας ἐς ἐκεῖνο ὀνομαζομένας, μετονομασθῆναι Βρασιὰς ἐπὶ τῇ ἐκβολῇ τῇ ἐς τὴν γῆν τῆς λάρνακος. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐφ' ἡμῶν τὰ ὑπὸ τοῦ κλύδωνος ἀπωθούμενα ἐς τὴν γῆν ἐκβεβράσθαι καλοῦσιν οἱ πολλοί. Romulus Amasæus sic reddidit: *Eam fuisse causam vt vrbs sua, quæ ad illud vsque tempus Oreatæ appellata fuerat iam mutato vocabulo Brasiæ dicerentur, sumpto nomine ab arcæ in eam oram eiectione: quando ætate etiam nostra, quæ maris æstu ad terram extruduntur,* ἐκβεβράσθαι [id est, maris æstu eiectari] *à multis dicuntur.* Præstans etiam Iuris interpres Alciatus, ἐκβολὴ legendum aliquando putauit ad L. iubemus. C. de nauiculariis lib. II. Florentinam ego lectionem sic confirmatam, longe antepono.

II. Rursum retro Lib. Pand. XLV. Tit. II. de duobus reis constituendis, L. XII. *Si ex duobus*, ait Venuleius, *qui promissuri sunt, hodie alter, alter postera die responderit, prolutus non esse duos reos*: & quæ sequuntur. Nodum sic dissoluere Haloander tentauit, vt *probatur*, pro Florentina lectione *prolutus*, approbante etiam hodie Dionysio Gothofredo, reponeret. Alii enim *promitto*, quidam *prolatus*, id est delatus subiiciunt. Quidam etiam libri veteres *prolocutus* præferunt. Vnde audaci conatu, forte an vero, *Proculus* repono, traiectis leuiter literis: & verbum *Respondit, existimat*, aut quid simile, frequenter omitti aliàs quiuis obseruet non admodum in his libris legendis, summa elegantia plenis, hospes ac peregrinus. Emendationem probo ex Tit. proxime antecedenti de verborum

obligationib. L. *138*. vbi idem Venuleius in iisdem *Stipulationum* libris, sed quarto sic ait: *Proculus, & cæteri diuersæ Scholæ auctores, quamdiu vel exiguum tempus ex nundinarum spacio superesset, peti posse existimant. Sed ego cum Proculo sentio.* Iterumque lib. Pandect. XLII. Tit. VIII. L. *25*. §. *5*. vbi Venuleius lib. VI. Interdictorum: Proculus ait: *Si mulier post alienationem conceperit, &c.* Hic autem dictus *Q. Claudius Venuleius Saturninus*, Iureconsultus; quem ex Indice Pand. Græcolat. præter libros *Stipulationum* vndeviginti, disco reliquisse etiam ibidem allegatos *Actionum* libros X. *De interdictis* VI. *De officio Proconsulis* IV. *Publicorum Iudiciorum* III. *Disputationum* VII. *Ad Edictum* libros X. At *Proculus* (cuius gratia in ius inquirere hic cœpimus, non tamen plane extra rem, nec ἀπροσδιονύσως) dictus est *Sempronius Proculus*: in sex fuit Iurisconsultis qui à Masurio Sabino ad Saluium Iulianum floruerunt. De quo & Pomponius Tit. II. de Orig. Iuris: *Ateio Capitoni*, inquit, *Masurius Sabinus successit, Labeoni Nerua: Neruæ Proculus.* Mox: *Proculi auctoritas maior fuit. Nam etiam plurimum potuit, appellatiq; sunt partim Cassiani, partim Proculeiani.* Eius *Epistolarum* libros octo Pandectes citat, indexque præmissus. Citantur tamen *Epistolarum* etiam vndecimus, nisi peccat numerus, Lib. Pandect. XVIII. Tit. I. L. *69*. & Lib. XV. Tit. V. L. *12*. Rursumque lib. XXIII. Tit. IV. L. *17*.

III. Iterum nodus est Libro Pandect. L. Tit. I ad Municipalem, & de incolis §. *2*. Qui ex duobus. *Celsus etiam refert Ponticis ex beneficio Pompeii Magni competere, vt qui Pontica matre natus esset, Ponticus esset.* Pompeiam hic legem significare Annalem arbitror, cuius hæc capita erant in prouincia Pontica & Bithynia. Tulit enim Pompeius, *vt Bithyniorum ciuitatibus adscribere sibi quos vellent, ciues liceret, dum ne essent alienæ ciuitatis*, vt C. Plinius II. Traiano Imp. consulendo scribit lib. X. Epist. CXIII. & CXV. *Neue Decuriones in Curiam lecti à Censoribus pecuniam pro introitu darent.* Denique *ne quis annis triginta minor Magistratum caperet, in Senatuve esset*, vt Epist. XXCIII. & sequ. clarum. Cn. Pompeius Magnus cognomento, deuicto Mithridate Ponti Rege, ac multis prouinciis in ditionem Rom. redactis, vt Appianus in Mithridatica refert, deuictarum gentium quasdam liberas esse voluit, societatis in bello gratia: quasdam in prouinciæ formam redegit, legesque dedit necessarias.

M. Cicero adhæc Orat. *de Prouinciis Consularibus*, anno nimirum sui Consulatus habita, post Romam conditam DCXC. Asiam minorem (quæ antea Romanum terminabat imperium) tribus nouis prouinciis Pompeii victoria cinctam, *Pontum* intelligens, quem ille cum Bithynia iunctum vnam prouinciam, auctore Strabone lib. XII. Geogr. fecit: quæ etiam *Bithyniæ* nomine appellata est: & Syriam quam cum Palæstina in prouinciam redactam rectori delata iurisdictione ait Ammianus Marcellinus lib. XIV. cui tamen de Palæstina Car. Sigonius cur non assentiatur, facit, quod eam Hircano permissam historici omnes loquantur. De Pompeii autem Magni triumpho III. de Ponto, cæterisq;

deui-

deuictis Prouinciis hæc fere Fabulis è Capitolinis Fastorum, Triumphorumque formula fuit:

CN. POMPEIVS CN. F. SEX. N. MAGNVS III. PRO-COS. AN. IↃCXII.
EX ASIA; PONTO. CRETA. CILICIA. PAPHLAGONIA. CAPPADOC.
SVRIA. IBEREIS. IVDAEEIS. ALBANEIS. ARMENIA. PIRATEIS
ET REGIBVS. MITHRADATE. ET TIGRANE III. ET PRID. K. OCTOB.

Dies prid. Kal. Octob. dies natalis eius fuit, vt prodit lib. Naturalis Hist. XXXVII. cap. II. cuius è libro septimo cap. XXVI. hæc fere præfationis in Triumpho dictæ loco refert:

CVM ORAM MARITVMAM A PRÆDONIBVS LIBERASSET
ET IMPERIVM MARIS POPVLO ROM. RESTITVISSET
EX ASIA, PONTO ARMENIA, PAPHLAGONIA, CAPPADOCIA
CILICIA, SVRIA, SCYTHEIS, IVDAEEIS, ALBANIS, IBEREIS,
INSVLA CRETA, BASTERNEIS, ET SVPER HAEC DE
REGIBVS MITHRIDATE ATQVE TIGRANE TRIVMPHAVIT.

Ante diem, & Ex ante, vel post diem, *nihil addere aut demere. Iureconsulti, Historici, ac Plutarchus illustratus. VOTA anni initio pro Principis incolumitate, & anni felici auspicio suscepta.* Votis, Ludis. Gladiatoribus, &c.

CAPVT XXXI.

HÆc etsi in vulgus nota contemnent imperiti, necessaria tamen esse cognitu vtinam semel persuadeam: in quibus labi, errare, decipi turpe semper est existimatum: & cuius caussa vt magnæ sæpe in foro lites ortæ, vt paret ex Pandecte Iuris; sic & in Logistica errores exstiterunt. Illud vel pueri, qui bonas discunt litteras Humanitatis non ignorant, in CICERONIS aureis verè Epistolis pro AD legendum in extremo cuiusque Epistolæ A. D. hoc est, *Ante diem* & legi & intelligi oportere. Adhæc nihil illud addere amplius, sed dicis duntaxat gratia atq; ex formula adiici solere: In promptu caussa est, propterea quod retrogrado fere ordine Calendæ vt numerantur, sic & explicantur, exaudiri diem quemuis ante Calendas, Nonas, Idus: quasi per ἀναστροφὴν dictum Ante diem tertium Nonas, pro tertio die ante Nonas. De Calendis eadem ratio est. Eiusdem autem Ciceronis natalem indicat Plutarchus post diem tertium Calendarum, hoc est, die tertio Ianuarii mensis. Ideoq; male vertisse Achillem Bochium, virum nobilem quondam & eruditum, in interpretatione Vitæ CICERONIS apud Plutarchum docet Ant. Augustinus Iureconsultorum æui sui κορυφαῖος lib. IV. Emendationum Iuris cap. VI. Plutarchi verba sunt: Τεχθῆναι τὸν Κικέρωνα λέγουσιν ἡμέρᾳ τρίτῃ τῶν Νέων Καλανδῶν. Ver-

tendum enim erat: *Editum in lucem Ciceronem ferunt post diem tertium Kalendarum Ianuarii*, hoc est, tertio Nonas, vel tertio die Ianuarii. Nec enim τὸ *Ante* vel *Post* hic addit quidquam temporis vel adimit: Quod qui ignorabant eos sæpius turpiter hallucinatos non in Historia modo, quæ testis temporum est, sed & in iure dicundo magni nominis Iureconsultos obseruare memini. Sed idem ipse Plutarchus verum id esse sic ostendit, nodum expediens: ἐν ᾗ νῦν οἱ ἄρχοντες εὔχονται, καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος, *quo die Magistratus pro Principe faciunt, Votaq; nuncupant*. De eo autem die Votisq; Caius in L. 233. Si caluitur. D. De verb. significat, sic ait: *Post Calendas Ianuarias die tertio pro salute Principis Vota suscipiuntur*. Et eod. Tit. Paulus L. 133. Anniculus, vbi Dionysius Gothofredus multa à se collata adnotat, quæ indicasse contentus non describam, legitq; hoc loco de vetere amici cod. *Ante diem duodecimum Calendarum, Post diem duodecimum Calendarum, vtroq; sermone vndecimus dies significatur*. Antonius tamen Augustinus *neutro* è Pandectis Florentinis leg. censebat lib. IV. Emendationum cap. VI. Quæ cum ita sint, VOTA pro salute Principis suscipi fere solita a. d. III. Nonas, hoc est, die tertio Ianuarii, de quo die etiam Dion Cassius lib. LVIII. vbi & Calendis ipsis nonnunquam suscepta fuisse pro Principe Vota commemorat. Intelligendum autem esse diem tertium Ianuarii, anno ineunte, hæc confirmant. Capitolinus in Pertinace: *Deniq; ante tertium Nonarum diem Votis ipsis milites Maternum Lasciuium* (fort. Luscinium, quod notius est gentis Romanæ nomen) *Senatorem nobilem ducere in castra voluerunt. Votis ipsis*, ait, hoc est die ipso Votorum: quomodo in M. Tullii Epistolis *Ludis, Gladiatoribus, Liberalibus, Vinalibus*, reperias, similiaq; à Latinis adhibita: Græcè pro *Liberalibus* τῇ τῶν Διονυσίων ἑορτῇ. Plutarchus in Cæsare de prælio agens Mundensi. Et *Vinalib.* vt iam è Varrone docuimus. Spartianus quoque de iisdem *Votis* in Hadriano Augusto: *Ingrauescente valetudine per somnium periit ipsis Kalendis Ianuariis. Quare ab Hadriano Votorum caussa est lugeri vetitus*. Vbi Casaubonus etiam notat Theodorum Balsamonem cetera eruditiss. ridicule deriuare VOTA ἀπὸ τῶν βοτῶν, siue προβάτων, quasi in honorem Panis pastorum Dei sit festum institutum, ex Canone LXII. Concilii in Trullo. Nimirum Græcarum rerum quam Latinarum vocum peritior ille fuit, & ludibrium hic aliis debuit. Rursum in Imp. Taciti vita Vopiscus ait: *Diuorum templum fieri iussit, in quo essent statuæ Principum bonorum, ita vt iisdem natalibus suis, Parilibus, Kalendis Ianuariis & Votis libamina ponerentur*. Sed huic rei confirmandæ magis magisque, adiicio coronidis vicem Luciani Samosatensis insignem locum è Pseudologista: Ἐνθένδε ἦν μὲν ἡ τοῦ ἔτους ἀρχὴ, μᾶλλον δὲ ἡ ἀπὸ τῆς μεγάλης νουμηνίας τρίτη, ἐν ᾗ οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ τὰ ἀρχαῖα εὔχονταί τι αὐτοὶ ὑπὲρ ἅπαντος τοῦ ἔτους εὐχάς τινας, καὶ θύουσι, Νουμᾶ τοῦ βασιλέως καταστησαμένου τὰς ἱερουργίας αὐτοῖς, καὶ πεπιστεύκασι τοὺς θεοὺς ἐν ἐκείνῃ μάλιστα τῇ ἡμέρᾳ χρηματίζειν τοῖς εὐχομένοις. *Hinc erat anni principium, imo vero tertia dies à magno*

noui-

nouilunio, quando Romani iuxta veterum consuetudinem & ipsi VOTA pro toto faciunt anno, & sacrificia peragunt, vt ipsis Rex Numa sacrificandi ritus hos constituit, persuasique sunt, quod eo potissimum die votis ac precribus Dii intenti sint, atque attendant. Vota autem suscipi ac solui pro incolumitate Principis vel hoc C. Plinii Epist. XLIIII. libri X. ad Traianum Imp. ostendit: *Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publica salus continetur & suscipimus Domine pariter & soluimus, precati Deos, vt velint & semper solui semperq; signari.* Adhæc in Romanor. antiquis nomismatis sub Impp. cusis sæpe videas *Vicenalia* & *Tricenalia* his fere litteris in corolla XX. XXX. signata.

Semisses vsuræ quæ. Barcinonensi Inscriptione comprobatum, & explanatum.

CAPVT XXXII.

QVÆ de Centesimis vsuris ac semissibus, omnique adeo *re nummaria* hactenus inter eruditos controuersa doctè, vt omnia, accurateque olim disseruit Antonius Augustinus Vir Clarissimus, cum adolescens etiam tum esset lib. II. *Emendationum* cap. X. ea exteris hominibus valde probata memini, nec ad Hermolai Barbari *in lib. XIV. Plin. cap. V.* Guliel. Budæi *lib. I. de Asse*, Leon. Portii. Georg. Agricolæ lib. *de Ponderib. & Mensuris*, denique Alciati Dispunct. *lib. III.* diligentiam desiderari quidquam videbatur, præter ea quæ ille è Columella *lib. III. Rei Rusticæ*, Græcisque Iuris interpretibus Theophilo & Harmenopulo, ceterisque vt Plutarcho, ipsarumque Legum perenni fonte feliciter deriuauit. *Centesimam* enim *Vsuram* esse docet, cum in singulos menses pars Centesima vsuræ nomine præstatur; & quoto-anno, vt Varro loquitur, duodecim. Tot enim assis partes numerantur, quibus fere in vsurarum quantitate, vt & in hæreditatibus, legatisque diuidundis, vti solent Iureconsulti. Magno sanè errore Accursii (cætera ingeniosissimi, atq;, vt temporum illorum genius ferebat, non indocti viri) eorumque qui eius opinionem secuti sunt: cum nimium quantum numerent, vt quotannis sortem vsura ipsa centesima simul exhauriat & æquet: cum centum mensibus, hoc est, anno vertente octauo, & quod excurrit, quarto mense, veterum auctoritate constet. *Semisses* vero Vsuræ cum ducentis acceptis singuli nummi mensibus singulis penduntur, quæ efficiunt quoto-anno duodecim nummos. *Semis-*

Semisses igitur, semissem centesimæ partis vsuram significant. Sic *quadrantes, Trientes, Besses, Quincunces*: cum tanta Centesimæ pars, vsuræ nomine mensibus singulis præstatur. Quæ cum Historicorum, scriptorumq; diligenti & acutà comparatione eruta nuper sint; quoniam tamen veteres libri à librariis vitiari; vel studio, lata quadam culpa, vel oscitantia, negligentiaq; & possint, & soleant; grauius mihi fideliusq; testimoniũ mole ipsa & pondere, itaq; incisum, vt obliterari nequeat, semper est visum, litterati lapidis, qui Barcinone ad D. Iusti hodieq; legitur: atq; hìc apponere operæprecium duxi, vt ad omnes, qui quidem Antiquitatis studio, rerumq; præstantium cognitione ducuntur, singularis eius vtilitas manare queat: quod hæc dum tanti nomen viri præferent, posteritati fore grata, ætatemque ferre posse confidam. Inscriptionem nunc adscribere non pigebit, sed non iugatis contractisq; quæ lectionem reddant impeditiorem, litteris antiquis:

L. CAECILIVS L. F.
PAP. OPTATVS
7. LEG. VII. G. FEL
ET 7. LEG. XV. APOLLIN.
MISSVS HONESTA
MISSIONE AB IMP.
M. AVR. ANTONINO ET
AVR VERO AVG. ADLECTVS AB ANTESCR.
INTER IMMVNES CONSECVT.
HONORES AEDILICIOS
II. VIR III. FLAM. ROMAE
DIVORVM ET AVGVSTORVM
QVI R.P. BARC. ITA LEGAVIT.
DO LEGO DARIQ. VOLO -X VII. D
EX QVORVM VSVRIS SEMISSIBVS
EDI VOLO QVOD-ANNIS SPECTAC.
PVGILVM DIE IIII. IDVVM IVNI
VSQVE AT -X CCL. ET EADEM DIE
EX -X CC. OLEVM IN THERMIS PVBLIC.
POPVLO PRAEBERI ET TECTA PRAE
STARI EA CONDICIONE VOLO
VT LIBERTI MEI ITEM LIBERTORVM MEORVM
LIBERTARVMQ. LIBERTI QVOS HONOR
SEVIRATVS CONTIGERIT
AB OMNIBVS MVNERIBVS SEVIRATVS
EXCVSATI SINT

QVOT

QVOT SI QVIS EORVM AT MVNERA
VOCITVS FVERIT TVM EA XV. ĪĪ. Ð
AT REMPVB. TARRACON.
TRANSFERRI IVBEO EADEM FORMA
SPECTACVLORVM QVOT SS. EST
EDENDORVM TARRACONE.
L. D. D. D.

Adſcribam autem integrè Inſcriptionem, quòd in ea recenſenda tricies amplius aberraſſe videam non ineruditum hominem Ambr. Moralem Cordubenſem: qui de Hiſpaniæ Antiquitatibus ſcripſit lapidum & marmorum adhibito teſtimonio: quorum tamen aliquot, & quidem à Cyriaco, confictæ ſunt: vt in variis cum Titulis tum nummis factitatū parentum auorumq; memoria, queritur merito idem Ant. Auguſtinus Dialogo XI. Antiquitatum in Numiſmatis, qui etiam toto Dialogo IX. ſingulatim hanc de Semiſſibus vſuris Barcinonenſem exponendam cenſuit: quos ipſos Dialogos olim ex Hibericis Latinos fecimus, ſed adhuc dedita opera premimus. Titulum integre ſic legito:

Lucius Cæcilius Lucii Filius Papiriâ Optatus
Centurio legionis Septimæ Geminæ Felicis
& Centurio legionis decimæquintæ Apollinaris
miſſus honeſta miſſione ab Imper. Marco Aurelio Antonino
& Aurelio Vero Auguſtis:
adlectus ab ante ſcriptis inter immunes
conſecutos honores Aedilicios:
Duum-vir ter: Flamen Romæ Diuorum & Auguſtorum
Qui Reipub. Barcinonenſi ita legauit:
DO LEGO DARIQ. VOLO
Denariûm ſeptem millia quingentos:
ex quorum vſuris Semiſſibus
edi volo quotannis ſpectaculum pugilum
die quarto Iduum Iunii
Vſque ad denarios quinquaginta:
Et eadem die ex denariis ducentis

oleum in thermis publicis populo praberi,
& tecta praestari ea conditione volo
vt liberi mei, item libertorum meorum
libertarumq; liberti
quos honor Seuiratus contigerit
ab omnibus muneribus Seuiratus excusati sint.
Quod si quis eorum ad munera vocatus fuerit
tum ea Denariûm septem millia quingentos
ad Remp. Tarraconensem transferri iubeo
sub eadem forma spectaculorum
quod supra scriptum est
edendorum Tarracone.
Locus datus decreto Decurionum.

Vidisti fortasse T. pro D, & contra saepe collocari ἀρχαϊκῶς, vt in Columna C. Duilii rostrata, quae Romae ad gradus Capitolii, vt Fasti Romanorum supra, spectantur. Redeo ad Vsuras Rom. priscas. *Semissis* igitur *Vsura* nomine septem hîc millia & quingentorum Denariorum (quae conficiunt fere octies M. quingenta, vnum & septuaginta Hispanica regalia numismata: *Reales* vulgo nominant:) praestantur quadringenti quinquaginta Denarii. Sexies enim quotannis septuaginta quinque, quadringentos quinquaginta Denarios efficiunt: quorum CCL. Denarios spectaculo pugilum mense Iunio impendi vult; ducentis alteris oleum in Thermis publicis populo Barimonensi praeberi. Non dissimile autem caput III. Pandect. est ad L. Falcidiam: *Si Reip.* ait, *in annos singulos legatum sit, cum de lege Falcidia quaeretur, Marcellus putat tantum videri legatum quantum sufficiat sorti ad vsuras trientes eius summa, qua legata est, colligendos.* Ceterum *Legionis Quinctadecimae Apollinaris* meminit & Antoninus, quisquis is tandem est, in Itinerario, his verbis:

Satulam Leg. XV. Apollinaris M. P. XXVI.

& Dion Cassius libro LV. in numero Legionum hanc ab Apolline cognominatam in Cappadocia collocat. Mox vero Legio VII. Gem. quo nomine Regnum, vrbsq; Hispaniae, vulgo *Legio, Leon* à popularibus dicta, quae male à quibusdam *Legio septima Germanica* pro *Gemina* indigitatur. Notam vero illam rariorem in marmorib. 7 Centurionis esse obseruo, vt alias etiam pro *Caia*, femina vsurpatam, imo omissam plerumq; magno sane errore, ab Antiquitatum etiam peritis hominibus. Qualia marmora Tarracone & Romae ipsi vidimus

dimus ac descripsimus, vnum etiam in hortis Ant. Augustini Archiepiscopi, viri numquam satis laudati: in quo illud singulare & inusitatum spectaui M. Aurel. Commodum Imp. *singularem Equitem* appellari, his verbis:

MARTI CAMPESTRI SAC.
PRO SAL.
IMP. M. AVR. COMMODI
AVG. ET EQVIT. SING.
T. AVRELIVS DECIMVS
ↄ LEG. VII. G. FEL.
PRÆP. SIMVL ET
CAMP. DEDIC. K. MART.
MAMERT. ET RVFO COS.

DICIS gratia. ὁσίας χάριν. Castratio. Auersio. *Loca Pandectarum Iuris in Ant. Augustini Emendationum libris aucta & illustrata.*

CAPVT XXXIII.

FAcio libenter vt de nobis bene-meritorum memoriam, quoad eius à me potest, præsertim eorum qui litterarum studia pro virili adornarunt, intermori non sinā. In his facile princeps exsistit Ant. Augustinus, summus vt Antiquitatis sic & Iuris vtriusq; antistes: quem, vt debeo, honoris gratia semper appello: mihi enim dum in eius hærerem contubernio, patria sponte ciuilium bellorum causa profugus, parentis loco cultus fuit, vt numquam nisi doctior à senis latere iuuenis discesserim: eiusdemq; è domo Socierati tiro voti reus adscriptus. Is etiamnum adolescens, vt iucunde narrare solebat, litteris hisce interioribus probe instructus ad Iuris ciuilis studia Bononiæ ea subsidia attulit, quibus & illustrare eadem atq; amplificare, vt fecit, omni vitæ curriculo vigiliis acto, posset, & æquales antecellere & longo relinquere interuallo daretur, viamq; muniret qua Virtutis laude ad Honores alii grassarētur. Pandectas itaq; Florentinos (sic enim masc. non sequiore genere appellandos Indice nominum propriorum Ilerdæ edito pridem docuit: diligenter cum Lælio Taurello, & Io. Metallo Sequano, hominibus eruditiss. cōtulit ipse ad NoricamGeorgii Haloandri editionem, & litteris quæ legendo commentandoq; obseruasset, consignauit, editis libris IV. plane aureis *Emendationū* annos natus vix vnde viginti. Et singularē Commentariū Ad Modestinum, de Excusation. tutel. stupente interim in admirationemq; conuersa Italia. Gallia etiā cupide eius in vestigiis pedē pro se quisq; posuit. Hinc enim Duareni, Cōtii, Cuiacii,

Fabri, Corasii, Balduini, Conani, Hotmani, Charondæ, & Gothefredi Iuris ciuilis à Triboniano mire dissecti ac conuulsi iussu Iustiniani Imp. Lipsana ac reliqua redintegrare ita studuerunt, nihil vt intactum hodie posteris relictum esse videatur, nisi si velint quod Comicus ait, *nihil dicere quod non dictum sit prius.* Eos autem hominis doctissimi, hospitis quondam mei libros *Emendationum* dum forte attentius relego, vt & reliquam Criticorum turbam ne ab aliis obseruata per nefas vindicasse & compilasse viderer, notabam pauca, quæ his chartis illita, lucem, vt spero, aliquam adferent: certe confirmabunt pleraque, quæ si adhuc superesset, vt erat immortalitate dignum ingenium, quod in funebri laudatione ostendere conabar, testaturq; Orbis vniuersus, non ingrata illi accidissent: Nam & eius iussu Dialogos XI. Antiquitatum in Numismatis & Inscriptionibus ex Hibericis Latinos fecimus, & adhuc premimus: & à Iuris tractatione tunc quidem minime abhorrebam: nunc accessiones de multis exhibeamus.

Lib. II. Emendat. Ant. Augustini Cap. II. extremo.

DICIS GRATIA vel CAVSA formulam paucis tum notam, à plerisq; librariis atq; correctoribus, vel corruptoribus verius, in alia omnia transformatam, primus fere, vt opinor è tenebris in apertam lucē hic protulit, & Comm. singulari ad Modestinum (pag. 288. Gryphii edit. an. M. D. XLIV.) hæc addi queant, si quis forte gnauus typographus recudere eos libros volet:

Carisius Sosipater lib. I. DICIS monoptoton esse vidit. Hotmanus Commentario de Verborum significatione, DEX originationem eius facit, vt in *Iudex* & *Index*. Turnebus homo doctiss. lib. XI. Aduers. cap. 20. à *Dico dicas*, non à *Dico, is*. M. Varro lib. V. de Ling. Lat. *Dicis causa fiebant quædam, neq; item facta neq; item dicta semper.* Vtitur Arnob. lib. IV. aduersus Gentes, initio: *An ita, vt assolet, dicis caussa.* Et lib. III. *Honoris & dicis caussa.* M. Cicero in Verrem lib. IV. *Artagatho imperat, vt aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis caussa daret.* Idem in Mureniana, & pro Flacco.

Corn. Nepos in Attici vita, vt quidem Cuiacius leg. censuit *dicis causa* cum *necis causa* ederetur.

Græcæ Glossæ νόμου, ϗ λόγου χάριν. Et Οσίας ἕνεκα. Item ἀφοσιώσεως ϗ καθοσιώσεως, *Dicatio*, Dioni Cassio, & Dion. Halicarn.

De recentioribus Petr. Victorius lib. VIII. Variarum lect. cap. 24. Turnebus lib. XI. cap. 20. Petrus Pithæus lib. I. Subseciuorum. Didac. Couarruuias lib. IV. Variar. Resolut. cap. VIII. & Lexica Iuris Brissonii, Prateii & Hotmani. Quorum in verbis describendis operæ parco, quod indicasse loca, digitumq; in fontes, quod aiunt, intendisse satis, superque existimem. Inde cui placitum suo quisq; arbitratu depromat.

LIB. III. Cap. V. Emendat.

Quid inter *Eunuchum Spadonem* & *Castratum* intersit disputat, vt & alii Iureconsulti variè.

Glossarium vetus: *Castratus* ἐκτεμημένος exsectus.

LIB. III. Cap. VI. extremo.

Auersione rem & Vinum venire, inusitata notione Iureconsulti, (sed Fr. Hotmanus ab verrendo potius quam auertendo deriuat, vt à Verrendo dictum (Verrē iocatur Tullius, vt à verre) sic dici, quod periculum auertat emptor aut conductor à venditore aut domino: idque in se recipiat, etiamsi verbis expressum non sit. Adde Iureconsultorum locis hic ab Antonio allatis M. Fabii Quintiliani verba ex Declamat. CCLII. *Nemo*, inquit, *est tam arrogans sui æstimator, vt accersitus ad comitia, ac periculum sortiturus humanitatis non malit sine auersione esse*. Sic enim lego, etsi *sine aduersario esse* edi videam, & *sine aduersione* pro eodem tueatur Per. Ærodius Iurisc.

LIB. III. Cap. VIII.

Quæ de Nominibus & Prænominibus Rom. disserit acute, illustret M. Varronis, togatorum doctissimi vnus & item alter locus lib. VIII. de L. Lat. *Nunc fieri in multis rebus binas, vt Metellus, Metella. Sic Marcum & Numerium, & Marcam & Numeriam non dici.* Et post non longè: *Dicitur Terentius vir, Terentia fœmina, Terentium genus. In prænominibus ideo non fit idem, quod hæc instituta ad vsum singularia, quibus discernerentur nomina gentilitia, &c.* Sed qui plura desiderat, adeat Commentarios eruditos *De Nomin. Rom.* Caroli Sigonii, & Onufrii Panuinii.

POTIVS & Magis *sæpe in Iure exaudiri* κατ' ἔλλειψιν *Græcis etiam atque Hebræis vsitatam, Latinorum aliquot exemplis ostensum.*

CAPVT XXXIV.

PErtendere est animus in Iure nonnihil enucleando cum magno illo , & numquam satis laudato Iuris sacerdote Ant. Augustino, vt cœpimus: similiaque ad confirmandum adnectenda, vt quæ singula non probent, iuncta fidem faciant: Vt enim τὸ *Causa*, & *Dicunt*, non raro ab imperitis librariis, qui desiderari opinarentur, intrusa esse lib. III. iam docui, ita & *Magis, Potius, & Tam*, inculcata sæpius ab indoctis sed audaculis hominibus in Pandectis obseruatum, quod priscam Latine ac venuste loquendi consuetudinem ignorarent, Verbigratia, L. V. D. de condit. sine causa: *Sed recte defendi non turpem causam in proposito quam nullam fuisse.* Greg. Haloander, cætera accuratus in recensendis

Legib.in Pand.Noricis edidit: *non tam turpem*. Itemque L. V.D. si vsusfr. *Quid ergo erit officium iudicis,quam hoc vt securus*, & quæ sequuntur. Legit Haloander: *nempe vt securus*. Paulus lib.IV.Sententiar.Tit.V. *Meritis liberos quam pactionibus astringi placuit*. Et Const. VIII.de paganis C.Theod. *Simulacra artis precio quam diuinitate metienda*. Hic *Magis*, aut *Potius*, exaudiendum: vt in Tertulliano, & Tacito sæpius,vt docebo,cum Comicos duos antiquissimos M.Plautum,& P. Terentium prælibauero. Ille enim in Rudente, Act.III. Sc.3. v.22.

Certum est moriri,quam hanc pati in me grassari.

Et Act. IV.Sc.3.v.70.

Tacita bona est quam loquens mulier.

In Casina, Act.II. Sc.3.v.35.

Vt quod vir velit fieri, id facias, quam aduersere. Et alias sæpè.

Terentius prologo Eunuchi:

Si quisquam est qui placere se studeat bonis [potius]

Quam plurimis. Vbi Muretus plura ex Homero,Sophocle,aliisque Græcis attulit, huc non transferenda.

In eadem fabula, in Cod. Bembi:

Ego non ex animo misera dico,quam ioco.

Et: *Vtinam inuenire facile possis Phædra,quam hoc peribit.* Pro *tam facile*.

In Andria:

Quæ inhonestè hic velint diuitias parere, quam honeste in patria pauper viuere.

Et ita Priscian.lib.XVI. *Et diues volo esse,quam pauper*;pro *malo*.

M.Cicero lib.II.de Inuentione Rhetor. *Quod si in cæteris quoque studiis è multis eligere homines commodissimum quodque, quam se in certo vellent addicere, minus in arrogantiā offenderent*. Hic Lamb.contra libros,*mallent addicere*,euulgauit. Corn. Tacitus lib.V. Annal. *Agrippa claris maioribus,quam vetustis*,& frequenter idem, vt Rhenanus docet, ac summus interpres Lipsius, quem adi Epistolicarum Quæstionum lib. V.epist. XXIII. Tertullianus lib. de velandis virginibus extremo; de Arabiæ fœminis: *Contentæ sunt dimidiam frui lucem, quam totam faciem prostituere*: pro,*Malunt luce frui dimidia*. Et Aggenus Vrbicus: *Argumentum itaque prouidentiæ est,quam professionis*. Amm. Marcellin. lib. XXV. *Ferro properans quam fame absumi*, nisi, si hic *præoptans* legendum videatur.

Contra & interdum per Pleonasmum τὸ *Magis* redundat, vt in *Magis mauelim* Græco more,apud Ciceronem; & Plautum Aulularia, *Magis mollior*; Amphitruone *Magis maior*: Menæchmis,*Magis dulcior* & sexcenta id genus, ab aliis diligentet notata,quæ non repeto, ne aliena compilem scrinia. Nos quidem de *Minus* & *Satius* similibusque sæpe exaudiri solitis Notis in T. Pomponii Attici Corn. Nepote auctore Vitam, & alii fortasse, annotauimus adolescentes, quæ non repeto: sed manum de tabula.

In *Quæ-*

In Quæstionibus Naturalibus L. Annæi Senecæ multa obseruata. Millies Sestertiûm. Speculi vsus formoso ac deformi. Redimere *quid.*

CAPVT XXXV.

AD Naturales Senecæ Quæstiones, quòd sint magnam partem ex Meteorologicis Aristot. haustæ, cum venisset commentando Lipsius, litterarum singulare ac Belgii ornamentum, iam planè languens, calamum suspendit. Sic enim in ipso limine: *Abstineo*, inquit, *& calamum pono, illum tuis, ô lector, commodis quadraginta annis operatum.* Et mox: *Scribere desino, non bene tibi velle.* Atque hæc vltima scriptorum illius vox. Antea quidem Matthæus Fortunatus, Ferdinandus Pintianus, & doctissimus Muretus, multa adnotarant, fecerantque meliora, tamen vt posteris spicas à tergo legendas reliquerint. Eius rei specimen damus.

LIB. I. Cap. XVI. De prodigiosa cuiusdam libidine, quem Hostium Romano nomine appellat (vitiose enim Basileæ *hostis* editur:) *Fuit*, inquit, *obscenitatis vsque in scenam producta. Hunc diuitem, auarum sestertii millies seruum Diuus Augustus indignum vindicta iudicauit, cum à seruis occisus esset, & tamen non pronuntiauit Iure cæsum videri.* Hic glossema locum obsidet. Fodio itaque voces, *auarum* & *seruum*: itaque emendo: *Hunc diuitem sestertiûm millies*, id est, qui HS millies possideret, quę summa, vt nunc numeramus, bis mille quingenta millia aureorum est, qui sunt duo milliones cum dimidio. Immensæ profectò ac penè incredibiles serui diuitiæ, nisi palatinus fuisset. Formula autem est, *Iure cæsum videri*, vt Brissonius lib. V. Formularum obseruat, vtrurque Scriptor noster de Viris Illustribus, cap. LVIII. in Scipione Æmiliano, sic de Graccho, tametsi affine suo, pronuntiante: *Iure cæsum videri*, vt inibi correximus. Statim pro *aperta mensura legebat viros* leg. censeo: *apta mensura*. Tale autem, prô pudor, facinus Elagabali Imp. humani generis monstri apud Lampridium legitur. Mox *portentosos concubitus* Seneca dixit, vt infra *portentosos fœtus*, & Saluianus Lib. VII. de Prouidentia Dei *libidines portentosas* vocat. Et pôst paulò: *Nequitiam* dixit, quod est libidinis vocabulum, quo & nequam Petronius est vsus.

Cap. XVII. De speculis agens Philosophus, vtendum esse ait iis, siue formosus quis sit, siue deformis; quod & à Socrate vsurpatum auctor est Laërtius lib. II. Ἠξίου καὶ τοὺς νέους συνεχὲς κατοπτρίζεσθαι, ἵν' εἰ μὲν καλοὶ εἶεν, ἄξιοι γίγνοιντο· εἰ δ' αἰσχροί, παιδείᾳ τὴν δυσείδειαν ἐπικαλύπτοιεν: *Hortabatur iuuenes vt se speculo frequenter contemplarentur, vt si formosi essent, digni ea specie fierent; sin autem deformes, eruditione turpitudinem tegerent.*

Nunc

Nunc Senecæ hæc verbis audiamus: *Formosus*, inquit, *speculo ad sui cognitionem vtitur, vt vitet infamiam, deformis vt sciat redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deest.* Eleganter sane adhibet *Redimendi* vocem, pro pensare, rependere, aut exstinguere. Sic Iuuenalis Satyra IV.

> *Ecce iterum Crispinus, & est mihi sæpe vocandus*
> *Ad partes, monstrum nulla virtute redemptum*
> *A vitiis, æger, solaq; libidine fortis.*

Et C. Plinius iunior Panegyrico ad Traianum: *Nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemisti.* Supra paulo Seneca, pro *interpolari dies solet*, rectius fortasse fuerit legere: *interpellari dies solet*. Extremo autem libro: *Iam speculum ornatus tantum causa adhibitum nulli non vitio munerario necessarium factum est.* Petr. Faber Tolosæ Tectosagum Præses doctiss. leg. hic censet *vili munerario*, qui eam vocem, sæpe in aliam degenerasse, corruptamque ostendit Semestrium lib. I. cap. X.

LIB. II. Cap. I.

Vt Iurisconsulti verbo vtar de omnibus quæ solo continentur vide L. X. tit. Quod vi aut clam, & L. I. De vi & vi armata.

Cap. IX. *Nunquid dubitas quin sparsio illa quæ ex fundamentis media arena crescens in summam altitudinem theatri peruenit.* De hac Croci in amphitheatro sparsione legendus Plin. lib. XXI. cap. VI. Lipsius in Amphitheatro cap. XVI. Torrentius in Suetonii Neronem & Brodæus lib. V. Miscellan. cap. VI.

Cap. XXXII. extremo. *Aliud aspice, & distributis rem efficis tractas.* Fortunatus locum quidem deprauatum animaduertit, sanare tamen etsi tentarit, nequiuit. Faber doctiss. emendat: *rem officiis tractas* lib. II. Semestrium capit. XVI.

Cap. XXXIX. *Consiliarium fulmen*, de hoc Ammianus Marcellin. lib. XXIII. Vbi de Iuliano cruciato, & fulgurum signis agit, consultis aruspicibus: *Affirmabant fulmen consiliarium esse. Ita enim appellantur quæ dissuadent aliquid fieri, vel suadent.*

Cap. XLI. *Hæc autem fulmen decolorat aut colorat.* Assentior eidem Fortunato ab Aldo edito, hæc & inepta esse, & Senecæ indigna, & non satis Latina, vt illa satis arguunt: *quæ vastat & includit*, si ad fulmen referas. Quare non abutar operam, vt inquiram hic, qui Dii superiores & inuoluti sint, siue inoliti, siue consulti, è sequentibus legere placeat. Neque qui Magni electi aut consentes sint Varroni Rei rusticæ, & Augustino lib. IV. de Ciuit. Dei cap. X. & alibi. Nam quod hic ait: *Duodecim Deos aduocat*, huc minimè pertinet, sed intrusum: tametsi eorum nomina, sex marium totidemque fœminarum nota sunt Enniano illo versu apud Capellam & Isidorum:

Iuno,

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Ioui, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Cap. XLIII. *Quare id solum fulmen quod Iupiter mittit.* Malim traiecta leuiter voce: *Quare id fulmen, quod solus Iupiter mittit.* Statimque: *Quia Iouem, id est, Regem, prodesse etiam solum oportet, non nocere.* Id Cæsarem Augustum in Senatu de se esse protestatum ex Dione, Cassio lib. XLIII. ostendit Faber lib. Semestrium III. cap. XVIII. Ibidem: *Quædam eligi ac distingui, quædam admoneri.* Coniicit Cœlius Curio: *Elidi ac distringi.* Quid si legas: *Elici & exstingui:* vel *distingui* ab iis scilicet fulminibus quæ franguntur.

Cap. LIX. *Nam quod maximum solet esse solatium extrema passuris, omnium causa eadem est.* Ita Mureti editio Romana ac Parisiensis. Basiliensis vero amplius: *Quorum causa eadem sors est*, vbi bis ponenda vox, *eadem* videatur. Vetus liber ita: *Quorum enim causa, sors eadem est*, vt *communis causa* scribere voluisse appareat. Et post non longè: *Si pauescis* Pintianus tentat, *sed pauescis.* Equidem sic constituebam: *Sed pauescis ad cœli fragorem, nubiumq; trepidans, & quoties aliquid effulsit, exspiras.*

In libris III. & IV. Natural. Quæstionum Senecæ animaduersa complura.

CAPVT XXXVI.

PRæfat. *In melius aduersa in deterius optata flectuntur*, idem Ammianus Marcellinus refert lib. XV. vbi Vrsicini pericula commemorat: *Et quanquam vt bestiarii obiiceremur intractabilibus feris, perpendentes tamen hoc bonum habere tristia præcedentia, quod in locis suis secunda substituunt, mirabamur illam sententiam Tullianam ex æternis veritatis ipsius adytis promulgatam, quæ est talis*: Et quanquam optatissimum est perpetuo Fortunam quàm florentissimam permanere, illa tamen qualitas vitæ non tantum habet sensum, quantum cum ex sæuis, & perditis rebus ad meliorem statum fortuna reuocatur. *Tale illud eiusdem ad Brutum* Epist. 10. *Nonnulla in Hircio huius belli fortuna, vt in secundis fluxa, vt in aduersis bona. Optare, quod sine aduersario optatur bonam mentem.* Simile illud Satyrici:

Optandum est vt sit mens sana in corpore sano.

Cap. III. *Quod in Fucino videmus.* De hoc Fl. Strabo lib. V. Geograph. videndus. Et mox: *Faciem suam seruat*, sic legi malim quàm, *seruant*, vt ad ipsum locum referatur.

Cap. V. *Et ob hoc maria non crescere.* Huc pertinent Ecclesiastæ illa cap. I. v. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Legendus Arist. lib. I. Meteor. cap. 13. de causa & origine fluuiorum ac fontium, & Ouidius lib. VIII. Metam. Fab. vlt. Ibidem:

Quia quod influxit, non in suum vertunt; sed protinus reddunt. Non hoc Latine satis dicitur, nisi *non in rem suam vertunt*, legas: vel si forte mauis, *non in sinum vertunt*, vt Lampridius in Commodo: *Agebanturq́ omnia per alios, qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur.* Plura colligit Durantius Casellius lib. I. Variar. cap. vlt. & Petr. Faber Semestrium lib. I. cap. XXII. Post non longe legi malim, *in flumina rursus emitti*, potius quam, *emittit*, quod Basil. editur.

Cap. VII. *Aduersus hac multa dici posse vides.* Rectius *hoc*. Nec enim alio referri potest, quam quod proximo cap. VI. dixit. Sic & supra lib. II. cap. 59. legi præst. *hoc*, quam, *hac*: *Hoc nulla diligentia euitat, nulla felicitas domat.*

Cap. XV. *Auctores nouos habeo esse in Galatia.* Quanto rectius, meo iudicio, *bonos* legas, quam *nouos* qui fidem non proinde merentur. Mox: *De solidis & duris loquor.* Huc refer L. penult. D. de acquir. rer. domin.

Cap. XXVII. *Nunquam exsiccantibus venis*, malim *ventis*, vt sit, quod ait proximo capite sequ. *Fluere assiduos imbres, & non esse modum pluuiis concessum suppressis Aquilonibus, & flatu sicciore Austris.*

LIB. IV.

Præfat. Te, inquit, *longiorem Fido Annao iurabo, & Apollonio Pycta, quamuis staturam habeas Thetisi Threca incompositi.* Omisit *Thetisi* vocem Muretus, offensus credo vocis insolentia: nihil enim hic monuit. Erat tamen aliquod substituendum Mirmyllonis aut Samnitis gladiatoris nomen: Quæ vero doctiss. Turneb. lib. Aduersar. XI. cap. XIX. verbose attulit, ea in promptu, sed Lipsius noster nodum feliciter, vt omnia, expediuit lib. II. Saturnalium Sermonum cap. IX. legitque & exponit è vestigiis membranarum: *Threcis cum Threce compositi.* Nihil potè verius aut melius! *Compositi* quoque pro *incompositi* rectè reponito. Est enim hoc gladiatorum proprium vocabulum *Componi*, & *Committi* gladiatorum paria, vt *cum Bito Bacchius* ex Adagio apud Cic. de opt. genere Orat. Et Lucilius ait: *Cum Pacidiano hic compositus, optum' longe.* Et lib. II. ad Famil. Epist. 8. ad Cœlium Rufum. *Quid? tu me hoc tibi mandasse existimas, vt mihi gladiatorum compositiones, vt vadimonia dilata, & Chresti compilationem mitteres?* Virgilius in Bucolicis:

—— *Sic magnis componere parua solebat.*

Et Silius Ital. lib. XVII. Suetonius Caligula, Threcis meminit & Hoplomachi, M. Varro Tritani Samnitis apud Solinum cap. IV. Polyhistoris. Ausonius in Monosyll.

Quis Myrmilloni componitur aquimanus? Threx.

Meminit & Quintilianus Declamat. CCCV. & in Octauio Minutius Felix.

Cap. I. De Nilo, eiusque incremento, Herodotus, Strabo lib. XVII. Geogr. Mela, Plinius, Solinus, aliique, quos ad Pomponium Melam notabam: & in Herodoti noua edit. Gottofrid. Iungermannus.

Cap.

Cap.II. *Adeo nihil excedit, exedit*, vt est in Mureti libro, legi melius, & ibidem: *Arenas saturat ac iungit; tingit* etiam multo verius, nisi si *iungit* ad sequentia censeas referendum. Mox: *ab huiusmodi coloribus est posita*, an non rectius *caloribus*? Inf. *Babillus virorum optimus, perfectusq́ in omni literarum genere.* Suspicor *Babilus* aut certè *Basilus* rescribendum, quod cognomentum est *Minuciorum.* Mox: *Et redit rigor fontibus, vigor*, malim. Et statim addo vocem: *sub terris esse maiorem dicam.* In capitis extremo: *Quare cum pontus & amnes cuncti inuicem commeent.* Restituit hæc Io. Vadianus: *Quasi compertum amnis initia & meatus, non omnibus locis æstate maiora sunt flumina?*

Cap.IV. *Nam vt fallar tibi*, hoc est, ex tua opinione.

Cap.VII. *Negant posse fieri, vt venti & tempestates munusculis redimat, quamuis munera & Deos vincant.* Respexit illud Nasonis:

Munera, crede mihi, placant hominesq́, Deosq́.

Legi etiam posset: *Quamuis munere etiam Deos vincat.* Et ibidem: *Rudis adhuc antiquitas credebat.* Imo & recentiores credidere. V. de L. 4. C. de malefic. & Mathem.

Cap.VIII. *Et fauere ac plaudere te iuuabit.* Melius fort. *iubebit.* Mox: *Minora miliaria citius calefiunt.* Vide supra lib. III. cap. 24. & Lipsium lib. I. Electorum cap. 4.

Cap.XIII. *A rerum natura in medio relictum est*, id est, in communi. Vide *Medium* apud Iurisc. & Brissonium. *Adeo nihil potest illi placere.* Idem Plinius ait lib. VIII. Epist. 20. ad Gallum: *Omnium*, inquit, *rerum cupido languescit cum facilis occasio est.* Ibidem: *Itaq́ quamuis cœnationem velis, ac specularibus muniant*, nimirum quæ ostiis ac fenestris protenduntur. Sic idem Plinius loquitur ad Gallum lib. II. Epist. 17. & lib. VII. ad Cornutum Epist. 21. Infra *vt annonam, pro dolor, variam.* Lege lib. VI. de Beneficiis cap. 15.

In cæteros Senecæ Philosophi libros Quæstionum Natur.

CAPVT XXXVII.

LIB. VI. CAP. I.

QVantus circa mortem meam tumultus sit. Etsi vir doctus *tumulus* leg. coniiciat, retineri tamen recepta lectio potest. Mox: *Omnes sub eadem iacent lege.* Nimirum illud est, quod copiose differit Seneca Epist. ad Lucilium 92. *Omnium*, inquit, *istarum ciuitatum, quas nunc magnificas ac nobiles audis, vestigia quoq́ tempus eradet.* Plura in hanc sententiam, quæ legisse iuuet, de rerum humanarum inconstantia, quam & doctiss. Faber, lib. I. Semestrium, c. 9. egregiè tractat. Mox. *Asia duodecim vrbes simul perdidit.* eadem Epist. *Quoties Asia, quoties Achaia vrbes vno tremore ceciderunt, &c.* Et: *Non hominis tantum, qui breuis.* Ibidem: *Nihil publice stabile est, tam hominum quam vrbium fata voluuntur.*

Cap. XXI. *Theram & Therasiam*, corrupta esse nomina vidit & Pintianus, emendatque Io. Brodæus lib. V. Miscellaneorum cap. 15. legit *Therem & Thiam* ex Plinio lib. IV. cap. XII. & Dione lib. LVIII.

Cap. XXIII. *Et inde Neptuno aßignata est mouendi potentia.* Hinc Neptunum ἐννοσιγαῖον καὶ σεισίχθονα, vt refert Agellius lib. II. cap. 28. Græci nominarunt: vbi tamen apud Romanos dubitatum refert an alterius Dei, vi ac numine terra moueretur, ideoque cum ferias edicto eius rei causa imperarent, Dei nomen (ita vti solet) cui seruari ferias oporteret; statuere & edicere quiescebant: hæc ille.

Cap. XXXII. *Et cumbonis omnibus emittere.* Sic editur. *Ominibus* tamen reponit vir doctus, vt & infra alibi, pag. *191.* Gryphi. Idem statim tentabat illud: *Nihil dubitaueris reddere*, vt mallet *redire*, legi. Nihil tamen immuto, quod *reddere*, ad, *accipiet* referri queat.

LIB. VII. Cap. I.

Adeo naturale est, magis noua quàm magna mirari. Sic Plinius minor lib. VIII. Epist. *20. Ita natura comparatum, vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur.*

Cap. III. *Epigenes, & Apollonius Myndius peritißimus inspiciendorum naturalium.* Lego, *natalium* vt supra lib. II. cap. *32.* Chaldæus enim erat, & Genethliacus Myndius.

Cap. XXXI. *Reducta & in interiore sacrario*, pro abstrusa & abdita; vt Horatius Epod. *2.* de Rei rusticæ laudibus:

Aut in reducta valle mugientium,
Prospectat errantes greges.

Ibid. *Adhuc quidquid est boni moris exstinguimus.* Hic interpungendum censeo, & sequentia sic lego. *Lauitate & politura corporum, muliebres mundicias antecessimus. Colores meretricios matronis non induendos viri sumimus. Lauitate* autem sic accipe, vt apud Hieronymum in Hilarionis vita: *Laues*, inquit, *erant genæ* (sic enim lego, non *lenes*) *delicatum corpus, & tenue & ad omnem iniuriam impatiens.* Eodem cap. *In obscœnam partem ludi fugit.* Malim, *artem* legi, & gladiatoriam accipi, vt sequentia comprobant: cumque Ludus duplex sit, venatorius, & gladiatorius; de vtroque interpretari possumus. Quin & *artem ludi* nihil vetat de scenica & Pantomimica, seu Histrionica exponere: in qua homines in molliorem & effeminatum gestum frangebantur: ac de Pantomimorum arte proximo agit capite Seneca.

FINIS.

ANDR. SCHOTTI
ANTV. S. I.

NODI

CICERONIANI
VARIORVMQ.
LIBRIS IV.
ENODATI.

Editio Auctior.

ITEM

CAROLI LANGI
IN CICERONEM

ANNOTATIONES

Nunc primùm in Germania
excusæ.



NOBILI VIRO

DN. HENRICO VAN-ETTEN,

EQVITI AVRATO,

SVMMO MILITARIS ANNONÆ

PRÆFECTO,

QVÆSTVRÆ ÆRARII PRINCIPIS

A CONSILIIS &c.

AND. SCHOTTVS ANTVERP.

DE SOCIETATE IESV

Salut. in Dom.

DVM PROVERBIORVM GRÆCORVM OPVS ingens atque operoſum, Vir ampliſſime, è Zenobio Diogeniano hactenus in-edito, & è Suidæ atque Heſychii Collectaneis edendo ad exitum adducere pararem, cuius iam partem Chriſtophoro filio tuo Senatoriæ dignitatis inſcripſiſſem; viſum eſt faciendum, vt parenti quoque multis pridem mihi nominibus caro Iuuenilium mearum vigiliarum partem aliquam offerrem, quam ad hanc ætatem, quo illæ lucubrationes matureſcerent magis, domi clauſam aſſeruaſſem, & in tuo nomine nunc proferrem. Primò, quia pueritiæ memoriam repetens vltimam, memini nos vnà ferulæ manum ſubieciſſe, doctore in primis illis ſtudiis, ſine quibus

quibus magna constare non possunt, Theobaldo Hellio, viro opt. Quæ pòst necessitudo inter nos arctissimo studiorum vinculo copulata (nam & M. Quinctilianus Rhetor egregius, vt sacris, sic & studiis initiatos iisdem immortalem agere amicitiam censuit) cum ætate accreuit, vt fit, etiam inter absentes: cùm & honorum tuorum incrementis non modò nō inuiderem, tacitus etiā gratularer. Mox enim ad Remp. administrandam vocatus es; ego in Galliam, indeque in Hiberiam negotiorum, studiorumque gratia, à parente missus, ita diuulsi corpore sumus, animus vt vnus concorsq; in studiis perduraret. Nec enim locorum interuallo dirimi vera solet amicitia, quæ litteris animi interpretibus foueri indies, augeriq; possit. Tu adhæc merito tuo à Principe in aulam accitus, ea munia singulari fide obiuisti, vt quod dici Prouerbio consueuit, Magistratus Te virum ostenderit; non retrò, Magistratum exhibueris. Annonæ enim militari Catholici exercitus præfectus es, in difficili illa ac diuturna in Batauos expeditione Regis Catholici, pòst Alberti Archiducis Austriæ auspiciis, ductuq; Ambros. Spinolæ, fortissimi ducis suscepta curam illam gessisti, vigilantiaque tua id es consecutus, ne quid commeatus inopia, neruiq; bellici egestate exercitus Belgici robur, belli fulmina, resq; publica caperent detrimenti. Cuius rei præmium, si homines calumniâ inducti deficiant, mercedemque cœlo transscribe. Erit enim Deus, vt Abrahamo quondam patrio digredienti solo, merces tua nimis. Et hæc quidem militiæ abs te gesta; domi verò studia & tractas ipse, & tua benignitate

Respiciens tristes hac tempestate Camenas

foues studiosos atque eruditos; tum verò maximè Religiosas familias, in his & singulari Societatem beneficio Tibi deuinxisti. Filium etiam relinques, defuncta nuper coniuge lectissima femina, præstantis iudicii, ac doctrinæ, rebusque gerendis ac legationibus in summa Repub. idoneum. Generum quoque asciuisti D. Gasparem Taium, Do. in Goicq vt nobiliss. atque eruditissimi paren-

libris inuigilantem: apud quem Græcorum Patrum, Greg. Nazianzeni, & Cyrilli Alexandrini ἀνέκδοτα nuper cum gaudio vidimus. Me verò, (si quis fortè reprehendat) cur pudere ac pigere debeat non video, si has vel senex iuuenilis ætatis in M. TVLLIVM NOTAS, in quibus mihi cum cæteris non satis conueniat, tandem aliquando proferam in lucem tuis auspiciis, efflagitantibus à me talia quotidiano pænè conuicio familiaribus; cùm & Societatis nostræ iam septuagenarium videam P. Lælium Bisciolam *Subsecíuarum Horarum*, hoc est, rerum ad Philologiam pertinentium libros xx. Ingolstadii edidisse, totidemq; promittere: Sic & ipse Superiorum permissu, quasi conuasans mea, *Obseruationum, Humanarum, Diuinarumq;* libros, in omni Philologiæ, Poëticæ, Historiæ, Rhetoricæ, ac denique Philosophiæ genere exire patiar, in apertumq; proferam, si & hæc qualiacunque Tibi, tuique ordinis, hoc est, eruditis hominibus non vsquequaque displicuisse cognouero, & longiorem vitæ vsuram Dei O. M. benignitas largietur. NODOS autem inscribere placuit, non Herculeos, aut Gordios, quales machæra Alexander ille Macedo facilè dissecuit; sed Democriti Abderitæ vocabulo, quo vinculorū nexus, quibus alios irretitos tenerent, texentes, ἱερδαπίας, ἢ ἱμαντελικτίας, testibus Clemente Alex. Stromat. I. & in Symposiacis Plutarcho, nominabat: quos & Romæ M. Cato Censor grauissimus *Vitilitigatores*, auctore C. Plinio, solitus erat appellare. Ita NODOS inquam vocamus. Incidunt enim non rarò digni vindice nodi, Delio egentes natatore, in ipsis etiam CICERONIS scriptis; locis nonnullis post tot tantorumque conatus adhuc obscuris ac deprauatis æui vitio, & nimia Criticorum in castigando prurigine: qui sub omni, quod aiunt, lapide, scorpium latere rati, omnia, etiam meridiana luce clariora, sollicitant, nodum in scirpo, quod aiunt, quærentes. Quorum equidem conatum non damno, immo iuuare in partem cupiam, modò eam moderationem adhibeant, vt non nisi deposita ac deplorata tentent emendare, partim veterum exemplarium fide, partim εὐστοχίᾳ quadam: lucemq; ob-

Ll scuris

ſcuris adferant, nodoſq; expedire ſtudeant; à ſanis verò clariſq; locis manum abſtineant, ne laureolam in muſtaceo quæſiſſe videantur. Valeat itaque valeat ſolemne illud Dionyſii Lambini, hominis cetera accurati: *Inuitis ac repugnantibus libris omnibus lego, emendo*: cùm ferè tunc à ſcopo aberret. Quandoquidem arbitrarii eſt res hæc tota Critica, non autem certi ac definiti Iuris. Quare, vt Iureconſulti veſtri *Recepta Iuris Ciuilis* ſæpiùs pronunciant, recentioreſq; hac tempeſtate eius interpretes, *Receptarum Lectionum* Commentarios edunt quotidie; liceat mihi quoque, pace Tua doctorumque hominum, hoc ſyntagmate receptis plerumque in CICERONE lectionibus patrocinari, ac tutari pro virili, contra nimiam quorundam Criticorum, & quidem maiorum gentium, audaciam, ſine conuicio tamen, & contumelia, (à quo vitio maximè abhorreo) ſine fuco, more maiorum, & ex fide bona: vt etſi ſententiis in re leui diſſentimus, amici cetera ſimus. Te igitur harum vigiliarum iudicem ſine prouocatione capio, & æqui boni vt facias, etiam atque etiam precor. Vale; Antuerpiæ CIↃ. IↃC. XII.

PET.

PET. VICTORIVS FLORENT.

ANTONIO FLOREBELLO.

LIB. I. EPIST. V.

VNVM velim (idq; ex animo peto, atq; oro) reliquos, qui elegantißimis M. TVLLII scriptis delectantur, aliquid operæ, laborisq; in illis perpurgandis ponere. Dedecus enim est, in libris illis vllam maculam reperiri, quos semper in manibus habent, & ex quibus omnem sermonis nitorem, verborumq; elegantiam mutuantur. Multa autem sunt menda, quæ facilius à plerisq; indicari possunt, quàm tolli, sed quod vni non conceditur, alii datum est: ac nulla prorsus errata subterfugere possent tantam doctorum & ingeniosorum hominum in hanc rem conspirationem. Quod si hoc factum fuerit, quamuis sine laudis meæ detrimento esse non poßit, si quam in hoc negotio meruimus; (illi enim & plura, & meliora facilè adferent) tamen incredibili lætitia afficiar. Antiquum namque illud meum consilium sic adiuuabitur, atque exitum reperiet, quod ego solus ad finem perducere non potui: atque id, quod tantopere expetiui, & in quo tantùm laboraui, perficietur. Cur autem me pudeat auxilia aliorum in difficili, atque honesta re implorare? cum ipse nihil cessauerim, neque vllum laborem recusauerim. Atque etiam profitear quidquid potero in reliquum tempus, me libenter ac studiose esse facturum.

APPROBATIO.

FRANCISCVS Flerontinus Præpositus Prouincialis Societatis IESV in Belgio, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali Claudio Aquauiua, facultatem concedo, vt NODORVM CICERONIAN. LIBRI IV. à P. Andrea Schotto compositi, & eiusdem Societatis eruditorum hominum iudicio examinati & approbati, typis excudantur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas dedimus Tornaci die 28. Aprilis, anni M. DC. X.

FRANCISCVS FLERONTINVS.

HI NODORVM CICERONIAN. LIBRI IV. à P. Andrea Schotto Antuerpiano Societ. IESV conscripti, magno Reipub. litterariæ commodo in lucem emittentur. Antuerpiæ in Seminario Episcop. 29. Augusti M. DC. X.

LAVR. BEYERLINCK
Sacræ Theolog. Licent. Canon. &
Censor librorum.

INDEX CAPITVM NODORVM CICERONIAN.

LIB. I.

LIB. II.

Tuscu-

LIB. III.

LIB.

LIB. IV.

CICE-

CICERONIS LOCA QVA EMENDATA, QVA ILLVSTRATA,

Librorum CIC. ordine.

Romanus numerus prior est nostrorum librorum, Barbaricus verò Capitum.

TOMO I. RHETORIC. CIC.

I. *de Oratore: Lib.1.cap.9.& 19.*III. *12.*IV.*1.*
II. *de Oratore* I. *1.*
In Oratore I. 7.
Topicis I. 24.*sæpiùs.*

TOMO II. ORATIONVM CIC.

Pro P. Quintio I.*6.* bis.
Pro Sex. Roscio Amerino I. 14.
Pro Q. Roscio Comœdo III.17.
*Diuinat.in Verrem.*I.*6.*
II. *Verrina* I.*6.*
III. *Verrina* III. *2.*
IV.*Verrina de signis* I.*14.* III. 11.
V *Verrina de suppliciis* I. *6.*
Pro M. Fonteio I. 7.
Pro Aulo Cæcinna I. *6.*
Pro Lege Manilia I.2.bis *3.5.*bis *6.7.20.21.* bis *22.23.* & *25.*
Pro L.Murana I.10.
Pro L. Flacco IV. *4.*
Pro Archia poeta I.4.*9.11.* bis IV. 3.
Pro domo sua I.18. III. 15.
De Aruspicum responsis. I.*16.*
Pro Cn.Plancio I. *7.*
Pro P.Sextio III. *16.*
Pro M.Cælio III. *14.*
De Prouinciis Consularibus I. *21.*

TOMO III. EPISTOLARVM.

TOMO IV. PHILOSOPHICORVM.

VARII

VARII HIS ETIAM LIBRIS EMENDATI.

Plutarchus in CIC.*Lib.1.c.10.& alibi* II.11.
Hippocratis Epist.ad Demagetum. I.1.II.11.7.8.& 9.
Eusebii Chronicon I.23.
Lactantius lib. de Opificio I.18.
Claudianus Mamercus Vienn. I.18.
Claudianus Poeta I.22.II.5.
Q.Ennii Elogia I.4.& 32.II.14.& 20.
P.Virgilius III.*Georg.*I.17.IV.*Georg.*I.7.& 8.*ex Ennio* I.22.
A.Tibullus I.7.& 8.
Euripides emendatus II.18.
Iulius Seuerianus Rhetor correctus I.13.
Varronianum Prouerbium, Nec vola, nec vestigium I.21.& *Ad Vesta confugere* I.19.
Epicharmi plurima III.3.
Macrobius correctus III.2.
Glossarium vetus emendatum. IV.5.
L.Sisenna correctus. IV.9.
C.Plinii præfatio. IV.13.





ANDR. SCHOTTI

NODORVM CICERONIAN. LIBER I.

CICERO II. *de Orat, de Democriti risu ex Hippocrate explicatus.*

CAPVT I.



EMOCRITVM, quoties prodiret, ridere omnia solitum referunt, Heraclitum contrà, qui ab obscuritate sermonis σκοτεινὸς sit appellatus, flere assiduè miseram rerum humanarum conditionem consueuisse. De illius risu M. CICERO lib. *II.* de Oratore ad Q. Fratrem de *Iocis* agens (quibus idem Orator excelluit, & libros illos perdifficiles reddidit) hæc attulit: *Quid sit ipse risus quo pacto concitetur, vbi sit, quomodo exsistat, atq; ita repente erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus: & quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus.* Sed cur quæso, de risu agens, causam eius, rationemque è Democrito inuestigandam relegat? Hadr. Turnebus, præstanti vir doctrinâ, & singulari in corruptis emendandis, atque obscuris illustrandis εὐστοχίᾳ, quòd huius rationem rei obscuram esse non ignoraret, Ciceronem ad Democritum, sollertem Naturæ inuestigatorem homines remittere arbitratur. Quid si ad Democriti puteum, quo latêre Veritatem Prouerbio iactatum, respexit? sic enim in Lucullo Tullius: *Naturam accusas, quæ in profundo veritatem, vt ait Democritus, penitus abstruserit.* Siue, quia risui assiduè deditus erat, quod verius puto. Studium enim in animalium naturis per anatomen excutiendis posuisse, discas ex Hippocratis Epistola benè longa atque erudita ad Demagetum: vnde lux his adferri tenebris queat. Scripserat enim de Natura, quæ in Physicis problematis laudari video à Theophylacto Simocatto, Quæst. X. Itaque à vulgi consuetudine secedens Democritus, seque abdens, insanire visus est Abderitanis, cùm supra omnes

omnes

omnes mortales, rerum omnium despicientiâ saperet, insanirentq; ipsi potiùs quàm Philosophus. Publica igitur Abderitanorum legatione accitus Hippocrates, vt amentem ac delirantem curaret. Quem hominem vbi conuenit, egitq; de sæculi sui vitiis meritò ridendis, ciuibus dixit, quod res erat, Hippocrates, valere illum ac sapere pænè solum, quod de Tiresia vate Homerus, & de P. Scipione Cato ait, reliquos verò velut vmbras volitare; & non nisi doctiores, sapientioresq; ab illo dimitti professus, domum reuertit Hippocrates, omnemq; adeo sermonem vltro citroque habitum disertis sanè litteris consignauit; testatus adhæc, vno se Philosophi congressu fructum retulisse non vulgarem. Pauca de multis Hippocratis apponam: οὐκ οἶσθα ἄπω τοῦ ἡμετέρου γέλωτος αἰτίην. μαθὼν δ' εὖ οἶδ' ὅτι κρέσσονα τῆς πρεσβείης ἀναφορησάμενος ἀποίσεις θεραπείην τὸν ἐμὸν γέλωτα τῇ πατρίδι, καὶ ἑωυτῷ, καὶ τοὺς ἄλλους δυνήσῃ σωφρονίζειν, ἀνθ' ὧν ἴσως καμὲ διδάξεις ἰατρικὴν ἀμοιβηδόν. γνοὺς ὅσῃ σπουδῇ περὶ τὰ ἄσπουδα σε φιλοτιμεύμενοι πρήσσειν τὰ μηδενὸς ἄξια πάντες ἄνθρωποι τὸν βίον ἀναλίσκουσι γελώτων ἄξια διοικεῦντες. *Risus nostri caussam nondum nosti: quam cùm didiceris, certus sum, quod meum risum meliorem curationem pro tua legatione patriæ, tibiq; ipsi vicissim sis reportaturus, qua etiam alios prudentiores reddere poteris. Pro quibus fortasse me etiam medicinam vicissim docueris: cùm scias, quanto studio omnes ad ea quæ potius negligenda essent, & nihili facienda conuertantur, & in his quæ risu digna sunt, consectandis vitam consumant.* Et pòst non longè: σὺ δὲ τὸν ἐμὸν, Ἱππόκρατες, μέμφεαι γέλωτα; οὐ γὰρ αὐτὸς τῆς ἰδίης ἀνοίης ἀλλὰ ἄλλος ἄλλου καταγελᾷ. οἱ μὲν τῶν μεθυόντων, ὅταν αὐτοὶ δοκέουσι νήφειν. οἱ δὲ τῶν ἐρώντων, χαλεπωτέρην νόσον νοσεῦντες αὐτοί. οἱ δὲ τῶν πλεόντων. ἄλλοι δὲ τῶν περὶ γεωργίην ἀσχοληθέντων. οὐ συμφωνέουσι γὰρ οὔτε ταῖς τέχναις, οὔτε τοῖς ἔργοις. *Quæ vero in re risum meum, Hippocrates, reprehendisti? Neque enim quisquam suam, sed alter alterius amentiam deridet. Hi quidem ebrios, cùm ipsi sibi sobrii videntur; alii amantes, cum ipsi tamen grauiore morbo laborent; hi verò nauigantes; alii agriculturæ deditos. Neque enim omnes artibus, aut operibus inter se consentiunt.* De hoc autem Democriti risu facetiisque Timonis hoc exstat apud Laertium epigrammation:

Οἷον Δημόκριτόν τε περίφρονα, ποιμένα μύθων
Ἀγχίνοον λέσχην ἃ μετὰ πρώτοισιν ἀΐγνων.
Qualis erat prudens Democritus, auctor amœni
Sermonis, lepidique ioci, inprimisque facetus.

Epigramma quoque Græcorum Antholog. lib. I. cap. XIII. εἰς ἀνθρώπινον βίον.

Τὸν βίον Ἡράκλειτε πολὺ πλέον ἤπερ ὅτ' ἔζης
Δάκρυε, νῦν ὁ βίος ἐστ' ἐλεεινότερος.
Τὸν βίον ἄρα γέλα Δημόκριτε τὸ πλέον ἢ πρίν,
Νῦν ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος.

Εἰς ὑμέας δὲ ἑαυτὸς ὁρῶν τὸ μεταξὺ μερμηρίζω,
Πῶς ἅμα σοι κλαύσω, πῶς ἅμα σοι γελάσω.
Quin magis hanc lacrymes vitam Heraclite licebit:
Hæc, præ quàm fuerat, nunc miserabilior.
Olim iure quidem, nunc plus Democrite ride,
Quin rides? vita hæc nunc mage ridicula est.
Pressius intuitus vos, mecum cogito sæpè,
Qui simul illacrymem, risu itidem emoriar.

Testamenti formula: Si quid me fiet. Humanitus accidere. *Illustrata Ciceronis Maniliana.*

CAPVT II.

Q. HORTENSIVS, & Q. Catulus, viri Consulares, vt anteà legi Gabiniæ, quæ de piratici belli; sic & Maniliæ, quæ de belli Mithridatici imperatore deligendo latæ erant, contradixerunt: In Gabinia quidem dissuadenda Q. Catulus, cùm ex populo Rom. quæreret, si in Cn. Pompeio omnia poneret, *si quid de eo factum esset, in quo spem essent habituri*? cepit hunc suæ virtutis fructum ac dignitatis, vt omnes perpetua voce in ipso spem habituros sese dicerent. Sic ferè M. TVLLIVS in ea, quâ Maniliam legem suadendam putauit. Quibus in verbis vna expuncta *de* particula, nata è superiore, venustius fore, magisq; ex vsu CICERONIS, videatur, sic rescribendo: *si quid eo factum esset*: vt alibi noster orator: *Quid illis factum est hominibus? Quid hoc homine faciam? Quid meo filio, quid pecunia fiet?* Velleius autem Paterculus eadem de Catulo narrans sic extulit: *Si quid ei acciderit*. Itemq; Valerius Maximus lib. VIII. cap. 16. formulam explanans: *Si*, inquit, *in vno Pompeio Magno omnia ponere perseuerasset, absumto illo subiti casus incursu, in quo spem esset habiturus*? Plutarchus quoque in Pompeio: ἢ τίνα, εἶπεν, ἕξετε ἄλλον, ἂν ἀποβάλητε τοῦτον. *Quem alium habituri estis, hunc si amiseritis?* Frequens autem ea Comicis formula: Plauto quidem in Pœnulo Act. v. Sc. 2. sic enim lego:

Quin mea ille quoque habebit, Si quid me fuat.

Editur enim passim. *Si quid de me fuat.* Aut prisco more sic lege: *si quid med fuat*, pro, *si mortuus fuero.* Et in Trinummo Act. 1. Sc. 2. v. 119.

Si ille saluos huc reuenit, reddam suum sibi;
Sin quid eo fuerit, certò illius filia.

Vbi Dionys. Lambinus addit non necessario, *fuerit factum.* Terentius sæpenumero, vt in Hecyra: *Quid faciemus puero?* Et alibi: *Quid illo facias?* venustius quàm *de illo.* vt est olim à Petro Bembo etiamnum iuuene, ingeniosè obseruatum. Dicebant & in hac ipsa re: *si quid humanitus ipsi acciderit*, vt Tusculana 1. TVLLIVS, *Vellétne Clazomenas, si quid ipsi accidisset, referri.* & Philipp. 11. *Si quid mihi humanitus accidisset, multa enim impendere videbantur.*

Ennius

Ennius antea Annali. II. apud Festum:

Si quid me fieret humanitus, vt teneatis.

Et C. Cæsar: lib. III. belli Ciuilis: *Si quid durius acciderit, si victi erimus.* ac Propertius:

Si quid forte mihi durius inciderit.

Vsi autem prisci hac forma in vitanda mortis mentione, cuius mortis sæuam fugiebant antiquitus memoriam, ne ominari male, ac δυσφημεῖν viderentur. Hinc & *Abiit, Fuit, Vixit*, similiaq; vsurpasse libentius à plerisq; animaduersum. Phædrus Fab. LXXVII.

Abiturus illuc quò priores abierunt.

Et Græci πλείονας, ἀντὶ τοῦ τεθνηκότας dixerunt.

Adhibueruntq; in Testamentis. Romanis quidem solemne, vt Pomponio L. in vulgari 162 D. de verb. signif. *Si quid filio meo acciderit.* Et Iuliano in L. Quidam. D. ad S. C. Trebell. *Si quid ei prius acciderit.* Græcis autem, vt Aristoteli initio testamenti apud Laertium: ἔσαι μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ, τάδε διέθετο Ἀριστοτέλης. *Rectè quidem sic fiet: sin verò quid euenerit, Aristoteles ita legauit.* Ibidem: Ἐὰν δὲ τῇ παιδὶ συμβῇ τι, ὃ μὴ γένοιτο. *Si quid filia, quod nollem, acciderit.* Idem Laertius in Stratonis vita eodem sensu extulit. ἐάν τι πάσχω. & Homerus Iliad. Φ.

Ζεῦ πάτερ, ὡς οὔτις με θεῶν ἐλεεινὸν ὑπέστη
Ἐκ ποταμοῖο σαῶσαι; ἔπειτα δὲ καί τι πάθοιμι.

& Odyssea Δ. Τοῦ δ' ἀμφιτρομέω, καὶ δείδια μή τι πάθῃσιν.

Quod ad mortem referri sequentia satis declarant. Ceterùm eo ipso Tullii loco, quem recito: *Mea quidem sententia, Quirites, vnus A. Gabinius belli maritimi, rerumq; gestarum auctor, comes Cn. Pompeio adscribitur*; vt Lambino vocem *auctor* verso hic stylo expungenti libenter assentior, sic à Manutiana editione discedo, qua Venetiis *comes Cn. Pompeius* euulgandum curauit.

Vasarium *quid.* Catillatio, Propola. *Ciceronis loca duo ab ingenio restituta.*

CAPVT III.

VEtus Romæ eorum, qui de Rep. benè sentirent, querimonia fuit de iniuriis & cupiditate hominum, qui cum imperio in prouincias mitterentur; præsertim in Asiam ceteris opulentiorem, vectigalibusq; magis opimã. Quod vel ex Maniliana CICERONIS patebit: *Nunc qua cupiditate homines in prouincias, quibus iacturis, quibus conditionibus proficiscantur ignorant videlicet isti, qui ad vnum deferenda esse omnia non arbitrantur.* Qui locus me torsit, non secus atque ille, qui proximè antecessit; *Videbat enim populus Rom.* doctissimos homines exercuit: vbi natum mendum è notis P. R. Accusandi enim casu Hotmanus *Populum Romanum* legit. Panagathus verò, homo Romæ doctissimus, & libris restituendis natus, *Pratores paucos*, ex *Prater*, conformabat. Ant. Augustin. V. CL. legendum

legendum hoc modo censuit: *Videbat enim populus Rom. locupletari quot annis pecunia publica paucos.* Aliter enim Paullus Manutius emendandum coniecerat. Quid igitur vetat meam hic quoque proferri sententiam de loco, quem alii non attigerunt, ac mendosum esse ne suspicati quidem sunt? Sanè vox illa *iacturis* aures mihi feriens statim offendit, in eamque tandem cogitando sententiam veni, vt credam corruptam vocem ex *versuris*, quæ & ipsa detorta fuerit ex *vasariis*. Itaque emendo: *quibus vasariis, quibus conditionibus*, sensu probo; non *iacturis*, quæ nondum factæ erant profectis nondum in prouinciam Imperatoribus. Sic in Pisoniana L. Pisonem ait *vasarii nomine* attributam pecuniam, Romæ fenori occupasse, hoc est, in quæstu reliquisse. Verba Oratoris apponam: *Nónne HS. centies & octogies, quod quasi vasarii nomine in venditione mei capitis adscripseram, ex ærario tibi attributam, Romæ in quæstu reliquisti?* Quod vitium in hac ipsa Oratione, quæ de Cn. Pompeii laudibus est, reprehenderat CICERO, Lucullum, Pisonem ceterosque id genus sic perstringens: *Quid hunc hominem magnum aut amplum de Rep. cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum administrandum, aut propter cupiditatem prouinciæ, magistratibus diuiserit, aut propter auaritiam Romæ in quæstu reliquerit?* *Vasarii* autem nomine intelligitur omnis supellex, omneq; instrumentum, quo magistratus in prouinciam proficiscens instruebatur. Vnde hodieque Vasalli nomen, pro nobilium clientibus, conformatum, quasi in vasario aut vasa eorum censeantur, vidit doctissimus Turnebus libro XXI. Aduersariorum, cap. XV. Dictum autem ea forma *Vasarium*, vt *calcearium* Suetonius extulit in Vespasiano cap. VIII. & *Clauarium* Tacitus lib. III. Historiarum quod pro calceis & clauis cal garum vectigal soluebatur: & *Camelarium*, quod pro alendis camelis pendebatur, apud Ammianum libro XVII. CICERONI verò nostro familiare hoc *Vasarii* verbum fuisse, sed in paucis locis integrum relictum, incertum librariorúmne inscitia, an Correctorum audacia, vel ex hoc Lampridii loco in Alexandri Imperatoris vita discas: *Iudices cum promoueret exemplo veterum, vt & CICERO docet, & argento, & necessariis instruebat, ita vt præsides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, annulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos.* Plinius verò translatè libro VII. Natur. Histor. cap. XLIX. *Neque excutienda sunt vasaria omnia.* Aliter M. Cato in re rustica, capite CXLV. hanc vocem adhibet in præmio ac mercede factorum, nomine ducto à vasis torcularibus, quibus oleum exprimitur. Vide Turnebum lib. X. cap. XVIII. *Catillatio* quoque à *Catillo* in eadem re, probri nomine dicebatur in eos, qui prouincias in magistratu diripuissent: quod tanquam prouincialium bona abliguriissent: auctore Festo, & Macrobio libro III. Saturnalium, capite XVI. & eodem Turnebo lib. XXX. cap. VI. A. Catino autem ὑποκοριστικῶς *Catillæ* dictæ patinæ, quibus escæ apponebantur, atque interdum etiam opera dulciaria: quasi in catil-

catillis bona aliorum fortunasq; comessent. Plautus Casina: *Vt properarent catillorum more.* Sed priusquam Orationem de manibus depono, alterum mendum, quà potero, diluam, è glossa, vt suspicor, natum: *Quare nolite dubitare, quin huic viro credatis omnia, qui inter annos tot vnus inuentus sit, quem socii in vrbes suas cum exercitu venisse gaudeant.* Hic vocem *annos* vt intrusam ac superuacaneam ingulo. Nec enim vsitata Oratori nostro, nisi quid iudicans fallor, illa anastrophe pro *inter tot annos.* Quare τὸ *annos*, vt alienum, reiicio. Tale & *Propola* qui & Græcis Ἔμπορος, de quibus CICERO I. Officiorum, & *Institores* vulgo opponuntur. Idem Orator in Pisonem: *Panis & vinum à propola & de cupa*; quod Lambinus mutauit in *propola*, secutus, vt ait, H. Turnebum, atque in eumdem traxit errorem Hadr. Iunium, quasi sit qui res propalam, & palo suspensas vendat. At ego vulgatam cum And. Dunæo Britanno tueor: qua *propolæ* voce & vetus sic vtitur poëta:

Ac veluti pretio ingenti propola recentes
Cum dare conatur ficus, dat primitu' paucas.

Ab eiusmodi autem priscis vocibus non planè abhorruisse Tullium, sed condimenti loco interdum in Philosophicis potissimum, adhibuisse, in Tullianis Quæstionibus disputo; obseruatq; vir eruditiss. M. Ant. Muretus Variarum lib. VI. cap. XIX. & XX. & libro IX. cap. XIX. & lib. XV. cap. XX. è Seneca epist. LIX. & Sidonio docens *Essentiam* dixisse, quam in Ser. Flauio dictionem vt nouam notarat M. Fabius lib. II. III. & VIII. Institutionum Oratoriarum. Sic & *Ens*, τὸ ὂν C. Cæsarem in libris de Analogia dixisse Priscianus monet, & Acro, seu quis alius Horatii vetus interpres. Sed nos de his mox pluribus extremo libro tertio.

Q. Ennii de Scipione elogia. Cicero *in Liciniana & Trebellius Pollio illustrati.*

CAPVT IV.

M. TVLLIVS in Liciniana, quæ est pro A. Licinio Archia poëta habita: *Carus,* inquit, *fuit Africano superiori Ennius. Itaque in sepulcris Scipionum putatur is esse constitutus è marmore.* Elogia sibi & Scipioni Maiori constituit versibus Elegiacis Q. Ennius, quæ apud Senecam Epistola CIX. sed mutila leguntur, suntq; à doctissimis hominibus in Ennianis suppleta:

Hic est ille situs, quoi nemo ciui' neque hostis
Quiuit pro factis reddere opra-pretium.

Aliud eiusdem Epitaphium laudat ibidem Seneca, & Orator noster Tusculana V. & Lactantius lib. I.

A Sole exoriente supra Maeoti' paludes,
Nemo est qui factis me aequiparare queat.
Si fas endo plagas caelestûm scandere cuiquam,
Mi soleі caeli maxima porta patet.

Lactantii codices vitiosè praeferunt *cadendo, & caelestia.* L. Senecae vero exemplaria Epist. CVIII. *Si fas est plagas caelestum.* In antiquioribus tamen: *si faciendo plagas.* Sed germanã hanc lectionẽ *si fas endo plagas* (*endo* enim pro *in*, Ennio familiare,) omninò constituendã vidit doctissimus Pithoeus in Aduersariis Subsециuis, de optimis quibusq; auctorib. eruendis sic meritus quàm qui maximè. Ennius verò sibi elogium apud Ciceronem in Catone maiore & Tuscu. 1. hoc posuit. *Adspicite, ô ciueis, senis Ennii imagini' formam:*
Heic vestrûm panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, nec funera fletu
Faxit. quur? volito viuu' per ora virûm.

Sed & aptius elogium repperisse videor Q. Ennii de Scipione Africano apud Trebellium Pollionem, in Claudii Aug. vita: quod sic ad numeros redigere tentabam: Felicius alii, cupio quidem certè:

Quam statuam faciet populus, vel quanta columna,
Quae res ipsa tuas saepe loquatur, erit?

Quod huc potissimum Elogium pertinet. Subiungit enim M. TVLLIVS: *At iis laudibus certè non solùm ipsi qui laudantur, sed etiam populi Rom. nomen ornatur.* Haec cum iam à me vulgata essent, incidi forte in Q. Ennii Fragmenta à nobili doctoq; Neapolitano patricio Hieronymo Columna collecta simul & explicata: vbi hos versus sic heroicis concinnat:

O quantam statuam faciet, quantamq; columnam
Romanus populus, res quae, ac tua gesta loquatur?

De sepulcro autem poëtae sic in Chronicis Eusebianis: ENNII *ossa ex Ianiculo Rhodium translata fuisse traditum,* vbi forte *Rudium* aut *Rudias* reponendum, quae eius patria est, auctoribus Ausonio, Silio Italico, CICERONE hîc, atque adeo ipsomet Ennio, qui de se alibi cecinit:

Nos sumu' Romanei, qui fuuimus ante Rudeinei.

Aliter tamen plerique sentiunt: sepultum nimirum fuisse poëtam via Appia in Scipionis sepulcro, qui Ennio statuam in monumento suo erigi iusserit: de qua T. Liuius lib. XXXVIII. C. Plinius lib. VII. cap. XXXIV. & Val. Maximus lib. VIII. cap. XIV.

De Luculli militibus, Ciceronem & Horatium non eadem tradidisse.

CAPVT V.

FVso ad Cyzicum fugatoq; à Q. Lucullo Mithridate Ponti rege, captaque Tigranocerta, in qua octo talentorum millia praedae illi cesserunt, opulentio-

lentiores iam Rom. milites spoliisq; ditati, & donis ab imperatore acceptis, vt fieri amat, insolentiores imperium recusabant, nec satis dicto audientes domum cogitabant. Quod ita M. TVLLIVS in Maniliana, modestè tamen, apud Quirites interpretatur, ne offendisse quosdam videretur, quasi patriæ potissimùm desiderio tenerentur; vtpote qui longius à patria diutiusq; abessent, quàm æquo ferre animo possent: *Noster*, inquit, *exercitus, et si vrbem ex Tigranis regno ceperat, & prælijs vsus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum, & desiderio suorum commovebatur.* Q. Horatius verò apertius, quod res erat, ostendit, L. Lucullum longè patentiorem habuisse militem, dum is inops esset, qui fortiter in hostem pugnaret, quàm cum spoliis ditatus imperium ducis abiiceret, militaremq; disciplinam detrectaret. Ita etiam se iam carmina pangere desiisse, & altum stertere velle per iocum Poëta refert, factum iam locupletem, agris aliquot acceptis; qui antea re non ita lauta versus quã plurimos stans pede in vno conderet. Sic enim ille lib. II. Epist. ad Florum:

Luculli miles collecta viatica multis
Ærumnis, lassus dum noctu stertit, ad assem
Perdiderat, post hoc vehemens lupus & sibi & hosti
Iratus pariter ieiunis dentibus acer
Præsidium regale loco deiecit, vt aiunt,
Summè munito, & multarum diuite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honestis:
Accipit & bis dena super sestertia nummûm.
Forte sub hoc tempus castellum euertere Prætor
Nescio quod cupiens, hortari cœpit eumdem
Verbis, quæ timido quoque possent addere mentem.
I bone, quo virtus tua te vocat, i pede fausto,
Grandia laturus meritorum præmia. Quid stas?
Post hæc ille catus, quantumuis rusticus, ibit,
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.

Discedit vero, vt solent sæpenumero poëtæ, dum omnia in immensum augent, ab historiæ veritate. Plutarchus enim in Lucullo militibus Rom. octingentas drachmas Lucullum viritim dedisse præmii loco capta Tigranocerta refert. Poëta verò viginti millia sestertiûm nummûm, qui quingentos aureos, decem drachmarũ singulos efficiunt: quòd amplius est octingentis drachmis.

Mox ἐν παρόδῳ admoneo, in eodem CICERONE ambigi vtro modo legatur: *Mithridates*, inquit, *& suam manum iam confirmauit.* Editiones enim vulgares, *Suum animum confirmauit*, quod placet magis, præferunt. Supra enim non longè M. TVLLIVS de Tigrane ait diffidentem rebus suis Mithridatem confirmasse. *Mentem* autẽ *addere* dixit Horatius in illis ipsis versibus, præter Sallustium in Catilinaria, hoc modo: *Verbis, quæ timido quoq; possent addere mentem.*

In hostium esse potestatem: in medium relinquere. *Tullii alter pro Lege Manilia post Agellium correctus locus.*

CAPVT VI.

M. TVLLIVS principio Orationis, qua belli imperatorem Mithridatici deligendum Cn. Pompeium, præterea neminem, suadet; *Regnum*, inquit, *Ariobarzanis, quod finitimum est vestris vectigalibus, totum esse in hostium potestate.* Equidem accusandi casu legendum esse contendo, *Totum esse in hostium potestatem*: quomodo post in hac ipsa oratione reponendum vidit, docuitque Agellius Noctium Atticarum scriptor, lib. I. cap. VII. *In prædonum fuisse potestatem*: ἀρχαϊκῶς, concinnius nimirum & ad numeros suauiter cadentes aptius, quàm quomodo in vulgus editum circumfertur, *in prædonum fuisse potestate*: vt & I. C. In potestatem fuit. Ita Plautus Amphitruone; *Nec vero mihi in mentem fuit.* Terentius Eunucho:

Ille vbi me videt esse in tantum honorem.

Et Sex. Propertius lib. II. Eleg. IX.

Appositum fluuiis in Simoënta vadis.

Appuleius lib. IV. Metamorph. *In proximum fuit.* Græci adhæc: vt Laërtius in Theophrasti vita: τὴν Ἀριστοτέλους εἰκόνα τεθῆναι εἰς τὸ ἱερὸν pro, ἐν τῷ ἱερῷ ἀνατεθῆναι. Sed οἴκοθεν μάρτυρας CICERONEM in rem præsentem aduocemus. Sic enim in Quintiana: *Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium cœpit.* Et diuinatione in Verrem: *Ab exteris nationibus, quæ in amicitiam ditionemq́ populi Romani essent.* Pro Quinctio, & pro A. Cæcina: *Esse in possessionem bonorum.* Et Verrina II. *Qui illam partem vrbis non in eorum potestatem, & portum futurum intelligebant.* Qui locus nostro ita geminus est, vt non ouum ouo similius esse videatur.

Sic & interdum Græci εἶμι dicunt pro τῷ ἀρτίως πορεύομαι, & contra ἦκα, αὐτὶ τοῦ ἀρτίως ἦλθον. Sic: *In medium relinquere* & *ponere in medium* dixit Q. Claudius I. Annali apud Agellium, lib. XVII. cap. II. M. tamen CICERO *in medio ponere*, Verrina VI. & I. de Nat. Deor. si probi sunt editi codices. Vt autem *In hostium esse potestatem* dixit, sic Iure-consulti veteres *hostium potiri* pro bello captum esse dixerunt, aliter atque *Victoria potiri* dicimus, vt in Emendationum lib. IV. cap. X. iuuenis admodum obseruarat æui sui flos Ant. Augustinus V. C. contra Budæum & Haloandrum, post præceptorem suum And. Alciatum lib. I. παρέργων cap. XXXV. & lib. IV. De verb. signific. Sanè exilia hæc, nec infitior: verùm nihilò his meliora adferunt alii in Variis: certè ad similia in assidua CICERONIS lectione, vel his etiam præstantiora obseruanda adolescentes inuito.

CICE-

CICERONIS *lectio in Maniliana à Lambini correctione vindicata.* Traducere *quid.*

CAPVT VII.

M. TVLLIVS de rei militaris in Cn. Pompeio peritia verba faciens, quæ prima in quatuor virtutibus, quas summo Imperatori inesse oportere existimat, cum virtute, auctoritate, ac felicitate: *Cuius*, inquit, *adolescentia ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis; non offensionibus belli, sed victoriis; non stipendiis, sed triumphis est traducta.* Hic enim Lambinus, dum *erudita* supponit, frustra est, mea quidem sententia: licet hoc loquendi genere Orator in extrema Fonteiana sit vsus: *Homo non literis ad rei militaris scientiam, sed rebus gestis ac victoriis eruditus.* Vulgatam tamen facio libenter vt retineam, cùm veterum librorum auctoritate, tum quod ita frequentius locutum alibi obseruem: vt in Planciana: *O adolescentiam traductam eleganter.* In Oratore verò paulò aliter: *Adolescentes*, inquit, *à minutis concertationibus ad omnem vim dicendi traducendos puto.* In Catone Maiore: *Ætatem traducere otiosam & quietam, sine vllo aut labore aut contentione. Vitam* verò *traducere* Tuscul. III. *Si volueris hoc, quod datum est, vitæ, tranquillè placidèq; traducere.* Et ad Brutum: *Egregiis vitam factis traducere.* Tibullus autem elegans Latini sermonis Poëta lib. I. qui locus plurimos in his doctiss. Turnebum lib. XXIX. Aduers. cap. XXX. de *Traducendi* verbo ambigentes adhuc exercet:

Me mea paupertas vita traducat inerti,

hoc est, ad inertem ignauamque vitam traducat: quomodo initio huius Manilianæ, omne meum tempus amicorum *temporibus transmittendum putaui.* Paupertatis *inertem vitam* appellat, seu ingloriam, vt Maro extremo Georg. *studiis florentem ignobilis oti*, de poetica, cuius otium gloria vacaret.

Sic & Matth. 1. παραδειγματίσαι, vertit interpres vetus, *noluit eam traducere*, quod Græcè sonat *exemplum in ea dare noluit*, quidam etiam pro *traducere in domum suam noluit*, accipiunt B. Augustinus Epist. LIV. vertit *diuulgare*, & Sermone XVI. de Verbis Domini in monte. Mox tamen Epist. LIX. *exemplare* reddit. Quod Hiberis hodie esset, *Saccar à la verguença.*

Seges *pro agro & frugibus. Maro illustratus &* Cicero, *Tibullus etiam castigatus.*

CAPVT VIII.

PRIVSQVAM Poetam de manibus depono, operam illi demus, vt mutuum præstent. Est enim purus & elegans, bonusque Latinitatis auctor TIBVL-

LVS, Eques & ipse Rom. qua tempestate, vt hodiéque, nobilium quàm plebeiorum cultior ac politior sermo fuit. Is porro lib. II. Elegia III.

At tibi dura seges Nemesin qui abducis ab Vrbe,
Persoluat nulla semina terra fide.

Guil. Canterus homo doctissimus, non malè de Poetis illis meritus, tentauit veriùs, quàm sanauit:

——semina tecta fide.

Ego verò, si fas ab amico dissentire, retineo. hic enim ait Eleg. VI. lib. II.

——Spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fenore reddat ager. Repono quoque versu qui antecedit ad *segetem* aspiciens, genere sequiore:

——quæ abducis ab Vrbe,

sensu plano: Molestè enim fert Poeta ruri degere Nemesin, domoque abesse; sterilitatem etiam agro imprecatur. *Seges* itaque hic pro agro & campo, vt & maiorum gentium poetæ principi Virgilio vsitatum lib. IV. Georg.

Illa seges demum votis respondet auari
Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit.

Poetæ quoque veteri apud Tullium Tuscul. II.

Etsi segetem sunt in deteriorem data
Fruges, tamen ipsæ suapte natura enitent.

Idemque Tibullus lib. IV. Eleg. I.

Nec frugem segetes præbent; nec pabula terræ.

Et lib. I. Eleg. III. ad Messallam:

Fert casiam non culta seges, totosq; per agros
Flores odoratis terra benigna rosis.

Quem ipsum locum, de campis Elysiis illustro Pindari illis versibus, quos à Plutarcho extrema Consolatione ad Apollonium laudari video, itemque libello περὶ τοῦ λάθε βιώσας; Τοῖσι λάμπει μὲν μένος ἀελίου τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω, φοινικορόδιαις τε λειμῶνές εἰσι προάστιον αὐτῶν, καὶ λιβάνῳ σκιερὸν καὶ χρυσοκάρποισι βέβριθε. Quæ Latinis sunt numeris reddita: *Fulget illis iubar Titanis Cùm terras nox obumbrat, Prataq; puniceis ornata rosis Eorum sunt suburbium Thuriferis arboribus, Et aureos ferentibus fructus opacum.*

Alias pro frugibus *seges* adhibetur, vt à Marone: *Quid faciat lætas segetes.* Et idem cultissimus Poeta, lib. II. Eleg. I.

Neu seges eludat messem fallacibus herbis.

Digni-

Dignitas & venustas. *Ciceronis lectio defensa in Liciniana.*

CAPVT IX.

CONSERVATE, *Iudices, hominem pudore eo, quem amicorum studiis videtis comprobari, tum dignitate, tum etiam venustate. τὸ studiis*, vt glossema, tollendum Lambinus censuit, quasi significet Orator pudorem Archiæ ab amicis & dignitate præstantibus viris, & venustis ac politis comprobari. Fuluius verò Vrsinus *studii* vocem retinet ac *venustatis*. Pudor enim, inquit, dignitas, *venustas*, & ingenium sunt in Archia omnia; *vetustas* neque est, neque esse potest. Variæ itaque hîc ac repugnantes Criticorum sententiæ, quas tamen ne paginas impleam, in præsens omitto. Muretus enim elegantissimi vir ingenii, lib. XII. Variarum lect. cap. XV. *vetustate* hic, Paullo Manutio aliter antea sentiente, reponendum putauit. Pro Mureto facit locus lib. V. Epist. XV. ad Famil. *Vetustas, amor, consuetudo*, & in m. ss. legitur. Equidem vulgatam libenter retineo, nisi si veteres libri, quorum magna est apud me auctoritas, repugnent. Scio M. TVLLIVM in Officiis vt *dignitatem* viris, sic fœminis tribuere *Venustatem*; non raro tamen ab ipso discrimen negligi obseruatum. Non longe abiero. In hac ipsa Oratione pro Archia de Roscio histrione verba faciens: *Qui*, inquit, *cùm esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem & venustatem, videbatur omnino mori non debuisse*: nisi fortè de actionis, gestuumque, non de hominis forma accipias. Alios itaque testes dabo omni & ipsos exceptione maiores. Terentianus Pamphilus ille in Hecyra ait:

Quis me est fortunatior, venustatisq; adeo plenus?

Alter item Pamphilus in Andria:

Adeon' hominem esse inuenustum aut infelicem quemquam, vt ego sum?

Horatius quoque Epist. VI. lib. I.

Et genus & formam regina pecunia donat,
Et bene nummatum decorat Suadela, Venusq;.

Accedit ad hæc cur *venustatem* hic libentius retineam, quod eam fere Orator *dignitati* coniungere soleat, vt in Oratore: *Vultus multam adfert tum dignitatem, tum venustatem.* Et I. de Orat. *Ad extremum agere cum dignitate & venustate.*

Superstites præsentes, Libripens. Vindiciæ. *Insignis Ciceronis locus in Muraniana illustratus.*

CAPVT X.

M. TVLLIVS *Cos.* cùm L. Licinium Murænam Consulem cum Decimo Iunio Silano designatum in annum Vrbis conditæ IↃCXCI. ambitus accusatum non solum à Cn. Postumio, sed & à Seruio Sulpicio, & M. Porcio Cato-

Catone defendendum suscepisset; quorum hic grauitate nullius in Rep. delicto ignoscendum esse putabat; ille vero competitor repulsam tulisse, seque Iure-consultum ab homine armis dedito victum moleste ferebat: ita Iuris-prudentiam cum militari gloria iracundè, vt apparet, an causæ seruiens, comparauit, vt militiam Iuris-prudentię longe anteferret; adeoque vel triduo, si stomachum mouerent, Iuris-consultum se professurum iactaret. Cumque illi defensionis cum M. Crasso, quique eloquentiæ laude tum maxime florebat, Q. Hortensio instituta esset contentio, totam, vt vinceret, insomnem lucubrando noctem traduxerit; vsque eo vt nimiis curis, vigiliisque afflicta valetudine inferior Hortensio, ipsique in actione concedere visus sit. Ita enim reddenda illa Plutarchi: *ὡς ὑπὸ τοῦ σφόδρα φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς ἐνδεέστερος αὐτοῦ φανῆναι.* Non, vt quidam mutarunt, *αὐτὸς* pro *αὐτοῦ*: neque vt alii, *μὴ ἐνδεέστερος αὐτοῦ φανῆναι.* In ea igitur oratione consulari, maximeque illustri Iure-consultorum formulas irridens CICERO, Vindiciarum hoc carmen exagitat, in quo variæ sunt & repugnantes doctorum hominum sententiæ, vt & ipse, qui ferè de plano pronunciat Lambinus, hic animi dubius ἐποχὴν illam Academicorum laudet, probetque. Sic itaque CICERO: *Prætor*, inquit, *interea ne pulcrum se ac beatum putaret, atq; aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoq; carmen compositum est, cum cæteris rebus absurdum, tum vero nullo vsui,* VTRISQ. SVPERSTITIBVS PRÆSENTIBVS ISTAM VIAM DICO. ITE VIAM *præsto aderat sapiens, qui ire viam doceret:* REDITE VIAM *eodem duce redibant.* Hic cùm olim Ant. Augustinus, excellenti vir doctrina, pro VTRISQ. legendum coniecisset, VIRISQ. ad Festum Pompeium, quem cum M. Varrone etiam tum adolescens legi primus & intelligi docuit; Ant. Couarruuias Didaci frater, Senator regius, qui-cum omnia mihi necessitudinis iura intercesserunt, VIRIS QVINQ. SVPERSTITIB. non longè discedens, legendum sibi videri coram affirmauit. Iure enim Quiritium, vt septem in testamentis testes adhibebantur, sic in codicillis quinque. In testamentis verò postea Leonis Imp. iunioris Constitutione in Nouellis, totidem adhibiti, qui hodie Iure Pontificio ad tres reuocantur. Quinque autem illis testibus à Romanis *Libripens* additus. Sic enim ex lib. I. Caii Institutionum Boetius in Topica CICERONIS lib. III. *Emancipatio adhibitis non minus quam quinq; testibus ciuibus Romanis puberibus, præterea alio eiusdem conditionis qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens*: & Priscianus lib. V. extremo ex eodem Caio: *Adhibitis*, inquit, *non minus quinque testibus puberibus: item libripende, qui libram æneam teneat, qui appellatur Libripens.* Petrus vero Ciacconius Toletanus, quem æui sui alterum Varronem merito dixerim, ita hunc locum concinnandum rogatus per epistolam respondit: *Tum verò nullo vsu vtrisq;* SVPERSTITIBVS PRÆSENTIBVS. SVMITE VINDICIAS ITE VIAM. Ciceronis enim & Cæsaris ætate quarti ordinis nomina dandi casu in *u* exiisse, vt *vsu* pro *vsui* dixerint, monent Priscianus, Diomedes, & A-

gellius

gellius lib.IV.cap.XVI.*Superstites* autem hic testes nominantur. Sic enim Festus Pompeius: *Superstites præsentes, testes præsentes significant. Cuius rei testimonium est, quod superstitibus præsentibus, si inter quos controuersia est, vindicias sumere iubentur.* Plautus in Artemone:

Nunc mihi licet quiduis loqui, nemo hic adest superstes.

Priora enim Festi idem Petrus sic emendabat è dictione *Pubes* : *Pube*, inquit, *præsente, est populo præsente.* E sequentibus verò Sex. Pompei verbis, quibus actorem & reum iuberi ait à Prætore *superstitibus præsentibus vindicias sumere*, eodem modo legendum esse in Cicerone putabat SVMITE VINDICIAS, ex obscuris hisce vestigiis *istam viam dico.* Nulli itaque vsui esse hæc verba iactat Orator *vtrisque*, id est, actori & reo; ideoque dicis duntaxat causa ea à Prætore dicebantur, neque vindiciæ in re præsenti sumebantur, neque in iure manu consertum. Alii autem VTRISQVE SVPERSTITIBVS formulæ Prætoris applicant. Seruius Honoratus ad illud Virg. III. Æneid.

——*superéstne & vescitur aura Aetheria?*

Sic legit: *superstes præsentem significat in Muraniana*: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIB. *id est præsentibus.* Quare τὸ *præsentibus* ex ora in contextum CICERONIS irrepsisse videtur, vel, quod est verius, corruptum esse locum ac mutilum, cum pro *vsui, suis* legat Seruius. Priscianus quoque sua tempestate vitiose lectum in M. TVLLIO lib. X. Grammatic. satis ostendit. Rectius verò Isidorus Hispalensis legit libr. XVIII. Etymolog. cap. XV. *Testes*, inquit, *antiquitus superstites dicebantur.* Vindiciarum autem Lex sic fere in XII. Tabulis concepta à X. Viris apud Agellium libr. XX. cap. IX. SEI. QVEI. INIVRE. MANVM CONSERVNT. VTREIQ. SVPERSTITIB. VINDICIAS SVMVNTO. Seruius vero Sulpicius, qui Murænam ambitus, vt dixi, accusauit, in conuulsis lacerisque Festi fœdis, *nomine* (sic enim sarciri locum posse video) *etiam singulariter formato Vindiciam esse ait, qua de re controuersia est, ab eo quod vindicatur.* Non igitur assentiamur iis qui *Vendiciæ* per secundam vocalem scribendum esse contendunt; cum à *Vindice* nota manumissionis virga *Vindiciæ* deriuentur: etsi *Vendito* à vendo frequentatiuum scribatur.

Pars mei melior. *Glossema in Orat. pro Archia sublatum: alter item locus illustratus.*

CAPVT XI.

DE animorum immortalitate ex gloriæ cupiditate ducto argumento disputans extrema Liciniana CICERO: *Hæc, inquit, siue à meo sensu post mortem afutura sunt, siue, vt sapientissimi homines putauerunt, ad reliquam animi mei partem pertinebunt, nunc quidem cogitatione quadam, speq; delector.* Quandoquidem τὸ

animi in libris quibusdam desiderari Muretus affirmat, assentior eidem veram esse lectionem, *Ad reliquam mei partem pertinebunt.* Superstitibus id testibus comprobemus: Ouidius:

> *Parte tamen meliore mei super alta perennis*
> *Astra ferar.——*

Horatius lib. III. Carminum extremo:

> *Non omnis moriar, magnaq; pars mei*
> *Vitabit Libitinam, vsq; ego postera*
> *Crescam laude recens.*

Idem tamen Poeta Venusinus *animam* alibi adiecit:

> *——Finibus Atticis*
> *Reddas incolumem, precor,*
> *Et serues animæ dimidium meæ.*

Verum in eadem ipsa Oratione supra occurrit: *Iam vero ille, qui cum AEtolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit Martis manubias Musis consecrare.* Illud idem Orator Tusculana I. sic extulit: *Honorem Poetarum generi non fuisse declarat oratio Catonis, in qua obiecit vt probrum M. Nobiliori, quod in prouincias Poetas duxisset, duxerat autem Consul ille in AEtoliam, vt scimus, Ennium.* Et C. Plinius lib. XXXV. cap. X. *Zeuxis fecit figulina opera, quæ sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fuluius Nobilior transferret.* Hic autem M. Fuluius in Fastis triumphat Capitolinis anno post Ro. cond. IↃLXVI.

CICERONIS *Philippicæ, prima & item altera quà illustrata, quà emendatæ.*

CAPVT XII.

DEMOSTHENEM imitatus M. TVLLIVS suas in M. Antonium inuectiuas non Antonianas sed *Philippicas* appellauit, in quas hoc capite notare quædam visum est. Earum prima sic habet: *Quod est Augurum antedicere ea quæ vitari possunt.* Expressit, credo, Demosthenis illud in ea quæ de Corona est: ὁ γὰρ σύμβουλος καὶ ὁ συκοφάντης ἐν οὐδενὶ τῶν ἄλλων οὐδὲν ἐοικότες ἐν τούτῳ πλεῖστον ἀλλήλων διαφέρουσιν. ὁ μὲν γὰρ πρὸ τῶν πραγμάτων γνώμην ἀποφαίνεται, &c. Ad alteram transeo. *Placuit idem quod Consularibus M. Catoni, qui cùm multa vitâ excedens prouidit, tum quòd te Consulem non vidit.* Sensus hic commodus videatur, quasi è vita abire atque decedere maluerit M. Cato Vticensis, quam, quod futurum prouiderat, Consulem te videre: vel *fecit* deesse videatur. Mox: *Dat natalitia in hortis, cui? neminem nominabo. Putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni:* non temere id Orator dixit. *Ballio* enim quidam in Plauti Pseudolo dat item natalicia: *Phormio* quoque apud Terentium initio, & ibi Donatus. Sequitur: *At etiam quodam*

quodam loco facetus esse voluisti. Quid si *ioco* legas? nam de iocis egit antea paullò. De iocis autem M. Antonii Plutarchus. Si quis tamen vulgarem scripturam, vt de loco orationis Antonianæ sermo sit, tuebitur, animus est cum eo non admodum pugnare. Post paullum: *In te, M. Antoni, id decreuit Senatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus exstinctis, quod in hostem togatum decerni est solitum, more maiorum.* Cur *togatum* potius quàm *sagatum*? cum in Cæsarem armatum Senatusconsultum illud latum esse ipse lib. I. de bello ciuil. affirmet: *Videret Consul, ne quid Resp detrimenti capiat?* Fuit cum hic *rogat.* pro rogatione rescribendum putarem. *Togatum* tamen retineo. Decernere enim, quod Senatus est proprium, non rogatione fit, sed est auctoritatis proprium. Illud *more maiorum* recte hic accipit Paullus Manutius, optimè de CICERONE meritus, & ex Epist. I. ad Atticum. Muretus lib. XIIX. Variar. Lect. cap. 9. Deinde: *Licinium Lenticulam de alea condemnatum collusorem suum restituit.* Addit hic rursum de suo nimis largus Dion. Lambinus: *non vt luderet cum restituto*: frustrà, siquidem cum Mureto mox legeris: *Non quasi ludere cum condemnato non liceret.* *Denticulam* fort. & hic pro *Lenticulam.* Si enim per iocum, & hic iocari licuisset. Dion. Cassius lib. XLV. vbi & Caleni Fusii Oratio, quæ hinc depromta, ac transscripta. Longius paullò: *Modo egens, repente diues.* Respexit eôdem M. Seneca Rhetor in Suasoria extrema, & Muretus lib. XX. Variarum, quos libros à naufragio seruauimus. Omnino ex Poeta aliquo depromtum esse coniicio. Anacreontici propemodum numeri sunt, qualia ferè illa quæ antecedunt: *Persultabat gaudio persona de mimo.* Et supra salis aliquid de mima vxore traxisse ait. Infrà: *Materia facilis est in te, & in tuos dicta dicere.* Hic glossemata multa sunt, quæ & in Suetonii libello, aut cuius est, de claris Rhetoribus hunc locum exhibente reperias: sed vel *dicere* tantum (nec enim hic Atticismus ille quadrat, *dicta dicere*, vt *vitam viuere*:) vel certe nisi me aures tritæ, mensque fallunt, *dicta iacere*, vel *dicere*, tantum scripsisse arbitror M. TVLLIVM. Sub finem Orationis: *Vexauit Puteolanos, quòd C. Cassium & Brutos patronos adoptassent, magno quidem studio, iudicio, beneuolentia, caritate; non vt te & Basilum, vt & armis & alios vestri similes.* Dion. Lambinus τὸ *patronos* delendum curauit, omittitque *studio*; non sequor. De patronis Prouinciarum Car. Langius in lib. I. Offic. Cic. Sed quid illud, *Vt & armis*? Reponendum fortasse *vt Tamisium*, de quo gladiatore non semel suprà, & in epist. ad Atticum. *Basili* autem lib. III. Officiorum meminit. In eadem Oratione: *Sumsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam fecisti.* Gab. Faernus accuratæ vir diligentiæ in Latinis auctoribus tractandis, de vetere cod. Rom. sic edebat: *sumsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* At meretricum toga erat, matronarum vero *stola*. Horatius, lib. I. serm. Sat. II v. 62.

——quid inter-
est, in matrona, ancilla peccesue togata?

Eademq; Satyra de matrona loquens *stolam* attribuit:

Ad talos stola demissa, & circumdata pallis.

Adulterii quoque damnatæ impudicitiam profiteri, togamque gestare cogebantur, vt apud Martialem, aliosque auctores legisse memini.

Iulius Seuerianus Rhetor è Cicerone, & CICERO *Philippicis emendantur.*

CAPVT XIII.

CALVMNIABATVR M. Antonius Ciceronem, quòd corpus Lentuli Suræ, qui coniurationis Catilinæ conscius fuisset, sepulturæ non mandasset: impieque factum videri, sumtum esse de eo more maiorum supplicium in Tulliano, cùm tamen iure cæsum concederet. Ad quem locum respiciens Iulius Seuerianus Rhetor (cuius & Sidonius Apollinaris meminit, estque nuper è tenebris in lucem à Luca Fruterio Brugensi reuocatus) cum de aduersariorum argumentis dicendi ille magister præceptiones tradit: *Propositis*, inquit, *quibus responsuri sumus, quærendum nobis erit, an inter se comparata repugnantes sint, vt suis armis corruant: vt* CICERO *de Antonio: Auunculum sceleratum esse fatebatur; pœna affectum querebatur.* Hic emendandum è M. TVLLIO censeo, quia μνημονικὸν est ἁμάρτημα, aut pro *Auunculum*, *P. Lentulum* rescribendo: aut certè *vitricum*, non *auunculum*, qui L. Cæsar fuit. Sic enim Philippicis CICERO: *Vitricum tuum fuisse in tanto scelere fatebare, pœna affectum querebare.* De hoc autem Lentulo, cognomento Sura, & in coniuratione Sallustius, & Plutarchus commemorant. Lentulum autem Antonii vitricum fuisse in ea ipsa Oratione TVLLIVS docet: Iuliam scilicet M. Antonii matrem iterum nupsisse, *P. Corn. Lentulo Suræ*, qui post cum Catilina aduersus Rempub. coniurauit, pœnasque capitis dedit: *Hunc tu*, inquit Orator (Lucium Cæsarem) *cum auctorem & præceptorem omnium consiliorum, totiusque vitæ debuisses habere, vitrici te similem quàm auunculi maluisti.*

In prima autem Philippica locus est subobscurus: *An si cui quid ille promisit, id erit fixum? Quod idem facere non potuit, vt multis multa promissa non fecerit.* Ant. Muretus Notis ad Philippicas post Faërnianas editis tentabat: *Quod idem non facere potuit.* Sensus sic erit apertus: Nihil minus ratum habendum quàm eius promissa, quæ tali tempore non potuit non multa facere, ne suos abalienaret, sed sibi potiùs adiungeret. At alterum deesse membrum Manutius credidit: *Quod autem in æs incidit, id ratum non erit?* nisi fortè ὑποσιώπησις est, iratis familiaris.

CICE-

CICERONIS loca aliter, atque vulgò leguntur, ab antiquis allata.

CAPVT XIV.

NOTVM est Tullii vt optimi Latinitatis auctoris, testimonia plerosque scriptores scriptis suis inseruisse. Vnde enim potius hauriant, quam ex fonte illo Rom. eloquentiæ vberrimo? Si quid enim doctè, eleganter, sciteq; dictum est, dixit idem TVLLIVS: si sententiarum splendor & nitor requiritur, est in Tullio: si Philosophum subtilem, Senatorem perfectum, Oratorem optimum quis desideret, in vno *Tullio* coniuncta hæc reperientur: vt minimè mirum videri debeat ad eius se imitationem præstanti semper iudicio viros contulisse, eiusq; in re litteraria principis sententiam secutos. Quod verum esse paret, cum doctorum hominum iudiciis, quæ libro secundo *Tullianarum Quæstionum* nuper collegimus; tum multorum auctoritate Scriptorum, qui eius sunt testimonio vsi, confirmare possumus. At sufficiat in præsens diuersa ab aliis laudata, allataq; verba cum ipso fonte conferre. Vnde liquido discas plurima hodie in auctoribus notæ melioris aliter citata legi, quam apud *Ciceronem* reperiantur. Verbi gratia, cum in Pisoniana vulgo legatur: *Quem in hoc animali inuenire non possum*, Isidorus Hispal. lib. 11. Etymolog. cap. XXXI. legit: *in hoc maiali*: quod non placet Hotmanno: Vide Pet. Victoriū lib. XXIII. Variar. cap. 9. Philippica quoque 11. *Seruitus est postremum omnium malorum, non modo bello, sed morte etiam repellenda.* Sic idem Isidorus in antiquis Originum membranis lib. II. cap. XXX. profert, Ciceronis verò editiones *repellendum* habent, vt ad *postremum* referatur. Ibidemq; Isidorus sic habet: *Gloria est laus rectè factorum* ex I. Philippica in M. Antonium. Aliter enim M. TVLLIVS in ea pro M. Marcello. *Gloria est illustris ac peruagata multorum & magnorum, vel in suos ciues, vel in omne genus hominum fama meritorum.* Disertius etiam III. Tusculana: *Est consentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. Ea Virtuti respondet tanquam imago gloria.* Vbi τὸ *gloria* fodio, aut *voci* subiici malim: quomodo ἠχὼ reddidit Q. Flaccus in Odis. Pro Deiotaro quoque aliter hunc Oratoris locum legit: *Is non modo de tali periculo liberatus, sed honore amplissimo ditatus domi te interficere voluerat.* Amplius enim vulgati CICERONIS codices: *Is non modo à tali periculo, sed etiam honore amplissimo ornatus arguitur, domi suæ te interfectum voluisse.* In Milonianæ principio hic locus aliter apud Isidorum est, lib. II. Originum cap. XVIII. *Etsi vereor, Iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere.* Addit enim & ille *incipientem timere*: quod saluo sensu abesse posset. Et mox. *Veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minime vident.* At M. Fabius lib. XI. Institut. Orator. legisse eo sæculo videatur *pristinum morem iudiciorum requirunt.*

Lib. IV. in Verrem, quæ de Signis est oratio: *Tum iste* (Verres) *ab Equite Rom. splendido & gratioso Cn. Calidio, cuius filium sciebat Senatorem populi Rom. & Iudicem esse, equuleos argenteos nobiles, qui Q. Maximi fuerant, aufert.* Vbi ad oram Lamb. alleuit *eculeos* etiam scribi, quod & litteratoribus in vulgus notum: C enim Q & K commutari inuicem solent. Illud malè, nescio an ab alio Dionysio adscriptum, nec enim Lambini id esse arbitror, *culleos argenteos* legendum esse, pro vasis vinariis, quæ correctoris illius audaculi mensæ potius quadrent, quam huic loco conueniant. Pugnant enim libri veteres, & magna Prisciani auctoritas, qui lib. III. Grammat. de ὑποκοριστικοῖς agens, in *Leus* terminantibus *eculeos* legit: sed illud librariorum ibi vitio corruptum: *quique maximè fuerant.* Sed quid ago? CICERO ipse οἴκοθεν μάρτυρ testimonium dicat: retinendam nimirum editam scripturam: *Nollem* (inquit) *statim dixisse: iactabit se, & in his equitabit equuleis.*

In ea pro Sex. Roscio Amerino, hunc quoque locum Carisii Sosipatri ope, diuini vir ingenii I. LIPSIVS noster in Variis lib. IV. cap. IV. amplius legendum acutè vidit, etsi admodum adolescens tum esset. Sic enim in vulgus editur: *Cùm iam proscriptionis mentio nulla fieret, & cùm etiam ii, qui antea metuerant, redirent, ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur, hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus.* Fl. vero Grammaticus ille pereruditus suo ita æuo legisse videtur: *Cùm iam nulla proscriptionis commemoratio fuerit, cum etiam ii qui antea metuerant redirent, ac defunctos sese periculis arbitrarentur, nomen refertur in tabulas Sex. Roscii, hominis studiosissimi, nobilitatis manceps fit Chrysogonus.* Et è Philippica in M. Antonium III. *At vero huius domi inter quasilla pendebatur aurum?* Isidorus lib. XIX. Originum cap. 29. legit: *Aut vero inter quasilla pendatur aurum?* Seruius in Virgilii Eclogam II. sic: *An non inter quasilla pendet aurum?* At in calamo exarato, verius: *At vero inter quasilla appendebatur aurum?* Video à librariis è compendiis *võ* factum esse *nõ* probatq; hanc lectionem magni vir iudicii atq; eruditionis Pet. Victorius lib. IX. Variar. lection. cap. 18. Porro vetus Glossarium *Quasillus* κάλαθος, ὑποκοριστικὸν à *Qualum*, quod vas est laniciis aptum: & masculino genere Cato de agricultura *Quasillus* semper extulit. Idem Victorius aliquando *calices* censuerat legendum, dissentiente Fuluio Vrsino: & Gab. Faërnus diuisim *quas illa*: Vulgares libri, *ciues illos*: Octavius Panagathus *inter ancillas*, sed rectè primus Hieron. Ferrarius *inter Quasilla*, ex Prisciano lib. III. Gramm. & Festo in Talassio.

Respectum habere, agere: ὤρην ἔχειν, *Philippicæ Tullianæ illustratæ.*

CAPVT XV.

IN diuinis illis, vt Satyricus quidem nominat, Philippicis modum loquendi sæpiùs obuium notabam, indictum tamen aliis eruditissimis interpretibus, Ferrario,

Ferrario, Cœlio, Faërno, ac Mureto. Sic enim ille lib. X. de Græcia, quæ nisi M. Bruti virtus obstitisset, in M. Antonii potestatem facilè concessisset, *Quæ quidem nunc M. Bruti imperio, auctoritate, copiis, non instructa solùm, sed etiam ornata, tendit dexteram Italiæ, suumq́; ei præsidium pollicetur. Quod qui ab illo abducit exercitum, & respectum pulcerrimum, & præsidium firmissimum adimit Reip.* Ita enim ex optimis & antiquissimis Romanis codicibus Gab. Faërnus veterum Censor acerrimus edendum curauit, cùm antea vulgati libri mutili essent, legerentq́;: *Quòd qui ab illo abducit exercitum pulcerrimum, & præsidium firmiss. adimit Resp.* Idem Orator Philipp. XI. *Decernerem planè, sicut multa, Consulem alterum ambosue, ni Brutum colligassemus in Græcia, & eius auxilium in Italiam vergere, quàm ad Asiam maluissemus: non vt ex ea acie respectum haberemus sed vt ipsa acies subsidium haberet etiam transmarinum.* Editur enim vulgò malè: *Vt ex ea acie auxilium haberemus.* Hieron. Ferrarius, homo eruditus, qui in his Philippicis emendandis, Manutioq́; consecrandis bonam princeps operam nauauit, explanabat *Respectum habere*, pro spem in aliquo collocare, passim obuiis allatis exemplis: quod quem amamus in oculis ferre dicamur, & *Oculissimus* est Plauto qui carissimus: & *Lumina* filii sunt, quibus priuati *orbati* dicuntur. Faërno tamen, homini acutissimo, probare sententiam non potuit, cùm tamen ipse meliora in præsens adferre se non posse ingenuè fateretur: eruditiores excitasse, industriaque sua ad opem ferendam inuitasse contentus. Arduum est enim, fuitque semper difficile obscuris lucem, ac dubiis fidem, & his omnibus auctoritatem conciliare. Audax non igitur nostrum facinus, nec infitior;

——*Hos inter tantas componere lites.*

Conandum tamen, siquid forte succedat, ---*quo me quoque possim Tollere humo.* Equidem hic *Respectum habere* παθητικῶς vsurpasse CICERONEM credo, non comparatum exercitum quem metueret Antonius, sed qui præsidio esset cæso iam ad internecionem Rom. exercitu ad Mutinam. Quem enim reueremur, vt liberi parentes suos maioresque solent; vel quem metuimus, vt serui dominos; identidem respicere, vultumq; animi speculum intueri, sitne tristis, an ad hilaritatem compositus, solemus. Iuuenalis Sat. VIII. pro metu sumsit:

Nil ibi maiorum respectus, gratia nulla
Vmbrarum.——

Et Naso I. Trist. Elegia III: *mei & sui respectu*, παθητικῶς, pro eo qui respicitur dixit. At domestico est testi habenda potius fides. Sic enim CICERO lib. I. de Diuinat: *Fugientibus miserabilem respectum incendiorum*, pro horrendo spectaculo.

ſpectaculo. Et Philipp. V. ſed ἐνεργητικῶς: *Vtinam C. Cæſari, patri dico, contigiſſet adoleſcenti, vt eſſet Senatui, atque optimo cuique cariſſimus. Quod cùm conſequi neglexiſſet, omnem vim ingenii, quæ ſumma fuit in illo, in populari leuitate conſumſit. Itaque cum reſpectum ad Senatum & ad bonos non haberet, eam ſibi viam ipſe patefecit ad opes ſuas amplificandas, quàm virtus liberi populi ferre non poſſet.* Queritur CICERO nullam habitam à Cæſare Senatus, & Reip. ſtudioſorum rationem, ſed hos ipſos à Cæſare contemtos: idq; eo ipſo tempore, quo habitæ ſunt orationes illæ in M. Antonium, noua molientem, tyrannidemq; affectantem. Quo de ſtatu ſic ad Brutum ipſum, C. Cæſaris cum Caſſio percuſſorem, ſcribit, ſuperiorem locum mirificè illuſtrans: *Ex me illud eſt quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in acie eſſe, neque reſpectum vllum quærere, niſi me vtilitas ciuitatis forte conuerterit. Maiores autem partes animi Te, Caſſiumq; reſpiciunt.* Hic forſitan pro ſtudio rationeq; qua ad aliquid agendum impellimur, dixiſſe videatur, vt T. Liuius lib. XXI. Annalium ab V. C. verè & eleganter: *Sed factione reſpectuq; rerum priuatarum, quæ ſemper offecere, officientq; publicis conſiliis, Appius vicit.* Herodotus hoc Græcè ὤρην ἔχειν extulit. Valerius autem Maximus inclinante iam ſub Domitiano aurei ſæculi eloquentia, *Reſpectum agere* dixit lib. IV. Memorabilium cap. V. *Itaque rogabat eum, vt à ſe, dum ineptæ rei deſeruiret, diſcederet, maiorem verecundiam dignitatis eius, quàm candidæ togæ ſuæ reſpectum agens.* Illud ἐν παρόδῳ adiicio lib. X. Philippic. *Quod qui ab illo abducit exercitum,* Faërnum non rectè mutare conatum in, *Quare qui ab illo*, contra libros veteres, veterumq; auctoritatem. Sic enim Plautus particula *Quod*, pro *Quod attinet ad*, frequenter eſt vſus, vt in Aulularia:

Quod quiſquam ignem quærat, exſtinctum volo.

Aſinaria: *Quod illa dicat peregre allatam epiſtolam.*

Milite: *Quod ille gallinam aut columbam ſe ſectari aut ſimiam*
Dicat, periiſtis, niſi vſque ad mortem multatus male.

Vinctæ per ὑφὲν dictiones antiquis vſitatæ. Nec-opinanti, nec-opinato, ἀπροσδοκήτως CICERONIS *retenta lectio.*

CAPVT XVI.

QVÆ primo & quinquageſimo ætatis anno de Haruſpicum reſponſis M. CICERO diſſeruit, poſt Rom. cond. ıↃCXCVII. Cn. Lentulo, & L. Philippo Coſſ. in eius orationis extremo hic mihi nodus manum iniecit: *Niſi fortè exiſtimatis hanc tantam illi colluuionem, tantamq; euerſionem ciuitatis in mentem ſubito in roſtris nec-cogitanti venire potuiſſe.* Dionyſius Lambinus legendum omnino contra libros omnes contendit *ſubito in roſtris concionanti.* Aliis perſuadeat,

ſuadeat, mihi non item, qui in ea ſemper fui ſententia, veterum vt ſcripta non temere ſollicitanda, ſed religioſè tractanda eſſe exiſtimarem, ferremque potius, quoad poſſem, quæ commodum ſenſum elicerent, quàm vt audax, aut ingenioſus in alienis interpolandis videri vellem. Scio in Roſtris ſtatuam Lepido ſtatutam, ſcio è Piſoniana ſemper in Roſtris curiam, in Senatu verò populum defendi; ſic & *Pro Roſtris* habitas orationes frequentius quàm *in Roſtris* obſeruo. Adhæc cum *ſubitò* ait CICERO, equidem non video cur Dionyſium adeo hic offenderit vox per hyphen coniuncta *nec-cogitanti.* Et verò multa meditantibus occurrunt, non raro etiam nec-opinantibus incidunt non pauca. Memoria itaque repetat vir bonus, cuius Mânes non ſollicito, quod alias notatum memini & obſeruatum, CICERONI noſtro id eſſe perfamiliare vinctas ſeu iunctas per hyphen voces componere, & hanc ipſam qua de agitur, in Officiis: *Nec-opinata bona.* In M. Antonium, *nec-opinato cùm oſtendiſſet.* Et de finibus: *Alter alterum nec-opinato vidit,* quod Græcis eſſet *ἀπροσδοκήτως*. Sic Comicus in ſeipſum puniente:

Vt hanc lætitiam nec-opinanti primus obiicerem.

Quod hic Tullius *nec-cogitanti* dixit, pro nihil tale opinanti, præterque ſpem atque exſpectationem. Sic & in XII. Tabulis: *Furtum manifeſtum* & *Nec-manifeſtum.* Item *Res nec-mancupi.* Manifeſtum enim furtum Maſurius Sabinus Iuriſconſultus apud Agellium lib. XI. Noctium cap. vlt. quaſi à manu ferendo deriuat, vt *Infeſtus*, ab inferenda iniuria. Contra *Nec-manifeſtum*, cùm fur non manu furtum ferens deprehenſus eſt. Tu vide L. 3. & ſequ. Pand. Tit. de Furtis, & Paullum, lib. III. Sententiarum, Tit. XXXI. Ad imitationem Decem-viralium Orator noſter II. de Legibus: *Magiſtratus nec-obedientem & noxium ciuem coërcento.*

Idem Græcis, Latiniſq; Poëtis vſitatum fuiſſe oſtenditur.

CAPVT XVII.

POETIS verborum ob neceſſitatem architectis id adeò familiare, vocabula ſic vincire, vt negationes & aduerbia nomini potiùs proximo, quàm verbo colligarentur. Quæ res obſeruata, dici non poteſt, quantam ſæpenumero obſcuris lucem adferat: videruntq; id acutè, vt omnia, in difficili ſanè Poëta Sex. Propertio G. Canterus, & I. Paſſeratius, homines eruditiſſimi. Exemplis, age, rem repræſentemus à Negantibus ducto initio.

P. Terentius, vt hinc auſpicemur, in Prologo:

Faciunt ne-intelligendo, vt nihil intelligant.

pro *non intelligendo*, vt *nefas, nefaſtus, nefrens.* Etſi non me fugit alios *ne* pro *certè* paſſim interpretari. Maro Georgic. lib. III. v. 95.

Hunc quoque, vbi aut morbo grauis, aut iam segnior annis
Deficit, abde domo, nec-turpi ignosce senectæ.

Generoso equo, qui Olympia sæpè vicerit, ignoscendum ait in ætate senili, *nec-turpi*, hoc est, non ignobili ætate aut ingloriæ: itaq; Seruius ibidem: vt locus correctione cuiusquam, vt Aurati & Canteri, non indigeat.

Catullus in Pelei Epithalamio:

Funera Cecropiæ nec-funera portarentur.

Id est, corpora mox peritura & adhuc viua ferrentur. Græci ita frequenter, Sophocles quidem ἰχθρῶν ἄδωρα δῶρα: & in Electra idem μήτηρ ἀμήτωρ, Ἀχάρις χάρις. χάρις βεβδύπτις. Euripidi in Hecuba νύμφω ἄνυμφον. παρθένον ἀπάρθενον. Item ἄγαμοι, quod Ennius dixit *innuptas nuptias*, qui & *Mentes dementes* alibi. τάφον ἄταφον, quod prima Philipp. *Insepultam sepulturam*. Horatio vero *insaniens sapientia* Oda XXXIII. lib. I. & in M. Plauti Epitaphio apud Agellium lib. I. cap. 24. *Numeri innumeri*. Propertio id est frequens admodum lib. II. Eleg. XXX.

Quare non-iure vado Mæandri iacta natasti.

hoc est, fistula immeritò abiecta à Minerua in Mæandrum fluuium. Venio ad aientia cum particulis *Semper*, *Nunc*, *Ante*, ac similibus. *Nunc-Dea* Tibullo lib. I. Eleg. III. Propertio & Lucano *Isis* dicta, quasi recens tum Diuis esset adscripta.

Euoluam busto iam-numen gentibus Isin.

Propertius lib. III. Eleg. XXVIII.

Io versa caput primos mugiuerat annos:
Nunc-Dea, quæ Nili flumina vacca bibit.

T. Lucretio *semper-florentis Homeri*, lib. I. vt Maroni *Semper-Deus* in Bucol. ἀίθεος. eidemq; *Ante-malorum* I. Æneid. quod & in Glossariis repertum. Terentio in Andria *Semper-lenitas*:

Heri semper-lenitas mirabar quorsum euaderet.

Propertio nihil his est vsitatius: *Semper-amor*, *amans*, *-amicitia*, *-furor*, *-lentus*, *-opus*, *-viue*, *-cupidus*, & id genus alia, quæ non colligo. Vt Appuleius Flo. III. *Semper*, *-amorum* dixit, & Naso IV. Fast. *Semper-parens*. Rursum *Semper-aquas*, pro perennibus, idem Propertius. Græcorum hæc exemplo, qui componunt feliciter ἀειλαλὸς, ἀειλαμπής, ἀείμνηστος, ἀείρρυς ἀείφυλλος. Et Dion Cassius ἀειπαρθένους ἑστιάδας Vestales perpetuas virgines; vt hodieq; Ecclesia Catholica Deiparam ἀειπάρθενον *semper-Virginem* venerans meritò appellat, & θεοτόκον.

Clodii

Clodii Prætura. Boues Lucæ, *elephanti. Gloſſema in Oratione* CICERONIS *pro Domo ſublatum, Lactantius, & Claudianus Mamercus emendati.*

CAPVT XVIII.

LOCVS Oratione pro Domo interpretes torſit haud dubie, ſed ſilentio diſſimulare, vt fit, ac præterire, quàm ignorantiam profiteri maluerunt. Ecquis enim quod ignorat explanauerit? In eius Orationis parte extrema P. Clodii hominis flagitioſi, vt alibi ſæpè, vitam moreſq; dum Orator recenſet; rurſum ille nob s ad partes vocandus eſt. Verba itaque apponere non pigebit: *Is poſtquam intellexit, poſſe ſe interuerſa AEdilitate à L. Piſone Conſule Prætorem renunciari, ſi modo eadem prima littera competitorem habuiſſet aliquem; AEdilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis ſuis collocauit.* Interrogatus aliquando ab eruditiſſimo amico ac diligenti Ciceronis lectore, quæ hæc tandem *prima littera* eſſet ἀινιγματώδως dicta. De plano reſpondere vt non debui, ſic nolui; Non enim, vt ille aiebat, è numero ſumus vomentium; nam & Lambinum, hominem doctiſſimum hic ne hæſitaſſe quidem, verbumque nullum commutaſſe cetera non indiligentem video, ἀδὲ γρὺ γὰ. Alterum verò Dionyſium Gallum, edito Ciceronis contextu, addita Synopſi, & Pandectis Iuris egregiè illuſtratis, ad oram ſcripſiſſe video *præmaturi: talem competitorem*: quod quale ſit equidem non diuino, niſi vt ſuſpicor, operarum culpâ mendum eſt, locumque obſcurat magis. Quid Manutius? Thomas enim Freigius Germanus, piſce & hic magis mutus eſt. Paullus verò, quid verba ſonent, ſic nos edocet, nodum tamen non expedit; de mendo autem ne ſuſpicatur quidem: *Vt reliquæ*, inquit, *nominis litteræ, prima tantùm incolumi, corrumpi mutariq́, non poſſent.* Hoccine vulnus ſanare eſt? aut obſcuris lucem adferre? imo obſcurare id eſt potius. Proponam, pace lectoris, in mentem quod venit, dum locum otioſus expendo, eò nimirum inclinante tandem animo, vt aut duo illa verba *prima littera* furcis eiiciantur, fodianturue; aut certè ſi obtorto collo retinenda, atque emendanda ſunt, *Prætura* pro his ſubiiciatur. Sic enim planus euadet locus, minimeque impeditus. Hæc mea mens. Plures tamen coniecturas adferre, quando libris ſcriptis ac membranis hic deſtituimur, quid prohibet, parua temporis & chartæ iactura? Fuit cum ſcripſiſſe CICERONEM hic opinarer *priua lege. L.* enim pro *lege* antiquitus ſcriptum Valer. Probus in Notis auctor eſt. *Priua*

Pp 2 autem

autem *lex*, quod hodie *priuilegium* nominamus, *prærogatiuam* CICERO. Quid si reponas *eadem primo licentia?* Vel sic: *si modo ea adempta alterum competitorem habuisset*. Sed verum vt fatear hariolari hoc est, ac diuinare. Placet, quod iam subieci τὸ *Pratura* reponi: nato, vt suspicor, mendo, è compendiis, notisq;. Repperit forte librarius PR. ra vel *pr. trã*, quarum priora elementa *Pratorem* designant, scriba imperitus cudit *prima littera*. hinc illæ lacrymæ. His si quis meliora, certioraq; protulerit, tantum abest vt inuideam, vt etiam gratiam sim habiturus maximam. Coronidis vice illud addam è Dialogo de Senectute, quo M. Cato Censorius prædicat *adolescentem se nunquam vires tauri aut elephanti desiderasse*. quem locum expressit forte Lactantius Firmianus, Christianorum Cicero, lib. de opificio Dei cap. III. *Potest-ne igitur aliquis, cùm videat etiam boues Lucas cum immanissimis corporibus seruire homini, queri & de opifice Deo?* vbi *vaccas* pro *Lucas* vitiose olim editum fuisse, etiam in Mich. Thomasii editione, obseruo. Claudianus quoque Mamercus, Viennensium Galliæ sacerdos, lib. II. de statu animæ cap. IX. ex B. Ambrosio, quantum coniicio: *Nec iniuria genus humanum naturam incusabit, quæ tanto maiores hominibus belluas & boues Lucas edidit, eo videlicet beatiores, quo capaciores.* Sic enim in optimis & antiquissimis membranis, quibuscum in Neruiis hunc in Martiniana bibliotheca contuli. alter enim codex *Lucas* male omittebat. Sic enim dicti elephanti, teste Varrone lib. VI. de lingua Lat. quod in Lucania Pyrrhi bello primum, sint visi. Meminitque Plinius lib. VIII. cap. VI. & Ausonius Gallus Tetradio:

Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, vt Lucas boues
Olim resumpto praferoces pralio
Fugit iuuentus Romula.

Mos vetus explicatur. CICERO I. Oratore & II. de Legibus è Lysia & Platone illustratus.

CAPVT XIX.

CIC. de Oratore ad Q. Fratrem: *Erat Athenis mos, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi pœna æstimatio ex sententia cum Iudicibus daretur; interrogabatur reus, quam quasi æstimationem commeruisse maximè se confiteretur. Quòd interrogatus Socrates, respondit sese meruisse, vt amplissimis honoribus & præmiis decoraretur: & vt ei victus quotidianus in Prytaneo publicè præberetur: qui honos apud Græcos maximus habebatur. Cuius responso sic iudices exarserunt, vt capitis hominem innocentissimum condemnarint.* Quæ sic Laërtius libr. II. extulit.

extulit. τιμωμένων τῶν δικαστῶν τί χρὴ παθεῖν αὐτὸν ἢ ἀποτίσαι, πέντε καὶ εἴκοσιν ἔφη δραχμὰς ἀποτίσειν. Εὐβουλίδης μὲν γάρ φησιν ἑκατὸν ὁμολογῆσαι. θορυβησάντων δὲ τῶν δικαστῶν. Ἕνεκα μὲν (εἶπε) τῶν ἐμοὶ διαπεπραγμένων τιμῶμαι τὴν δίκην τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. καὶ οἱ θάνατον αὐτοῦ κατέγνωσαν, προσθέντες ἄλλας ψήφους ὀγδοήκοντα. καὶ δεθεὶς, μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας ἔπιε τὸ κώνειον, πολλὰ καλὰ κἀγαθὰ διαλεχθεὶς, ἃ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδωνί φησιν. Mos hic Atheniensium reo arbitrium in iudiciis deferentium, vt sententiam ipse ferret, pœnamque arbitratu suo sibi constitueret. Lysias vnus in decem Græciæ Oratoribus, in Apologia pro Euphileto in cæde Eratosthenis sic tangit: Ἐγὼ δ' ἔτι τῷ μ[illegible]κείνου τιμήματι οὐ συνεχώρουν, τὸν δὲ τῆς πόλεως νόμον ἠξίουν εἶναι κυριώτερον, καὶ ταύτην ἔλαβον τὴν δίκην, ἣν ὑμεῖς δικαιοτάτην εἶναι ἡγησάμενοι τοῖς τὰ τοιαῦτα ἐπιτηδεύουσιν ἐτάξατε. *Ego vero neglecta eius existimatione ciuitatis legem potiorem duxi, & illud supplicium sumsi, quod vos æquissimum esse arbitrati, in eos qui talia agunt, constituistis.*

Alter item mos supplicum in foco Vestæ sacro veniam exposcendi, ab eodem Lysia sic in ea ipsa Apologia refertur: οὕτως, ὦ ἄνδρες, ἐκεῖνος τούτων ἔτυχεν ὥσπερ καὶ νόμοι κελεύουσι τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας, οὐκ εἰσαρπασθεὶς ἐκ τῆς ὁδοῦ, οὐδ' ἐπὶ τὴν ἑστίαν καταφυγών, ὥσπερ οὗτοι λέγουσι. *Sic ille, Athenienses ea pertulit, quæ leges istorum flagitiorum auctores ferre voluerunt: non de via raptus in ædes, neque cùm ad focum confugisset, vt isti dicunt.* Quæ postrema si sic legas ὥσπερ λέγουσι, Prouerbium *Ad Vestam confugere* respexerit. Cuius supplicum moris καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν exemplum memorabile Themistoclis in Admeti focum cum filio se recipientis apud Thucydidem est lib. I. Belli Peloponnesiaci, additque: ἀνίστησί τε αὐτὸν μετὰ τοῦ ἑαυτοῦ υἱέος, ὥσπερ καὶ ἔχων αὐτὸν ἐκαθέζετο, καὶ μέγιστον ἦν ἱκέτευμα τοῦτο. Pertinet huc quoque lex illa CICERONIS lib. II. de Legibus: *Terra igitur, vt focus, domiciliorum omnium sacrum Deorum. Quocirca nequis iterum idem consecrato.* Quæ interpretatus est CICERO ex Platone XII. de legibus: γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήσεως ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν.

Consilio regere. *Recepta Tullii lectio defensa.*

CAPVT XX.

TRIA potissimum cùm in rebus humanis, tum in Historia legenda consideranda sunt, quæ dux vitæ, morumque magistra merito nuncupatur: *Consilia* nimirum, *dicta & facta.* Illa tempore priora sunt, *Facta* autem postrema sunt; è quibus de illis fit existimandum. Vtque *Dicta* scite & acute Apophthegmata; sic in bello callide & opportune gesta, *Strategemata* appellata. De his M. Terentius Varro togatorum doctissimus, lib. VI. de lingua Lat. *Actionum trium primus agitatus mentis, quod primum ea quæ sumus acturi, cogitare debemus: deinde hinc dicere, ac facere. De his tribus minimè putat vulgus esse actionem cogitationem: tertium, in quo quid facimus, maximum.* Coniunxit eadem in Cn. Pompeii lauda-

tione extrema CICERO, *Talis*, inquit, *est vis, vt nulla res tanta sit ac tam difficilis, quam ille non & consilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere possit.* Imperitè autem fecerunt, qui in nuperis editionibus *consilio hærere*, contra librorum veterum auctoritatem, substituere non sunt veriti. Duo enim Orator coniungit *consilia dictaque*: quod inuicem consequantur. quandoquidem mentis rationisque interpres oratio est, vt initio περὶ ἑρμηνείας tradit Aristoteles. Græcus quoque Orator Olynthiaca III. duas quidem hominum actiones commemorat, *dicere & facere*, vt *Consilia dictis* comprehendisse videatur: *τὸ γὰρ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν, ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστιν. Regere* autem in CICERONE retinendum esse suadet Maro de sapiente ac diserto viro, qui sedare seditiones norit:

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Comicus etiam in Eunucho:

Quæ res in se neque consilium neque modum
Habet vllum, eam consilio regere non potes.

Vltima & media terræ. Nec vola nec vestigium, *Varronianum Prouerbium.* CICERONIS *in Maniliana vnus & item alter locus explicatus.*

CAPVT XXI.

IN Cn. Pompeii laudibus belli gerendi laudata celeritas est, qua intra diem quadragesimum, vel, vt CICERO numerat, vndequinquagesimum, piraticum bellum genere necessarium, & magnitudine periculosum, post tres ipsos & viginti annos ab aliis ducibus gestum, confecit: *Non illum*, inquit M. TVLLIVS, *eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui, tàm celeriter in vltimas terras pertulerunt.* Et post non longè: *Cretensium Legati, cum in ea insula noster Imperator exercitusque esset, ad Cn. Pompeium in vltimas propè terras venerunt, eique se omnium Cretensium ciuitates velle dedère dixerunt.* Hanc idem supra Orator insulam *Pamphyliam* nominauit, vbi rum confecto bello maritimo piratisque à mari in interiora Ciliciæ traductis, Pompeius agebat: *Idem*, inquit, *Cretensibus, cùm ad eum vsque in Pamphyliam legatos, deprecatoresque misissent, spem deditionis non ademit, obsidesque imperauit.* Quas hic itaque *vltimas terras* nominet quæri video, quando magnum hic interpretum est silentium. *Pamphyliam* ergò, & *Asiam minorem* accipio. Sic enim in Catilinaria coniuratione Sallustius: *Catilina opprimendæ Reipub. consilium capit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat. Ipsi Consulatum petendi magna spes.* Subiicit verò gestum id anno post Ro. cond. ıɔcxxcix. L. Cæsare C. Figulo Coss. qui in Fastis Capitolinis nominantur C. Marcius Figulus, L. Iulius Cæsar. At alibi *medias*

eas

eas *terras*, Orator, vt & Plinius, ac Florus, appellat. Qui nodus in speciem impeditus sic expediri, temporum habita ratione, possit. Hæc enim Maniliana à Prætore Cic. habita est M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coss. Anno ІƆCXXCVII. decimo verò pòst anno habita est ea de Prouinciis Consularibus Oratio, Cn. Corn. Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo Coss. Anno ІƆCXCVII. post confectum iam à Pompeio bellum. Deuicto enim Mithridate, & Tigrane Regibus, *media* iam Romanis *regio* fuit *Asia minor*: *vltima* verò Pontus & Armenia ad Eufratem vsque, Romani imperii terminum. In hac CICERONIS verba sunt: *Nationes eas quæ numero hominum & multitudine ipsa poterant in prouincias nostras redundare, iam ab eodem esse partim recisas, partim repressas, vt Asia, quæ imperium nostrum terminabat, nunc nouis tribus prouinciis ipsa cingatur.* Plinius autem lib. VII. cap. XXVI. in Pompeii elogio eum ait Asiam vltimam prouinciarum accepisse, eandemque mediam patriæ reddidisse. Et L. Florus, siue is L. Annæus Seneca est, lib. III. de bello agens Mithridatico: *Sic Pompeio duce populus Rom. totam, quà latissima est, Asiam peruagatur, quam extremam Imperii habebant prouinciam, mediam fecit.* M. itaque Tullius tempori commodam rationem attulit, Asiamque minorem vltimam numerat, quæ post gesto, confectoque à Pompeio piratico Mithridaticoque bellis, media facta est. Legitur & in eadem illa Maniliana, de disciplina militari Pompeii: *Cuius legiones sic in Asiam peruenerunt, vt non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur.* Prouerbium illud M. Varroni familiare respexisse apparet. Sic enim ille apud Nonium Marcellum in Satyra Menippæa περὶ Μενίππου: *Hæc Numa Pompilius fieri si viderit, sciet suorum institutorum nec volam, nec vestigium apparere.* Et Ἐπιταφίῳ: *Quoniam in sepulcris nec vola, nec vestigium exstat.*

Belli impetus nauigauit, Ventorum pennæ, & nauium volatus. CICERO *in Maniliana è Demosthene, aliisq; illustratus.*

CAPVT XXII.

QVOD Græciæ Oratorum Princeps Demosthenes Olynthiaca dixit: ὅπως ἀσφαλῶς ἡ δύναμις πλέῃ: noster est imitatus in ea pro lege Manilia, cum *belli impetum nauigasse* ait: *Quis vnquam aut obeundi negotii, aut consequendi quæstus studio tam breui tempore tot locos adire, tantos cursus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit?* Sic & in Phaselo Valerius Catullus, pro velocitate cursus *Impetum*, aliique Poëtæ in re potissimum nauali adhibent.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus,
Neq. vllius natantis impetum trabis

Neque s-

Nequisse praeterire, siue palmulis
Opus foret volare, siue linteo.

Et illo antiquior Ennius, XIV. Annali, apud Macrobium:

Labitur vncta carina, volat super impetus vndas.

Et huius vicissim æmulus Maro, lib. V. Æneid.

——Sic illam fert impetus ipse volantem.

Claudianus quoque venustus poëta, in Consulatum VI. Honorii V. 475. de Græcis equis Zephyro velocioribus:

Quorum, si qua fides, augentibus omnia Musis,
Impetus excessit Zephyros, candoreq; pruinas.

Volare ergò iidem poetæ dixerunt: vt & ventis pennas sacræ literæ attribuunt: Psalm. XVII. v. 12. & Psalm. 4. Et aui volanti pansis velis nauem currentem comparari, à Græcis etiam plurimis *currum* nominari, nemini nunc potest esse ignotum. Virgil. lib. III. Æneid.

Linquimus Ortygiae portus, pelagoq; volamus.

Furius Antias Poematis:

Sicut fulca leuis volitat super aequora classis.

CICERO itidem ac T. Lucretius *cœli impetum* pro celerrimo cœli motu dixerunt. Ventos quoque *animas* Arnobius dixit lib. I. & Maro lib. VIII. v. 403.

Quantum ignes, animaeq; volant——

Nauium autem formam, atque adeò nomen, ab auibus ducta esse eruditi quidam homines arbitrantur. Velis enim, remisque alarum loco, quasi auis ad volatum impellitur nauis. Indeque Scriptores dixerunt *nauem volare*. Contrà verò auibus *Remigium alarum* Maro attribuit. Equidem de Græcis deriuare fontibus malim, quibus ναῦς est *Nauis*, & ναύτης, qui *nauita*, & concisè *nauta* est.

Falcidia lex. CICERONIS *locus illustratus, Glossema in Eusebii Chronico sublatum.*

CAPVT XXIII.

IN Maniliana M. TVLLIVS Q. Hortensium, Q. Catulum viros Consulares reprehendit, quòd legi Gabiniæ, vt nunc Manillæ, ne ferretur, repugnarint. Quarum illa quidem de Cn. Pompeio belli piratici, hæc verò belli regii & Asiatici cum Mithridate & Tigrane, deligendo Imperatore agebat. *Quo mihi,* inquit, *indignius videtur obtrectatum esse adhuc, Gabinione dicam an Pompeio, an vtrique, id quod est verius, ne legaretur A. Gabinius, Pompeio expetenti ac postulanti* CICERO id non nouo exemplo factum iri, vt A. Gabinius legis auctor Pompeii lega-

legatus, quod legibus vetitum apparet, fieret. Idque exemplo confirmat quatuor Tribunorum plebis, quibus idem licuit. Sic enim CICERO: *An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cælius Latiniensis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris causa nomino, cùm Tribuni pl. fuissent, anno proximo legati esse potuerunt.* Vidi ego, qui cùm legibus leuiter tinctus esset, hæc M. TVLLII ad *Falcidiam legem* obtorto collo raperet. Quare vindicias secundum libertatem à Prætore postulo. Nam quamuis tempora non pugnent, prohibéntue quò minus vnus idemq́ue *Falcidius* esse potuisset CICERONIS æqualis est auctor legis *Falcidiæ* sub Augusto latæ, verba tamen maximè pugnant. Hic enim legatus, qui vicariam operam profectis in prouinciam Præfectis præberet, dictus est: alias *legatus*, qui & Orator nominatus, legationésque obit. At in *Falcidia lege de testamento legatis* agitur, non à falco deriuata, vt quidam somniant, appellatione, sed à *C. Falcidio*: cuius quidem legis caput ex antiquissimis membranis Chronicorum Eusebii, B. Hieronymo interprete, glossematis expunctis apponam: *C. Falcidius Trib. pl. Legem tulit, nequis plus testamento legaret, quam quanta pars hereditatis superesset.* In iis enim qui in vulgus editi circumferuntur codicibus, multa falsò adiecta ex Nouella Iustiniani Imp. Itaque legitur in Isidoro, qui hæc transscripta retulit in librum V. Etymolog. cap. XV. Integrum autem caput legis Falcidiæ Tit. Πανδεκτῶν *Ad L. Falcidiam* exhibet, quíque de Legibus nostra, patrumque memoria scripsere, Zasius, Manutius, Hotmanus, & Iuris-prudentiæ princeps Ant. Augustinus.

Aries subiicitur. CICERO *in Topicis contra aliorum sententiam explicatus.*

CAPVT XXIV.

M. CICERO in Topicis de Causarum generibus: *Ea quæ fiunt, partim sunt ignorata, partim voluntaria. Ignorata, quæ necessitate effecta sunt: voluntaria, quæ consilio. Quædam autem fortuna vel ignorata, vel voluntaria. Nam iácere telum voluntatis est: ferire quem volueris, fortuna. Ex quo aries ille subiicitur in vestris Actionibus:* SI TELVM MANV FVGIT *magis quam* IECIT. Torsit hic non iniuria locus Lusitanos duos, in his Ant. Goueanum Iure-consultum, & Achillem Statium; item Bart. Latomum Belgam. Machinam enim bellicam accipiunt, quæ ab arietis figura nomen habeat, tralatè pro validissima defensione ad oppugnandum iudicem. Atqui aries non defensioni, vt balista, sed Vrbium oppugnationi adhibitus, quo portæ & muri, vt æneis hodie tormentis, quatiebantur. Non rectè igitur pro defensione sumas. Decepti, credo, magni illi viri Boethii Seuerini auctoritate, qui multa de Casu & Fortuna ex Aristotelis Acroamatis lib. II. philosophatus hæc adfert lib. V. extremo: *Vnde etiam machinamentum quoddam atq; defensio in Iuris-peritorum responsionibus inuenitur; hoc modo:* SI TE-

SI TELVM MANV FVGIT, *magis quam* IECIT. *Nam si quis cædis accusetur, optima solet esse defensio: si alia non suppetit, fugisse manu telum, magis quam iacere noluisse: at non voluntati, quæ condemnatur in culpis, sed ignorantiæ factum tribuatur.* Sic ille. Verum mihi longè alia mens, quam erudito lectori diiudicandam propono, etsi per se veritas ipsa exsistat: vt planè *subiici aries* dicatur, veluti pro cæde victima ad expiandum, more maiorum, Atheniensium præsertim, mox etiam Romanorum, qui à Græcis Actiones & Caussas plerasque, potissimùm quæ ad cærimonias attinerent, acceperunt. Nam de Oreste seipsum expiante, Æschylus ait, & in reliquis illis Sex. Pompeii Festi fragmentis sic legi docuit Ant. Augustinus, quem honoris caussa libenter nomino: *Subiicere arietem: In Commentario XV. Iuris Pontificii; Antistium esse ait dare arietem, qui pro se agatur, vt cædatur.* Et alibi: *Subiici aries dicitur, qui agitur vt cædatur: quod fit, vt ait Cincius in libro de Officio Iurisconsulti, exemplo Atheniensium, apud quos expiandi gratia aries iungitur ab eo qui scelus admisit, pœna pendenda loco.* Et in Seruio Pet. Danielis hoc Numæ Pompilii Regis caput legitur:

SEI QVIS HOMINEM LIBERVM IMPRVDENS
SEI DOLO MALO OCCISIT
PRO CAPITE OCCISEI ET NATEIS EIVS
IN CONCIONE ARIETEM SVBICITO.

Eodem respexit Q. Horatius Epod. V.

Diris agam vos: dira detestatio
Nulla expiatur victima.

De re ipsa quid alibi adhuc CICERO censeat, videndum. De Oratore lib III. *Nonnunquam breuitas translatione conficitur; vt illud:* SI TELVM MANV FVGIT, *imprudentia teli emissi breuius propriis verbis exponi non potuit.* Et lib. II. *Iure defendi scribit, quæ & imprudentia & casu facta dicantur.* Solon quoque legislator bis puniebat eos qui se ebrietate deliquisse dicerent. Huc etiam fortè pertineat Adrasti factum illud apud Herodotum lib. I. & Lucianum in Ioue accusato: quo filium Crœsi in venatione imprudens ille cum occidisset, expiare se coactus sit. Cæterum in illis Topicorum verbis, vt multa à librariis peccantur, pro illis, *Ferire quem volueris*, reponi malim *nolueris*. Assentietur qui locum expenderit.

Strategema Mithridatis. CICERO *in Maniliana illustratus. Fibri natura quæ.*

CAPVT XXV.

MITHRIDATES Ponti Rex, à L. Lucullo prælio victus, dum in Armeniam ad Tigranem fugit, siue socerum, vt Appianus Mithridatico, siue generum,

rum, vt Plutarchus in Lucullo, propius factum est nihil, quàm vt caperetur, viuusque veniret in Rom. potestatem, absque auaritia militum fuisset, qui, dum sparsam de industria auri argentique magnam vim colligunt, interea ipse dilabitur, saluusque euasit. Sed M. TVLLII id verbis potiùs audiamus: *Primùm ex suo regno Mithridates sic profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur; quam prædicant in fuga fratris sui Absyrti membra in his locis, qua se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum collectio dispersa mærorq; patrius celeritatem persequendi retardaret.* Quibus in verbis respexisse M. Tullium obseruaui ad veteris Poëtæ hac ipsa de re versus ab illo allatos lib. III. de Natura Deorum:

Vt dum nati dissipatos artus captaret parens,
Ipsa interea effugeret, illum & mæror tardaret sequi.

Naso verò qui VII. Metam. fabulam Medeæ narrat, sic breuius lib. III. Tristium Eleg. IX.

Atq; ea diuellit, diuulsaq; membra per agros,
Dissipat in multis inuenienda locis.
Neu pater ignoret, scopulo proponit in alto,
Pallentesq; manus sanguineumq; caput.
Vt genitor luctuq; nouo tardetur, & artus
Dum legit exstinctos triste retardet iter.

Didicerat fortasse hunc actum ab eiusdem Ponti animante fibro, vel Castore: qui vt venatorum manus & iacula effugiat, vltro sibi dentibus pudenda resecat, ob quæ se capi & quæri nouit. Sunt enim in re medica salubria, vt medicorum filii, & historici φυσικοὶ norunt, de quo Iuuenalis Sat. XII.

——*imitatus Castora, qui se*
Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno
Testiculorum, adeo medicatum intelligit inguen.

Plura si quis volet, adeat Plinium lib. VIII. & XXX. item XXXII. cap. III. Apuleium lib. I. & V. Milesiarum. Oppianum, Festum Pompeium, Isidorum, lib. XII. cap. I. Strabonem, Ælianum lib. VI. cap. XXXIII. Ammianum lib. XVII. Horapollinem, Olaum magnum lib. XVIII. cap. V. (qui ait & in Septemtrionalibus regionibus non in Ponto solùm, contra Solinum, Castores reperiri;) Franciscum Valesium de sacra Philosoph. cap. III. Iulium Scaligerum exotericãn, CCX. contra Cardanum & Exercit. CCXI. aliosque; Dioscorides tamen, & alii nonnulli negant: sed euincat tot auctorum auctoritas. Non dissimilia de Scythis & Hircanis Ponti accolis in Tigrium venatione tradit Mela Pomponius lib. III. cap. V.



ANDR. SCHOTTI

NODORVM CICERONIAN. LIBER II.

CICERONIS *Officia illustrata. Mendum à coniectura & Historiæ fide sublatum.*

CAPVT I.



ICERONEM multa à Terentio mutuatum notarunt pridem eruditi viri; equidem obseruaui, & aliter atque vulgò solet, eum adhibere consueuisse: vt illud, ne longè abeam, ex ea fabula, qua Menedemus se ipse puniens inducitur (sic enim Tuscul. III. vertit Orator Græcam vocem ἑαυτὸν τιμωρούμενον; Comicus vero:

An cuiquam est vsus homini se vt cruciet?)

CICERO I. Offic. de Iustitia agens: *Est difficilis cura rerum alienarum; quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil à se alienum putet.* Rectè verò & accommodatè Comicus:

M. *Chreme tantúmne est abs re tua otii tibi,*
Aliena vt cures, eaq; nihil quæ ad te attinent?
C. *Homo sum, humani nihil à me alienum puto;*
Vel me monere hoc, vel percontari puta:
Rectum est? Ego vt faciam: non; vt deterream.

Sic enim posteriora illa interpungenda censuit doctissimus Hieronymus Surita, Cæsaraugustanus. Vulgò autem Prouerbii specie aliter paullo hanc γνώμην vsurpamus, quasi cuiuis nos vitio hominum more obnoxios fateamur. Ita pòst non longo interuallo ex eadem Comœdia illud paullò aliter CICERO adfert, siue memoriæ plus æquo confisus, siue quòd ad manum Comicus non esset: *Summum ius, summa iniuria, factum est iam tritum sermone Prouer-*

Prouerbium. At Terentius ait: *Verum illud Chreme dicunt, Summum ius, summa malitia est*. Columella verò Hispanus, sed Latinitatis & ille auctor bonus, lib. I. Rei rusticæ aliter paullò detorsit: *Summum ius summa crux*. Nec longè hinc Orator, loco tamen, vt opinor, à librariis deprauato: *Pompilius imperator tenebat prouinciam. In eius exercitu Catonis filius tiro militabat*. qui III. Coss. an. V. C. CDIII. Gallos cæcidit. Nisi error in Historia est, aut μνημονικὸν ἁμάρτημα, aliud hic apud CICERONEM reponendum est. Lambinus, M. Popilius legit, vt de Popilio Lænate, quem scriptor Rhetoricorum ad Herennium lib. I. extremo Caii prænomine vocat, intelligatur: at Plutarchus, qui è CICERONE hæc, vt pleraq; desumpsit, in Catone minore bello Persico militasse Catonis maioris filium ait, natu scilicet maiorem: qui Prætor designatus, patre viuo sit mortuus; & egregios de Iuris disciplina libros reliquit teste Agellio lib. XIII. cap. XVIII. Persicum autem seu Macedonicum bellum gestum fuit anno post R. C. IↃXXCV. quo Perseus rex, Philippi F. Paullo Æmilio Cons. captus est. Eâdem tempestate Consules quidem in Capitolinis Tabulis, anno v. c. IↃLXXX. M. Popillius Lænas, & P. Ælius Ligus. Malim itaque hic legi: si mei arbitrii res esset, *Paullus Æmilius*, non *Pompilius*. Nam mendum ex compendiis, vt fit, natum. Scriptum enim repperit librarius, *Pau-AEmilius*: vnde factum *Pompilius*, vel *Popilius*. Si victus Popilius, quomodo legionem dimisit, quasi finito bello honesta missione? Sequentia ostendunt CICERONEM de Perseo loqui. Mox non longè: *Adeo summa obseruatio erat in bello mouendo*. Videtur τὸ *mouendo* à glossa esse. Tentarunt alii, *adeo sancta obseruatio*. Offendit illos *adeò* particula, quæ cum superlatione non iungitur. Sed interpungendum, & pro *ergò* interpretandum, vt sit complexio vel Epiphonema, vt dicimus *adeo verum est*. Accedit librorum veterum auctoritas, qui *adeo summa* ad vnum legunt omnes.

Hortensius CICERONIS *qui de laudibus est Philosophiæ, fragmento nouo auctus.*

CAPVT II.

AND. Patricius, Polonus, homo doctissimus operam præclarè nauauit, cum post Car. Sigonium, bone Deus quem virum! non paucas naufragii Tulliani tabulas collegit. Quoniam autem nescio quo modo hoc oculos vtriusque fugit, quod CICERONIS tamen esse germanum liquido iurem, huic chartæ illinere placet, vt in libros hinc suos, qui volet, transferat. Sic enim B. Augustinus lib. XIII. Ciuitatis Dei cap. V. *Ecce autem non philosophi quidem, sed promti tamen ad disputandum homines, omnes aiunt esse beatos qui viuant vt ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum est: nec tam mise-*

rum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod non oporteat. Plus enim mali praua voluntas adfert, quàm fortuna quidquam boni. Postrema nos ex eodem Augustino addimus è libro *De vita beata*, vbi plenius idem fragmentum legitur. Quæ qui ex Augustini sensu dicta existimarunt, næ illi opinione sua falsi sunt: hærent enim atque connexa sunt arctissimè. Certe sanctissimus ille Theologus lib. I. Retract. dolet se fortunam, etsi verbis alienis, scriptis suis sæpiùs inseruisse quàm Christianum hominem deceret, quasi cum profano Philosophorum vulgo *Fatum* aut *Fortunam* agnosceret. Illud addam concinnius legendum videri: *quam Fortuna cuiquam boni*, dandi casu *cuiquam*. Antea vero malo, *id est ipsum miserrimum*, cadentibus numeris venustiùs, & ad CICERONIS morem accommodatiùs.

De tollenda iracundia L. Senecæ idem quod CICERONI *consilium in mentem venire. Aureæ Epistolæ* I. *ad* Q. *Fratrem lux allata.*

CAPVT III.

VT de dolore minuendo multi Philosophi & multa & in his M. TVLLIVS ea quam sibi scripserat sed temporum iniuria intercidit, consolatione in morte filiæ (quæ enim hodie circumfertur ficta est, vt & Orpheus Venetijs, nec satis CICERONE digna) ita & varia ab iisdem ἀνασταλτικὰ τῆς ὀργῆς consilia excogitata: quod ea furor, tametsi breuis, atq; insania hominis extra se positi iudicetur. TVLLIVS idem Q. Fratri, homini iracundo, cetera laude dignissimo auctor exstitit, vt προαιρέζειν, καὶ ἀπὸ τὴν ἑωθινὴν meditatione in domanda aut certè refrenanda iracundia vteretur. L. vero Seneca, vt alia plurima, sic & hoc lib. III. de cap. XXXVI. ab illo est mutuatus, sed ἰατρείῃ sui exploratione remedium adhibet. Suadet enim diuinitus, vt seipsum quisque ad vesperum quotidie exploret ad vnguem; idq; Sextii exẽplo docet, atque adeò Pythagoreorum more itidem seruatum. CICERONIS hæc sunt in aurea illa, ac benè longa ad Q. Fratrem Epistola, qua de administranda Prouincia fratri Proprætori in Asia (quem tamen Suetonius in Augusto, cap. 3. eandem laudans Epistolam, *Proconsulem* nominat) vtilia vitæ ac Reip. præcepta tradit: *Sed te illud admoneo, vt si hoc plene vitare non potes, quod antè occupatur animus ab iracundia, quam prouidere ratio potuit ne occuparetur; vt te ante compares, quotidieque meditere, resistendum esse iracundiæ.* Sapiens verò Philosophus Seneca ad hunc ferè modum: *Desinet ira & erit moderatior, quæ sciat sibi quotidie ad Iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem?* Idem quoque Plutarchus Chæronensis Philosophus censuit, suasitq; Commentario

mentario de audiendis poëtis: ἐπεὶ καὶ μεγάλου δοκοῦντος εἶναι καὶ ὄντος τοῦ κρατεῖν ὀργῆς, μεῖζόν ἐστιν ἡ φυλακὴ καὶ ἡ πρόνοια τοῦ μὴ περιπεσεῖν ὀργῇ, μηδὲ ἁλῶναι. Et paullò pòst: τὸ γὰρ ἐπισφαλῶς πρὸς ὀργὴν ἔχοντα, καὶ φύσει τραχὺν ὄντα καὶ θυμοειδῆ, μὴ λανθάνειν ἑαυτὸν, ἀλλ' ἐξευλαβεῖσθαι, καὶ φυλάττεσθαι τὰς αἰτίας, καὶ προκαταλαμβάνειν τῷ λογισμῷ πόρρωθεν, ὅπως οὐδὲ ἄκων τῷ πάθει περιπέσῃ, θαυμαστῆς ἐστι προνοίας. Quæ etsi exemplis Achillis atque Vlyssis illustrer. nos Athenodori Philosophi, Octauiani Cæsaris magistri verba in memoriam reuocemus: qui missionem flagitans, extremam hanc ei admonitionem suggessit: *Cùm iratus, Cæsar, fueris, nihil prius dixeris, feceris've, quam quattuor & viginti Alphabeti litteras tecum ipse percurreris*, quo audito manum præceptori iniecit, alterumq; apud se annum manere iussit, docens τὸ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας εἶναι. Quo & Flaccus respexit, lib. III. Carm.

Est & fideli tuta silentio
Merces——

De Theodosio quoq; Aug. Sex. Aurelius Victor noster: *Habuit*, inquit, *à natura munere, quod Augustus à Philosophiæ doctore* (Athenodoro) *didicerat: qui cùm vidisset eum facile commoueri, ne asperum quid statueret, monuit vt vbi irasci cœpisset, quattuor atque viginti Græcas litteras memoria recenseret: vt illa concitatio, quæ momenti est, mente alio traducta parui temporis interiectu languesceret.* Notum autem eidem Theodosio datum à B. Ambrosio salubre consilium, ne iratus temere, vt antea, capitis iudicia præcipitaret: quo de eiusdem exstat Epist. XXVIII. hoc principio: *Et veteris amicitiæ dulcis mihi recordatio est, & beneficiorum.* plura tamen Ecclesiastica Historia, quæ indicasse sat esto.

Videndum *pro* verendum CICERONI *familiare. Imitatus & CICERONEM Persius.*

CAPVT IV.

QVANTA in CICERONIS Officiis doctrina lateat, C. Plinius procemio testatur cum ad verbum ediscenda suadeat: quamq; reconditi thesauri inde eruantur doctissimo cuique notum, cum & argumento gemino B. Ambrosius exprimere non dubitarit. Nos è libro I. caput hoc concinnauimus: *Videndum est*, inquit, *vt non satis sit, id quod apud Platonem est in Philosophos dictum, quod in veri inuestigatione versentur.* Lambinus tentat hanc lectionem, & solemne illud suum seruat, vt vel repugnantibus libris omnibus, *verendum* substituat. Verum cum Varrone Cras illi credam, hodie nihil. Nam *τὸ video* cum particulis *Ne* & *Vt*, non rarò eumdem, quem *Timeo, Metuo, Vereor*, vsum habere apud CICERONEM obseruaui,

vt hoc

rum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod non oporteat. Plus enim mali praua voluntas adfert, quàm fortuna quidquam boni. Postrema nos ex eodem Augustino addimus è libro *De vita beata*, vbi plenius idem fragmentum legitur. Quæ qui ex Augustini sensu dicta existimarunt, næ illi opinione sua falsi sunt: hærent enim atque connexa sunt arctissimè. Certe sanctissimus ille Theologus lib. I. Retract. dolet se fortunam, etsi verbis alienis, scriptis suis sæpiùs inseruisse quàm Christianum hominem deceret, quasi cum profano Philosophorum vulgo *Fatum* aut *Fortunam* agnosceret. Illud addam concinnius legendum videri: *quam Fortuna cuiquam boni*, dandi casu *cuiquam*. Antea vero malo, *id est ipsum miserrimum*, cadentibus numeris venustiùs, & ad CICERONIS morem accommodatiùs.

De tollenda iracundia L. Senecæ idem quod CICERONI *consilium in mentem venire. Aureæ Epistolæ* I. *ad Q. Fratrem lux allata.*

CAPVT III.

VT de dolore minuendo multi Philosophi & multa & in his M. TVLLIVS ea quam sibi scripserat sed temporum iniuria intercidit, consolatione in morte filiæ (quæ enim hodie circumfertur ficta est, vt & Orpheus Venetijs, nec satis CICERONE digna) ita & varia ab iisdem ἀνασταλτικὰ τῆς ὀργῆς consilia excogitata: quod ea furor, tametsi breuis, atq; insania hominis extra se positi iudicetur. TVLLIVS idem Q. Fratri, homini iracundo, cetera laude dignissimo auctor exstitit, vt προσμερίζειν, καὶ ἀπὸ τὴν ἑωθινὴν meditatione in domanda aut certè refrenanda iracundia vteretur. L. vero Seneca, vt alia plurima, sic & hoc lib. III. de cap. XXXVI. ab illo est mutuatus, sed ἰατρείῃ sui exploratione remedium adhibet. Suadet enim diuinitus, vt seipsum quisque ad vesperum quotidie exploret ad vnguem; idq; Sextii exẽplo docet, atque adeò Pythagoreorum more itidem seruatum. CICERONIS hæc sunt in aurea illa, ac benè longa ad Q. Fratrem Epistola, qua de administranda Prouincia fratri Proprætori in Asia (quem tamen Suetonius in Augusto, cap. 3. eandem laudans Epistolam, *Proconsulem* nominat) vtilia vitæ ac Reip. præcepta tradit: *Sed te illud admoneo, vt si hoc plene vitare non potes, quod antè occupatur animus ab iracundia, quam prouidere ratio potuit ne occuparetur; vt te ante compares, quotidieque meditere, resistendum esse iracundiæ.* Sapiens verò Philosophus Seneca ad hunc ferè modum: *Desinet ira & erit moderatior, quæ sciat sibi quotidie ad Iudicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem?* Idem quoque Plutarchus Chæronensis Philosophus censuit, suasitq; Commentario

mentario de audiendis poetis: ἐπεὶ καὶ μεγάλου δοκοῦντος εἶναι καὶ ὄντος τοῦ κρατεῖν ὀργῆς, μεῖζόν ἐστιν ἡ φυλακὴ καὶ ἡ πρόνοια τοῦ μὴ περιπεσεῖν ὀργῇ, μηδὲ ἁλῶναι. Et paullò post: τὸ γὰρ ἐπισφαλῶς πρὸς ὀργὴν ἔχοντα, καὶ φύσει τραχὺν ὄντα καὶ θυμοειδῆ, μὴ λανθάνειν ἑαυτὸν, ἀλλ' ἐξευλαβεῖσθαι, καὶ φυλάττεσθαι τὰς αἰτίας, καὶ προκαταλαμβάνειν τῷ λογισμῷ πόρρωθεν, ὅπως οὐδὲ ἄκων τῷ πάθει περιπέσῃ, θαυμαστῆς ἐστι προνοίας. Quæ etsi exemplis Achillis atque Vlyssis illustret, nos Athenodori Philosophi, Octauiani Cæsaris magistri verba in memoriam reuocemus: qui missionem flagitans, extremam hanc ei admonitionem suggessit: *Cùm iratus, Cæsar, fueris, nihil prius dixeris, feceris've, quàm quattuor & viginti Alphabeti litteras tecum ipse percurreris*, quo audito manum præceptori iniecit, alterumq; apud se annum manere iussit, docens τὸ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας εἶναι. Quo & Flaccus respexit, lib. III. Carm.

Est & fideli tuta silentio
Merces——

De Theodosio quoq; Aug. Sex. Aurelius Victor noster: *Habuit*, inquit, *à naturæ munere, quod Augustus à Philosophiæ doctore* (Athenodoro) *didicerat: qui cùm vidisset eum facile commoueri, ne asperum quid statueret, monuit vt vbi irasci cœpisset, quattuor atque viginti Græcas litteras memoria recenseret: vt illa concitatio, quæ momenti est, mente alio traducta parui temporis interiectu languesceret.* Notum autem eidem Theodosio datum à B. Ambrosio salubre consilium, ne iratus temere, vt antea, capitis iudicia præcipitaret: quo de eiusdem exstat Epist. XXVIII. hoc principio: *Et veteris amicitiæ dulcis mihi recordatio est, & beneficiorum.* plura tamen Ecclesiastica Historia, quæ indicasse sat esto.

Videndum *pro* verendum CICERONI *familiare. Imitatus & CICERONEM Persius.*

CAPVT IV.

QVANTA in CICERONIS Officiis doctrina lateat, C. Plinius procemio testatur cum ad verbum ediscenda suadeat: quamq; reconditi thesauri inde eruantur doctissimo cuique notum, cum & argumento gemino B. Ambrosius exprimere non dubitarit. Nos è libro I. caput hoc concinnauimus: *Videndum est*, inquit, *vt non satis sit, id quod apud Platonem est in Philosophos dictum, quod in veri inuestigatione versentur.* Lambinus tentat hanc lectionem, & solemne illud suum seruat, vt vel repugnantibus libris omnibus, *verendum* substituat. Verum cum Varrone Cras illi credam, hodie nihil. Nam τὸ *video* cum particulis *Ne* & *Vt*, non rarò eumdem, quem *Timeo, Metuo, Vereor*, vsum habere apud CICERONEM obseruaui,

vt hoc

vt hoc ipso in loco ex auctoritate codicum omnium, & lib. XIV. ad Famil. Epist. XIV. Terentiæ, & Tullio F. *Reliquum est, quod ipsa optime considerabitis, vestri similes feminæ sintne Romæ. Si enim non sunt, videndum est vt honestè vos esse possitis.* Quod pro *verendum* accipiendum paret apertè. Subiicit enim statim: *Etiam illud verendum est.* Illud coronidis vice accedat: vt ex Platonis Alcibiade priore Satyram V. concinnasse Persium monuit politissimus Politianus, cap. IV. Miscellan: sic è CICERONE mutuatum esse apparet elegantem hanc sententiam. Ita enim noster TVLLIVS, qui Latinis litteris illustrauit Philosophiam, primo Offic. *Nec vero illa parua vis naturæ est, rationisq́, quod vnum hoc animal sentit, quid sit ordo, quid deceat, in factis dictisq́ quis sit modus.* Satyricus vero Sat. III. qui versus inter cetera eminent ænigmata, vtilesq; sunt hominum vitæ:

Disciteq́, ô miseri, & caussas cognoscite rerum,
Quid sumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ quàm mollis flexus, & vnde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Vtile nummus habet.——

Claudianus poëta sæpiùs emendatus.

CAPVT V.

LIBET alternare vices, vt animus legendo tetrica fessus, varietate respiret. Amant enim alterna Camenæ. Claudianus Poëta minime malus in manus venit, eius poematum duos mihi perantiquos codices olim Iac. Susius, homo eruditissimus, vtendos arbitrio meo reliquit, nec operæ pœnitet. His itaq; chartis, si quod forte operæpretium, illinere placuit, quæ de raptu Proserpinæ horis subseciuis notabam, intacta Pulmanno ac Delrio nostro. Lib. I. vers. 220.

Sic cecinit longæua Themis. nunc matre remota
Rem peragi tempus: fines inuade Sicanos.

Vulgò enim editur typis etiam Plantinianis *Rem peragit tempus.* vt Virg. & Statius lib. V. Thebaid. *Iam tempus agit rem* Lib. III. prooemio v. 17.

Enceladus mihi carmen erat, victusq́ Typhœus:
Hunc premit Inarimes, hunc grauis Ætna domat.

Duo libri Susiani:

Hic subit Inarimes.——

In Rufinum præfat.

Phœbeo domitus Python cùm decidit arcu.

sic malo quam *vt decidit arcu.* v. 260.

Fracta

sic malo quam *vt decidit arcu.* v. 260.

Fracta metu: solus, medioq; in turbine rerum.

Alter codex *—medio solus sed turbine rerum.* Alter sic; *—medio sese sed turbine rerum.* in quam lectionem, vt τὸ *solus* absit, plurimi conspirant libri. V. 381. *—Nec vomere sulcus adunco Finditur.* Vetusta lectio *obunco.* Lib. II. v. 64.

Vinctas ire nurus hunc per vada cærula mergi.

Susianæ membranæ *Vinctas ire manus.* Statim v. 91. *Aut tantis soluet lacrymis—* libri duo *à tantis.* V. 432.

Insultantq; alacres. laceros iuuat ire per artus.

Iidem libri *vacuos* habent, id est, exsangues & inanimes. Sic Statius lib. 9. Thebaid. *Vacuorum terga leonum.*

Lib. I. in Eutropium v. 195.

Claustra remoliri, non vberiore rapina
Peccet in orbe manus—

Libri illi veteres *nunc vberiore rapina*, quomodo & in suis repperit probatque Pet. Faber Tolosanus Semestrium lib. I. cap. XVI.

V. 405:

Cyniphiisq; ferox Araris successit aristis.

Rescribe *Cinyphiisq;*

Lib. II. v. 81.

Conuiuant domini: quod maxima prælia solus
Impleat & pariter miles, quod tertius vrbis
Conditor, hoc Bysas, Constantinusque videbunt.

In duobus scriptum repperi: *Cum viuant domini—*& mox*—Et patitur miles, quod conditor vrbis Tertius.*

Extremo libro de bello Gildonico v. 521.

Tenditur in longum Caralis—

malim *Calaris* hic legi, auctoritate Pomponii Melæ lib. II. *Vrbium*, inquit, *Sardiniæ antiquissima Calaris & Sulci.* Vide & Plinium lib. II. cap. CVIII.

Libro de Bello Getico. v. 74.

Robur Aloidæ dum vellere Pelion Othrys.

Membranæ præferunt:

Robora Aloidæ, dum vellere Pelion Otus Nititur

Pòst v. 109. lege & interpunge:

Exercere dabant. Currus regumq; catenæ
Inter abundantis fati ludibria ductæ.

Et statim:

Nec pro successu tumidus—

hic *nimius* pro *tumidus* in vtroque repperi.
V. 454.

Principis, amplexus alacris quis differat aulæ?

Vetus liber, *deserat aulæ*, rectiùs fortasse.
Panegyrico de tertio Honorii Consulatu, v. 109.

Distulit Augustus cupido se reddere cælo.

Vetus liber *se credere cælo*. Et mox v. 142.

Cunctos discedere tectis, in eodem est *tutò discedere rastris*.

V. 146.

Te sine? Quem merui te non suadente triumphum?

Plures libri; *te non sudante tropæum?*
V. 156. *Coniugio, sociaq; virum produxit ab aula.*
Nurum pro *virum* est in duobus libris.
In IV. Consulatu Honorii, v. 27.
Qui medio (libri duo *medios*) *Libya sub cassida pertulit æstus*. V. 38. —— *quos dictat fabula ramos. dictat* in membranis omnibus. Sic lib. 2. de Raptu:

Est etiam lucis arbor prædiues opacis.

V. 54.

Flammaq; Bistonios reperirent agmina campos:

operirent est in iisdem libris. Et mox. v. 69. ____ *Sic traditur illis*, non *illi*.
V. 77.

Suadebat, tantumq; dabant exempla sequenti.

Sequentem est in membranis omnibus, v. 98.

Illi iustitiam confirmauere triumpho.

Rectiùs *triumphi* membranæ, v. 106.

Garganum Alpinis, Apenninumq; niualem
Permistis sociare iugis. ____

Libri duo ____ *niualem Pernices sociare iugis*, v. 214.

Si tibi Parthorum solium Fortuna dedisset.

Natura in vno codice scriptum vidi, vt infra. V. 308. *Quæ tibi tum natura dedit* —— v. 298. *Fit populus nec ferre vetat* —— *negat* est in nostris libris, vt & in Gallicis Pet. Fabri Semestrium lib. II. cap. XVI. in laude Serenæ vxoris Stiliconis, V. 71.

Diuitiis vndasse Tagum. Gallecia risit
Floribus, & roseis formosus Duria ripis.

Hic

Hic legisse *curia* memini Hermolaum Barbarum, *Turia* verò Hieron. Paullum lib. de Fluminibus Hispaniæ. Equidem *Durium*, etsi Feminino genere, significari puto, qui Tago est conterminus. *Turia* vero Valentini agri fluuius est, cuius & in Historiis Sallustius meminit.

Tesseræ, militares & gladiatoriæ, quadratæ: Frumentaria & hospitalis, rotundæ. Rudis, Spectatus. Abacus numerorum Romanis, seu Tabula calculatoria. Monumenta Antiquitatis.

CAPVT VI.

L. Lvcilivs apud Ciceronem de Oratore ad Q. Fratrem:

Quam lepida lexeis, compostæ vt tesserulæ omnes
Endo pauimento, atq; emblemate vermiculato!

Quæri video quæ hic *tesserulæ* sint, [illegible] nimirum à *Tessera*, tegula quadrata, qua solum sternitur, ac vermiculatum pauimentum; quod & *tessellatum ac sectile* Vitruuio est lib. VI. Architecturæ, & Suetonio in C. Cæsare cap. XLVII. itemque Isidoro lib. XIX. Etymolog. cap. 13. & 14. Ælio autem Spartiano *musiuum opus*, quod vulgò *Mosaicum*, corrupta leuiter voce, artifices nominant. Græcis, ἔδαφος διαμέμικλον, & in Euangelio S. Ioannis cap. XIX. v. 13. λιθόστρωτος. *Tessera* vero signum olim quo à consciis quis dinoscebatur: vt Militaris in *castris*, quæ militibus, quò ab exploratoribus internoscerentur, dari solet: meminitque Pomponius IC. Tit. 2. de orig. Iuris. Quò pertinet & *Gladiatoria* Tessera, forma quadrata. *Frumentaria* quoque, qua nota prolata frumentum à Principe dabatur. Eadem de *Olearia*, *Cenaria & Nummaria* ratio. Et hæ quidem rotundæ, vt ex Dione Cassio apud Xiphilinum mox docebo. Sic vsitata fere hodieque, etsi dissimili effectu, quadrangula aut rotunda ligni forma, vtrimque complanata, cui numeri inciduntur, rei credito coëmptæ: quibus numeris æris alieni persolutis confringi ea solent, aut flammis tradi. Meminit sæpè Plautus Tesseræ:

Suam vterq; tesseram habet: ratio constat.

Vidimus olim Tarracone apud Anton. Augustinum Archiepiscopum, Antiquitatis longè peritissimum, tegulam quadratam binis inscriptam literis SP. cæteris oblitteratis: qua nota *Sportulam* signari aiebat, de qua frequens in Martiali mentio est, & ipse disseruit Dialog. II. Antiquitatum in re Nummaria, veterumque Inscriptionibus. Mihi, si dissentire fas, potius videatur fuisse signum *speculatoris Tesserarii*, qualem fuisse Barbulum Proculum sub Othone Imperat. auctor Cornelius Tacitus & Plutarchus

vt emendat explicatque locum Taciti, aliter atq; Lipsius noster, Læuinus Torrentius V.C. ad Othonem Suetonii cap. V. & in Caligula cap. LII. Integram vero Tesseram Romæ videre contigit, quattuor lateribus sic inscriptam: PHILODAM. DOSSE. A. D. X. K. NOV. SPECT. M. TEREN. C. CAS. quæ sic legebamus: *Philodamus Dosseni ante diem decimum Calendas Nouembris Spectatus, M. Terentio C. Cassio, Coss.* hâc, quam repræsentamus, formâ:

PHILODAM. DOSSE
A. D. X. K. NOV.
SPECT.
M. TEREN. C. CAS.

Interrogatus etiam Fuluius Vrsinus, homo linguæ vtriusque, omnisque adeo Antiquitatis bene peritus, eò sermonem deduxit, vt diceret, significari videri, quo anno seu Consulatu, mense, atque die, Gladiator Philodamus, spectatus, diu multúmq; in arte versatus, rude sit ac tessera eburnea donatus, quibus solutum se palestræ atque arenæ legibus athleta ostenderet: vt *Spectati* vocabulum Gladiatorum esset proprium. Quò illud Q. Flacci referebat:

Spectatum satis, & donatum iam rude quæris,
Mæcenas, iterum antiquo me includere ludo.

Equidem de rudibus, quibus gladiatores virgis à prætore percussi, vt vindiciis manumissi, sic hi libertate exauctorati donabantur, facile assentiebar. Ampliare tamen cogor, quod neq; Horatius Tesseræ ibi meminit, neq; adeò vetus eius interpres Acro aut Porphyrio. Sic Philippica V. M. TVLLIVS in M. Antonium: *Tam bonus gladiator, tam cito rudem accepisti?* Et Epist. ad Octauium, si eius modo est: *Qui veteres gladiatores reliquias ludi Cæsaris ad rudem compulisti.* Rudibus quippe depugnare gladiatores soliti, teste Lampridio in Commodi vita: quem refert in arena rudibus inter cubiculares gladiatores depugnasse. Hinc & tralatè *Rudis* pro libertate Iuuenali, Sat. VII. vers. 171.

Ergo sibi dabit ipse rudem——

Quo etiam loco *Nummariam* subiicit *tesseram*, quæ ad Frumentariam pertineret:

Summula ne pereat, qua vilis tessera venit
Frumenti——

Cuius *Frumentariæ* Iure-consulti meminere: Vlpianus quidem L. 52. D. de iudiciis: & Paullus L. 49. & L. 87. D. de Legat. 2. Suetonius quoq;

quoque in Nerone cap. XI. Tesseras ait frumentarias populo sparsisse, Congiarii vice: quod Xiphilinus ex Dione Cassio his verbis commemorat: διὰ συμβόλων σφαίρια μικρὰ γεγραμμένα in vulgus iacta refert. Vberiùs etiam in Tito Vespasiano: itemque in Domitiano, & Hadriano. Tranquillus rursum in Augusto, capp. 40. & 41. & Seruius Honoratus in illud Virgilii I. Georg. v. 263.

Aut pecori signum, aut numeros impressit aceruis.

Vnde colligo, vt gladiatorum tesseras quadratas repræsentaui, sic frumentarias in orbem rotundatas continere numeri signum solitas, quantum cuique præstari à Principe in frumento, veste, auro, argentoue deberet. Erant enim & alia ad Frumentariam pertinentia tesserarum, vt dixi, genera, Olearia, Cenaria, & Nummaria. Huius etiam Tranquillus in Augusto meminit, cap. 41.

Hospitalis quoque tessera in Plauto occurrit: qua ostensa ius hospitii mutuo exigerent amici ac necessarii. Sic enim in Pœnulo: *Ego sum ipsus quem tu quæris.* P. *Hem quid audio?* A. *Antidamæ me gnatum esse.* P. *Si ita est, iam tesseram confer, si vis, hospitalem.* A. *Eccam, attuli.*

Qui autem hospitii ius violassent, Tesseram fregisse vetere verbo dicebantur, ex eodem Comico in Cistellaria:

Abi, quære vbi tuo iurando satis sit subsidii.
Hic apud nos Alcesimarcha confregisti tesseram.

Addam & coronidis vice Antiquitatis aliud monumentum, Abacum Romanorum, seu Calculatoriam tabulam, apud eumdem Vrsinum olim à nobili & erudito viro Theodoro Renessio repertam, & mecum humaniter communicatam, perutilem iis qui Assem eiusque partes abundè perspectas habent. De quibus calculatoribus hæc comperi. Martialis enim lib. X. Epigrammatum:

Nec calculator, aut Notarius velox,
Maiore quisquam circulo coronetur.

Et B. Augustinus lib. II. aduersus Academicos: *Quibus duobus repertis nata est illa librariorum & calculatorum professio, velut quadam Grammaticæ infantia.* Vlpianus quoque IC. *tabellarios* eosdem appellatos fuisse testatur: spectaturque Veronæ vetus inscriptio:

P. CÆCILIVS EMPIRODIVS
VI. VIR AVG. CALCVLATOR
IVSTINÆ SALENÆ
VXORI ET SIBI VIV. F.

IXI

1000000.

O O O O	ccclↄↄↄ 100000.	O
4. Centies mille Denar. Simul 1600 ſeſtertia. Aliter dicebant: Sedecies ſeſtertium.		*500000 Denarij, vel 2000. ſeſtertia. Aliter dicebant, Vicies ſeſtertium.*
O O O O	ccIↄↄ 10000.	O
4. Decies mille Denarij. Simul 160. ſeſtertia.		*50000 Denarij, vel 200 ſeſtertia.*
O O O O	∞ 1000.	O
4. Mille Denarij. Aliter 16. ſeſtertia.		*5000 Denarij: alias* XX. *ſeſtertia.*
O O O O	C 100.	O
4. Mille æris, vel 4. M. Aſſes, vel 4. centum Denarij.		*5 Mille æris, vel 500. Denarij. Aliter, Duo ſeſtertia.*
O O O O	X 10.	O
4. Centuſſes 4. centum Aſſes, vel 4. decem Denarij.		*Quinquaginta denarij, vel quinque Centuſſes.*
O O O O	I 1.	O
4. Denarij, vel Decuſſes.		*Quinq; Denarij.*
O O O O		O
4. Aſſes, vel Quadraſſes.		*Quincuſsis, vel Quinarius.*
O O O O		O
5. Vncia, aut Quincunx.		*Semis, ſeu vncia.*

Demo-

Democriti Ἀπειρία *Infinitio, infinitasq;, mundorum & atomorum concursio.* CICERO *in Philosophicis ex Hippocrate & Laertio illustratus.*

CAPVT VII.

SENATVS populusque Abderitanus Hippocratem illius æui, hodieque Medicorum coryphæum legatione inuitans ad medicinam Democrito, quem insanire putarent, faciendam, ipsi longè amentiores, vt Prouerbio locum dederint, inter cætera insaniæ argumenta hæc colligunt: καὶ ἀποδημεῖν ἐνίοτε λέγει εἰς τὴν ἀπειρίην καὶ Δημοκρίτους εἶναι ὁμοίους ἑαυτῷ ἀναριθμήτους. *Sese quandoque in infinitionem peregrinari dicit, & innumerabiles sui similes esse Democritos.* Idem prodit ipse Democritus apud Hippocratem Coum, eleganti ad Damagetum Epistola, qui sermo est cum Abderitano illo Philosopho iucundè habitus. Sic enim ille: Πολλαί γε ἀπειρίαι κόσμων εἰσίν, Ἱππόκρατες, καὶ μηδαμῶς ἑταῖρε κατὰ σμικρολογίην πλουσίην τὴν φύσιν ἴσεαι. *Multæ sunt mundorum infinitates, atque adeo infiniti mundi. Quare de Naturæ diuitiis, bone vir, caue maligne sentias: contemnere noli aut suggillare.* Eadem M. TVLLIVS extrema Tuscul. V. *Democritus*, inquit, *luminibus amissis, alba scilicet & atra decernere non poterat*, &c. *Ille infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate consisteret.* Quod Abderitani dixerunt, ἀποδημεῖν εἰς τὴν ἀπειρίην. Et Academicarum libro IV. qui *Lucullus* inscribitur: *Anaximander Milesius infinitatem naturæ dixit esse, è qua omnia gignerentur. Post eius auditor Anaximenes infinitum aerem, sed ea quæ ex eo orirentur, definita.* Et statim: *Leucippus plenum & inane: Democritus huic in hoc similis, vberior in cæteris.* Et I. de Finibus: *Infinitio ipsa, quam* ἀπειρίαν *vocauit, tota à Democrito est: tum innumerabiles mundi, qui & oriantur & intereant quotidie.* Sic Laërtius in Democrito: ἀπείρους τε εἶναι κόσμους καὶ γενητοὺς, καὶ φθαρτούς. καὶ τὰς ἀτόμους δὲ ἀπείρους, εἶναι κατὰ μέγεθος, καὶ πλῆθος. Ἀπειρία igitur Democrito non pro *inscitia & ignoratione*, vt vulgò, sed pro *infinitate* adhibita: quemadmodum & Aristoteles κατηγορίας voce forensi, in Decem vocibus, quæ vniuerse dicuntur, vtitur, itemque Stoici verborum atque originum architecti non rarò notiones vocum detorserunt. De atomorum autem concursu è sententia Democriti Tullii loca colligam. Ita enim Academica priore: *Iam Physica, si Democritum probarem, possem scribere ita planè vt Amaphanius. Quid est enim magnum cùm causas rerum efficientium sustuleris, de corpusculorum (ita enim appellat atomos) concursione fortuita loqui.* Et Tuscul. I. *Illam funditus eiiciamus indiuiduorum corporum leuium & rotundorum concursionem fortuitam, quam tamen Democritus & calefactum & spirabilem, id est, animalem esse voluit.* Et statim: *Democritum magnum quidem illum virum, sed leuibus & rotundis corpusculis efficientem animum, concursu quodam fortuito omittamus.* Rursum I. de Fi-

de Finib. *Eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus hæret, turbulenta concursio, hanc mundi ornatum efficere non poterit.*

Medicina corporis & animi. CICERO *illustratus Tuscul. III. Corporis medicina triplex. Ausonio in Gripho lux allata. Auarorum ingenium. Hippocratis Coi Epistola de Democrito sæpiùs correcta.*

CAPVT VIII.

DIVERTO interdum libens in Philosophorum, atque adeò Medicorum spatia, animi laxandi gratia; &

Quo me cumq; rapit tempestas, deferor hospes.

In his coryphæum Hippocratem, cum ob suauitatem Ionicæ dialecti, cum Herodoto atque Homero communis, tum vt flores legam,

Floriferis vt apes in saltibus omnia libant.

Euocatus itaque per legatos à S.P.Q. Abderitano Cous ille Medicus, vt Democritum, vt ipsi quidem insani interpretabantur, motæ mentis atque alienatæ sanaret, ac veratro velut insanientem curaret: in portum iam Æsculapia naue delatum, sic omnis omnino ætatis ac sexus summi, medii, infimique compellabant in Epistola illa eleganti ac bene longa Hippocratis ad Damagetum, quam curriculo transcurrere ac passim emendare ingredior, ope scripti codicis eruditissimi viri Pet. Pantini, nuper heu fato nobis erepti. Verba è principio apponam, quibus votum ciues testatum relinquunt: *σῶζε λέγοντες, βοήθει, θεράπευσον. Serua inquiunt, opitulare, medere.* Tria nimirum hæc legenti in mentem tum veniebant, quæ Medicinæ corporum propria esse omnes prædicant, & Ausonius in Ternarii Gripho vno est versu complexus:

Et Medicina triplex, seruare, cauere, mederi.

Tametsi in vetere illo libro calamo exarato duo dumtaxat capita repperi: *ὦ ζεῦ βασιλεῦ, λέγοντες, βοήθει, θεράπευσον.* Qua compellandi forma & infra vsum se Hippocrates affirmat: *κἀγὼ, ὦ ζεῦ, βασιλεῦ φημι, εὐκαίρως γε αἰτηγράφεις πρὸς τὴν πόλιν. Tum ego: Rex Iuppiter, vt oportune incusas hanc vrbem Abderam, insaniæ vernaculam.* Democritus quoque singulari Epistola Medicinam ipse, vt sapientiæ sociam ac germanam, sic prædicat: *Ἰσορέω σοφίας γὰρ δοκέω ἰητρικῆς ἀδελφὴν καὶ ξυνοικόν. Σοφίη μὲν γὰρ ψυχὴν ἀναρύεται παθῶν. ἰητρικὴ δὲ νόσους σωμάτων ἀφαιρέεται. Sapientiæ cognitionem Medicinæ sororem ac familiarem esse duco. Sapientia siquidem animi perturbationes tollit: ac Medicina corporum morbos pellit.* Quæ gemina cum iis sunt, quæ tertio Tusculanarum disputationum TVLLIVS præfatur; quæque infra Hippocrates in Democriti ore; artem hanc mortalium vitæ necessariam

partim

partim inuidia, partim ἀχαριςίας vitio damnari. Depingitur porro Democritus à Coo, sub ampla, ramosa, atque humili platano lapideæ insidens exedræ: breui tunica substrictus, pallens ac macilentus: horridis capillis, promissa barba, supremis dumtaxat labris attonsa. Verba adscribo, vncis includens quæ aliter scripta repperi atque Aldus in Epistolarum Græcarum volumine, ac Medici ediderunt, vt cui bono est, componat, atque emendet: Ἔπειτα κατόπιν τῦ πύργυ βωνὸς ἦν τις ὑψηλὸς μακρῆσι καὶ [λασίῃσιν αἰγείροις] ἐπίσκι☉. Ἐνθεν τι [ἑωρᾶτο] τὸ τῦ Δημοκρίτυ καταγώγιον· καὶ αὐτὸς ὁ Δημόκριτ☉ [ἐκάθητο] ὑπό τινι ἀμφιλαφεῖ καὶ χθαμαλῇ πλατανίσῳ, ἐν ἐξωμίδι παχείῃ μῦν☉ [ἀνελειφὼς] ἐπὶ λιθίνῳ θώκῳ, ὠχρακὸς πάνυ, λυπόσαρκ☉, καρειῶν τὰ γένεια. Cornarium hic non satis à libris antiquis, extemporaneum scriptorem, dum nimis properat, adiutum, ἀνήλιπ☉ suppofuisse coniicio, quasi ἀνυπόδετον. ἤλιψ γὰ, τὸ ὑπόδημα, *discalceatus* enim vertit. Aldina editio, ἀνήλιπ☉. Vetus autem liber ἀνήλειφ☉ præfert, quasi *non vnctus*, situ ac squalore horridus, ab ἀλείφω. A. Foësius præstans Medicus typis Wecheli edebat ἀνήνυ⟨τ⟩☉: vt post non longè, καὶ μηδεμιῆς ἕνεκεν ὠφελείας ἀλγέοντας τὺς ἀνηνύτυς μόχθυς. vbi & codex antiquus more Attico legit, ἀνύοντα τὺς ἀνηνύτυς μόχθυς. Post in auaros incurrens Democritus, qui terræ viscera, venasque auri argentique cupiditate rimantur, velut ad lautumias ac metalla damnati,

Effodiant vt opes irritamenta malorum,

Eandem terram, nunc admirantes, nunc contemnendo conculcantes. Verba vt in vetere libro scripta sunt, appendo; vt cum vulgatis, qui volet, comparet. Οἱ ῇ πολλῷ χρόνῳ πάντlω ἄγοντες τὴν ἀνάγκην, ὡς ἐν πατρίδι τῇ κολάσει κατὰ μῦθον. ἄργυρον καὶ χρυσὸν μαςεύοντες ἴχνη κόνεως καὶ ψῆγμα ἐρευνῶντες. ψάμμον ἄλλην ἀλλαχόθεν ἀγείροντες, καὶ τῆς γῆς φλέβας ἐκτέμνοντες ἐς πλυσίην αἰεὶ βωλοτομῦντες ἐκ γῆς μητρὸς, τὴν ῇ μίην γῆν, καὶ τὴν αὐτὴν ἐῦσαν καὶ θαυμάζυσι καὶ πατῦσιν.] Cuius in extremo mirè variat lectio. Aldus Manutius olim excudit: βωλοτομέοντες ἐκ τῆς μητρὸς, τὸ δὲ μίην γῆν. Foesius sic: βωλοτομέοντες ἐκ γῆς τῆς μητρὸς πολεμίην γῆν, καὶ τὴν αὐτὴν ἐῦσαν καὶ θαυμάζοντες πατῦσιν. *Ad opulentiam semper terram matrem tanquam hostilem in glebas proscindunt, quam etiam cum admiratione calcant.* Cornarius ita vertit: *Ad opulentiam semper glebas conflantes ex matre terra hostilem terram (cùm tamen eadem sit) facientes, & hanc admirantes pedibus calcant.* Equidem ex obscuris hæc veluti è quercu exsculpo. *Terræ venas incidentes, ad opes parandas glebas ex illa communi matre assiduè cogentes: cumq; vna illa sit atq; eadem, & admirantur, & conculcant.* Quo fere sensu amicus olim noster Ab. Ortelius vir optimus, & excellens Geographus Orbem terræ indice commonstrans symboli vice vsurpare illud solitus: MENTE MANV ORNO CONTEMNO.

Hippocratis ad Demagetum Epistolæ pars reliqua emendando percurritur.

CAPVT IX.

DE variis hominum studiis Democritus apud Hippocratem differens, ac de vitiis, quibus laxatis nimiùm Rationis habenis mortales indulgent, subiicit: Ἄλλοι σφάζοντες, ἄλλοι θάλποντες ὑπερφορέοντες ἃ ἔχουσι πρὸς τὰς ἐλπιζομένας πράξιας ὁρμώμενοι. Editur vulgò: πρὸς τὰς ὑπερφορίας κλήσιας ὡρμημένοι. Et statim Aldus: οἱ δὲ ἐπαειρόμενοι κενοδοξίῃ. Equidem vna extrita litera emendabam astipulante cod. ἐπαιρόμενοι, pro, *inani gloria elati*, minore vi ac felicius quam Foësius, qui ἐπτοημένοι, *attoniti* supposuit. Concludit infra Risus causam: Τὰς ἀναξίας οὖν καὶ δυσήνους ψυχὰς (repono σπουδὰς) τοιαύτας ὁρῶντες καὶ τοσαύτας, πῶς μὴ χλευάσωμεν τὸν ἀκρασίην ἔχοντα βίον αὐτέων; *Cum igitur tot tantaq; indigna ac misera mortalium studia nobiscum expendimus, quid ni vel effuso risu subsannemus, insectemurq;?* Pòst non longè: ὅτι πολλοὶ τὰ τῆς αἰσχύνης ἐν ἑωυτοῖς ἔχοντες ἄνδρες πόντες ἐχθαίρουσι τὸ κρεῖσσον. Sic malo è vetere libro, quam quod Foesius & Aldi codex præfert καθαίρουσι. Sic supra paulò pro ἐχθέρουσι τὸ εὐεργετήσοντα, vt Aldina habet editio, rescribo ἐχθαίρουσι τὸν εὐεργετήσοντα, *bene-merentem oderunt*. Finem hic facio, si extrema excussero: in quibus etiam Medici docti interpretes, conati quidem sunt morbo deprehenso opem adferre Pæoniam, sed non quantum voluerunt sunt assecuti. Tentemus (quid enim vetat?) si fortè glandem decutiamus, dum alii ex hortis bonis tempestiuitate quadam meliora producant. Locus enim mihi quidem propè deploratus videtur, cuius sensum citius assequar, quàm adferre medicinam queam. Scriptam lectionem appono ab Aldina editione diuersam: οὐκ ἄπειρος οὐ τῶν τοιούτων λεσχέων πάντα σαφέως εἰδὼς ἐν δὲ ἀναξιοπαθείῃσί σε πολλάκις γεννηθέντα, καὶ δι' οὐσίην καὶ βασκανίην φιλοτωθεῦσαν. Ἀτρεκέης γὰρ οὐδεμιῆς γνῶσις, οὔτε μαρτυρίη. *Non expers ac rudis talium nugarum, nihil ambigo quin & tu quoque, mi Hippocrates, in has, te tamen indignas, incideris affectiones, & conuicia. Et iam pridem malè audieris, cum propter luculentas tuas diuitias, tum propter aliorum inuidiam. Veritatis enim nulla neque cognitio hodie, neque testificatio est*: Illud tamen, ne quid dissimulem, φιλοτωθεῦσαν adhuc de mendo suspectum occurrit. Doctus sanè interpres Gallus, sic reddit; *Neque tu huiusmodi contumelias non expertus es: cum probe sciam, hæc quæ in memorabilibus affectionibus fiunt te per causam aut inuidiam nunquam libenter conuitiis insectatum*. Euasi tandem ad veram lectionem, nuper nactus editionem Fragmentorum veterum Philosophorum ab H. Stephano adornatam, & Epistolarum Græcarum per Eilhardum Lubinum hoc sæculo euulgatam, qui βασκανίην φιλοτωθάζουσαν, hoc est, *inuidiam conuitiis gaudentem* conuertit, redditque ita locum: *Harum calumniarum cum ignarus non sim, certo hoc scio te inuito tædia sæpè incidere, & propter opes tuas, & propter inuidiam quæ conuitiis gaudet.*

gaudet. Veritatis enim nulla cognitio, neque testimonium. Eant nunc ignaui illi, qui Græcas literas discendas esse negant, & interpretibus suis fidendum falso iactant: nisi si Hippocratem & Galenum in medica, quam profitentur, arte, attingendos esse ferrea fronte negare audeant.

Medici præmiis honorandi. Honor *pro mercede interdum, vt Græcis γέρας. Cur curatis iam corporibus ingratos plerumque experiantur ægros Medici, vt magistri discipulos, consentiens Democriti & Hippocratis sententia.*

CAPVT X.

MEDICOS ægris adhibendos, honoremque eis habendum, hoc est, vt equidem interpretor, præmiis afficiendos, Syracides docet Ecclesiastici XXXVIII. v. 1. Sic enim B. Hieronymus Epist. ad Gerontiam, & Commentario in cap. XV. Matthæi *Honorem* pro mercede, vt Græcis γέρας, variis S. Scripturæ locis exponit. TVLLIVS quoque noster Tironi liberto suo, qui iam Patris à graui morbo recreatus erat: *Curio*, inquit, *misi vt medico honos haberetur.* Contra quoque pro ὄνειδος *iniuria* obseruat Agellius lib. XII. Noctium cap. IX. & Muretus lib. VI. Variar. cap. 18. vt vtroque versum dicebant, *Dolum, Facinus, Valetudinem*, reliqua. Vetus autem est, fuitque semper de ægrotorum, vbi confirmata valetudine conualuerint, ingrato animo & iusta querimonia; salutis causas variis variè adscribentibus, vt & Democritus Hippocrati miseratus coram affirmabat Epistola illa bene longa ad Demagetum, & hic vicissim per Epistolam expostulat. Verba vtriusque ob venustatem appingere non pigebit. Sic enim Democritus apud Coum medicum, vt quidem in perueteri codice scriptum vidimus, aliter atque Aldina præfert editio: ἤκουσα γὰρ ἀπὸ νοσέων ὡς σαφῶς λωβᾶσθαί σου πολλὰ τῆς ἐπιστήμης ἢ διὰ φθόνον ἢ δι᾽ ἀχρηστίην. (Rectiùs autem vetus liber ac Budæus legunt ἤκουσα γὰρ ἀπὸ νοσούντων σαφέως, λωβάζεσθαί σου τὰ πολλὰ τῆς ἐπιστήμης, ἢ διὰ φθόνον, ἢ δι᾽ ἀχαριστίην) οἵ τε γὰρ νοσέοντες ἅμα τῷ σώζεσθαι τὴν αἰτίην, ἢ θεοῖς, ἢ τύχῃ προσνέμουσι. πολλοὶ δὲ τῇ ἰδίᾳ φύσει προσάψαντες ἐχθαίρουσι τὸν εὐεργετήσαντα: μικροῦ δεῖν προσαγανακτεύοντες εἰ νομίζονται χρεωφιλέται. Reddam vt potero: *Audiui ab ipsis ægrotis, siue ob inuidentiam, siue ob ingrati crimen animi artem tuam probro affici. Simul enim pristinæ sunt restituti incolumitati, iam vel Diis, vel Fortunæ adscribunt: pleriq; etiam Naturæ suæ benignitati ac præstantiæ acceptum referentes, omni ope de se meritum Medicum oderunt, parumq; abest quin indignentur si eis gratiam debeant.* Hippocrates verò his germana Democrito scripserat. Ἰητρικῆς τέχνης κατορθώματα μὲν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων οὐ προσποιέουσιν ἐπαινοῦσιν· θεοῖς καὶ πολλάκις

προσ-

προσεμπρτῶσιν. ἢν δέ τι ἡ φύσις ἀντιπράξασα ἀπολέσῃ τὸν θεραπευόμενον, ἰητροὺς κατὰ μέμφονται, παρέντες τὸ θεῖον. καὶ ἔγωγε δοκέω πλείονα μεμψιμοιρίην, ἢ τιμὴν κεκληρῶσθαι τὴν τέχνην: *In arte Medica quæ rectè fiunt plerumq. quidem hominum vulgus non admodum laudat, sæpè vero Diis attribuit. At si in aliquo repugnans natura eum qui curatur interemerit, numen prætermittens Medicos incusat. Et ego sane plus reprehensionis quam honoris ex arte mihi consecutus videor.* Sic ille. Diis autem superstitione quadam olim attributa medicamenta, artemque adeo ipsam Phœbo vt inuentori datam ecquis ignorat? ecquis ambigit?

Inuentum medicina meum est——

canit Poeta. Æsculapio quoque tributæ medicationes. Hinc CICERO familiari suo gratulabundus: *Ita sum*, inquit, *leuatus morbo vt Deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur.*

CICERONIS *liber I. Tuscul. Quæstionum illustratur & emendatur, Plutarchus item correctus.*

CAPVT XI.

TVSCVLANAS Quæstiones lego sanè perlibenter, vt Christiano homine non indigna continentes, vt & idonea satis causa sit visa, cur huic quoque scriptioni parem ferè titulum *Tullianarum Lectionum* extorserint: & cur in partes sæpius aduocentur. Nactus enim olim Toleti Carpetanorum ex archiuis opimæ Ecclesiæ longè antiquissimum codicem literis Longobardicis, sed fideliter exaratum, studiose inspexi, dum Græcas ibi literas auspiciis Cardin. & Archiepisc. Quirogæ publicè interpretarer. Sub finem autem libri primi de Mida sic ait: *Non nasci homini longè optimum esse, proximum autem quam primum mori;* Ex Posidippi Epigrammate depromtum.

Ἦν ἄρα τῶν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις. ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Quos versus Ausonius Gallus ita conuertit:

Optima Graiorum sententia, quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut citò morte potiri.

Et Plinius libri VII. Nat. Hist. procemio. *Itaq. multi exstitere, qui non nasci optimum censerent, aut quàm ocyssime aboleri.* Plura de his in antiquorum Græcorum Epistolis occurrent. Post paullò agens Orator de Crantoris Philosophi Academici Consolatione, ait Termanæum quendam Elcusium, cum grauiter mortem filii mœreret, venisse in Sycomantium, quærentem, quæ fuisset tantæ calamitatis causa, taleisque ei versiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus errant,

Euchi-

Euchinous potitur Fatorum munere læto:
Sic fuit vtilius finiri ipsiq; tibiq;.

Illud in primis notandum non *Termanæum*, vt vulgò editur, sed *Terinæum* rescribendum, à *Terina* Siciliæ vrbe, cuius & Stephanus Byzantius meminit. Comprobatur id Plutarchi auctoritate, qui & ipse in Consolatione ad Apollonium: εἶναι μὲν γὰρ αὐτὸν Ἠλισίου πατρὸς Τερινάιου τῶν ἐκεῖ πρώτου ἀρετῆς πλούτῳ καὶ δόξῃ. Legendum quoque *Elisium* hinc, non *Eleusium*, discas. Scriptum quoque vitiosè circumferri *Sycomantium*: pro quo *Psychomantium*, id est, mortuorum oraculum reponendum ex eo ipso Plutarchi loco: ἀπορῶντα ὅ, τι τῷ τρόπῳ γένοιτο, λάβοι τούτων ἀφίκεσθαι ἐπί τι ψυχομαντεῖον. Notandum vicissim è CICERONIS supra allatis versibus, corruptè apud Plutarchum legi tres hos oraculi versus, quod & Pet. Victorium, cætera hoc loco diligentissimum, fugisse video:

Ηρου νήπιε ἠλίθιοι φρένες ἀνδρῶν
Εὐθύνοος κεῖται μοιριδίῳ θανάτῳ.
Ην γὰρ ζώειν καλὸν αὐτῷ οὔτι γονεῦσιν.

Cum legendum sit ἦεροι: & pro νήπιε, νήπιοι. & finali carmine pro γονεῦσιν γονεῦσι reponendum Tulliani versus ostendant. Germanum vero nuperum interpretem postea sic tentasse deprehendi:

Ηπου ἔασιν νήπιαι ἠλύσιε φρένες ἀνδρῶν.

Quin etiam *Euthynoon* lego in versibus illis non Euchinoum: item non vocari *Menecheum* Creontis filium, qui pro Thebis mortem oppetiit, sed Menoxium, vt Euripides & Sophocles tradunt, hinc disco: Quæ post magnos illos rei literariæ viros delibasse sufficiat. Alii maiora, me etiam applaudente, adferent.

Gladius furiosi. Migrare iura communia. CICERO *in Officiis castigatus.*

CAPVT XII.

LIB. I. Officiorum: *Incidunt sæpè tempora, cùm ea, quæ maximè videntur digna esse iusto homine, eoq;, quem virum bonum dicimus commutantur, fiuntq; contraria, vt non reddere depositum etiamne furioso: promissa non facere, quæq; pertinent ad veritatem & ad fidem, ea negare interdum & non seruare sit iustum.* Carolus Langius, Belga doctissimus, eumque his libris per omnia secutus Lambinus *ne furioso* furcis eiiciunt. Quod verò Manutius in omnibus suis veteribus esse affirmet, retinendum puto, tametsi audacter nimis Lambinus, solemni more, *reclamantibus*, vt ait, *& inuitis libris omnibus* loco mouendum censeat. Fr. Hotmanus legebat: *vt reddere depositum, non etiam furioso*, lib. II. Obseruation. cap. 22. Vidi qui legerent interrogationis addita nota *etiamne furioso*? at nihil subiicit quo respondeat.

deat. Aldus ad hunc locum sic habet. Illud etiam *ne furioso*, licet apertè corruptum, mutare tamen non audeo, opem libri veteris expectabo. Nam mei omnes consentiunt cum expressa lectione, vno excepto, in quo pro *furioso*, *furiose* legitur. Interea placet relinquere in quo aliorum exerceantur ingenia. Confecta, Manuti, res est mea quidem sententia, si reponas *gladium furioso* ex obscuris illis locum turbantibus vestigiis *etiamne furioso*. Perspicuè enim libro III. ait; quem locum huic geminum esse qui neget, næ ille in hisce interioribus literis hospes peregrinusque sit: *Ergo & promissa non facienda nonnunquam, neque semper deposita reddenda sunt. Si gladium quis apud te sana mentis deposuerit, repetat insaniens; reddere peccatum sit; non reddere officium.* Quod autem *ea migrare*, non vt vulgò editur *negare* pro transilite idem Langius reposuit, rectè factum arbitror: ibidemque Hotmanus asserit. Sic enim Cic. III. de Legibus: *Quod quis earum rerum migrasset noxa pœna par esto*, & I. de Diuinat. *ne communia iura migrare videatur.* Ita enim non *communi iure* legendum monuit doctissimus Turnebus: Itemque III. de Finibus: *Qui id conseruaret, eum iustum; qui migraret, iniustum fore.* Sic *emigrare*, pro egredi, Titinnius apud Nonium:

——Quot pestes & iurgia
Se meis ædibus emigrarunt?

Dignitas & honestas. CICERO II. *Tusculana contra aliorum sententiam sæpius emendatus.*

CAPVT XIII.

M. TVLLIVS *Adolescentem*, quem in Tusculanis Quæstionibus loquentem inducit, non *Atticum* vt Lactantio visum lib. I. Institut. diuin. vel *Auditorem*, vt alii crediderunt, quo falsum de tolerando dolore, summo, vt ipsi quidem videbatur, malorum omnium, errorem eriperet, sic interrogat: *Num fortem virum, num magno animo, num patientem, num grauem, num humana contemnentem potes dicere, aut Philoctetam illum (quàm te enim malo dicere, sed ille certe non fortis)*

——Qui iacet in lectulo humido
Qui eiulatu, questu, gemitu, fremitibus
Resonando, multum flebiles voces refert.

Sic vulgati, corruptè sane. Octauius Panagathus Italiæ, dum vixit, oraculum, audacter interpolabat: *Aut Philoctetam illum, aut me malo dicere de illo M. certe fortis, qui iacet in lectulo humido.* Lambinus verò qui in CICERONE, atque adeo Poetis Q. Flacco T. Lucretio, ac M. Plauto emendandis studii multum operæque contulit, sic edendum curauit: *haud Prometheum aut Philoctetam illum. Illos enim quam te malo dicere, sed ille certe non fortis.* Atqui non ille satis, vt opinor, lo-

nor, locum instaurauit, ac ne Paullus quidem Manutius, parenthesi hæc inclusisse contentus. Facio equidem libenter, vt librorum veterum fidem, quoad eius à me fieri potest, sequar, qua locum hunc prope depositum sanare conabor. Sic igitur in membranis Longobardicis Toleti à me inspectis, scriptum repperi: *Num humana contemnentem potes dicere Philoctetam illum? At te enim malo discere: sed ille certe non fortis*, vbi pro *aut* legi malim ἐμφαντικῶς *vel*, aut potius sic: *an Philoctetam illum?* Reponatur itaque *discere*, non vt passim editur *dicere*: quod etiam in editis antiquitus occurrit, vt infra lib. V. Tuscul. *Sed à te impetrare libenter velim*. Quod autem Manutius in vno Maffei cod. scriptum testatur: *Aut Prometheum aut Philoctetam*, vereor vt probum sit, & ab hæsitante potius librario adscriptum videatur. Itemque *Multas flebiles voces refert*, eædem membranæ præferebant. Reliqua verò de vetere Poeta hic à CICERONE, aut certe extremo libro II. de Finibus bonorum & malorum detorta, & sensui apta obseruaui: *Turpe*, inquit, *putandum est non dico dolere, nam id quidem est interdum necesse, sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetæo funestare*:

Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus.

Vt saxum illud: *flebiles voces referre*, non secus atque imago vocis solet, quam Græci ἠχῶ nominant, pronuntiet. Sic in Orat. pro Archia: *Saxa & solitudines voci respondeant*. Et Horatius Sermonum Sat. IV.

Sinuè locus vocis resonat conclusus.——

Ex illo CICERONIS loco, & supra ita legendum: *Sagitta è viperino morsu vena viscerum veneno imbuta tetros cruciatus cient. Itaque, &c.* Quomodo in eisdem schedis scriptum repperi, non *cierent*.

Paullò antè: *Tum dignitas, tum decus aderit*, amplius est in libris duobus calamo exaratis; *Tum honestas, tum dignitas tum decus aderit*: quod amplector. Coniungit hæc enim sæpenumero TVLLIVS, vt sup. ostendimus in *Dignitate* & *venustate* lib. I. cap. 9. Non longè abiero, hoc ipso libro statim: *Nihil enim habet natura præstantius, nihil quod magis expetat, quàm honestatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus*. Et in Muræniana: *Summa est in vtroque honestas, summa dignitas*.

Infrà est: *Ferri non potest: natura non patitur*; duo codices antiqui: *Fieri non potest*, sed causæ nihil est vulgatam cur reiiciam.

Pòst: *Illud homini longè optimum esse, quod ipsum si optimum per se, à virtute profectum, vel in ipsa virtute situm, sua sponte laudabile: quod quidem citius dixerim solum quam summum bonum*. Laudo scriptam lectionem: *Quod quidem citius dixerim solum quàm non summum bonum*. Ita ferè lib. II. Finium: *Atque hæc contra Aristippum, qui eam voluptatem non modo summam, sed solam etiam dicit*.

Mox rursum CICERO: *Ergo hos quidem vt famulos vinculis à custodia arceamus: qui autem erunt firmiores, nec tamen robustissimi, hos admonitu simili oportebit, vt*

bonos

bonos milites reuocatos dignitatem tueri. Alter codex vetus, *Vinculis prope ac custodia coerceamus.* Toletanæ tamen membranæ verbo *coerceamus* carebant, & ad sequentia *oportebit dignitatem tueri* referebāt. *Euocatos* autem legendum hic verbo militari nonnulli censuere, quibus nomen non subscribo meum. Cæterum pauca de multis exempla Imperatoriæ huius prudentiæ, qua milites in officio retinentur, & infrequentes ad signa assidui fiunt, Plutarchus in Fabio Maximo, nosterque De Viris illustribus scriptor, cap. XLIII. de Marso quodam & Lucano, suppeditant.

Ennii apud CICERONEM *versus.* Ducere *in Auctionibus vsurpatum.* Magni Dii.

CAPVT XIV.

PYRRHVS gratuito captiuos Romam remittendos ratus hoc eos apud Ennium Elogio ornat:

Quorum virtuti belli fortuna pepercit
Eorundem me libertati parcere certum est:
Dono ducite: doq; volentibus cum magnis Dis.

In posteriore versu ita interpungendum equidem existimo: *dono, ducite:* vt verbum, non nomen sit *dono.* Ducere autem in auctionibus, subhastatione, emptionibusque vsitatam olim formulam fuisse è Iureconsultis notum, cum dicerent *ducas licet,* vnde genus illud loquendi manauit, *Vxorem domum ducere,* & concise *vxorem ducere.* Adhibebatur & in condemnatis & addictis, vt & creditores domum ducerent debitores, qui soluendo æri alieno non essent. Vnde in Legibus XII. Tabularum: AST QVEI ENDO IVS ADDICIT, SECVM DVCITO. Erat & altera bene precantium formula: *Cum magnis Diis.* Et: *Diis volentibus.* Plautus Milite glorioso:

Agite, ite cum Diis beneuolentibus.

Et in Persa:

Sequere hac mea gnata, cum Diis volentibus.

M. Cato lib. de re rustica, cap. XIV. *Cum Diuis volentibus, quod bene eueniat, mando tibi:* Maro I. Æneid.

——ponuntq; ferocia Pœni
Corda volente Deo.——

Magni autem dii sexu diuisi, quasi maiorum gentium, qui cæteris antecellerent, XII. numerabantur: quos Ennius disticho complexus est apud Appuleium de Deo Socratis, & Martianum Capellam lib. de nuptiis Philologiæ:

Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars,

Mercu-

Mercurius, Ioui, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Sic *Ioui Opt. Max.* assessores duodecim attributi, vt censebat antiquitas. Demochares: ὦ Θεόφραστε, Ἀθηναῖοι ἦσαν ἀλλ' οὐχ οἱ δώδεκα θεοὶ οἱ δικάζοντες. Hinc Vitruuius procemio Architecturæ: *Cùm Concilium Cælestium in sedibus immortalitatis eum dedicauisset;* & *Consentes* idcirco appellati, vt tradit Augustinus lib. IV. de ciuitate Dei, Arnobius libr. III. & L. Seneca libr. II. Natural. quæst. cap. XLI. Nec desunt qui per hos *Magnos Deos*, *Penates* & *Lares* intelligant. Virgil. III. Æneid.

——Feror exul in altum
Cum sociis, natoq́, Penatibus, & magnis Dis.

Idem testatur Cassius Hemina, aitque eos appellari μεγάλους, καὶ χρηστοὺς, καὶ δυνατούς. Vnde puto Asconium Pedianum Lares vrbis Romæ, *magnos Deos* interpretari. Macrobius de his & ad Senecam Tragicum Matt. Delrio noster ὁ μακαρίτης plura suggerent, quæ transcribere non libet.

Tres illos Tragœdiæ principes Philosophos fuisse, ex CICERONE *demonstratum, Euripidem Anaxagoræ dogmata tradidisse.*

CAPVT XV.

NON solum Oratorum, sed & Poëtarum optimum quemque è Philosophorum spatiis exstitisse obseruaui. De Tragicis illis Græciæ Trium-viris in præsens ostendam. De ÆSCHYLO sic TVLLIVS lib. II. Tuscul. *Æschylus non Poeta tantum, sed etiam Pythagoreus: sic enim accepimus.* Cui etiam eum esse ab Atheniensibus tributum honorem memoriæ est proditum, vt vnius ex omnibus Tragicis fabulæ ipso etiam mortuo decreto publico docerentur. Sophocles verò qui μελίττης Ἀττικῆς nomen inuenit, quo sapientiæ doctore sit vsus adhuc quærimus. Illud tantum adiungatur, quòd Aristoteles ait, αὐτὸν αὖ εἶναι μιμητὴν Ὁμήρου, qui Homerus Philosophorum & Poëtarum prope Deus, ac parens est habitus. Hinc *Tragicorum Homerum* Polemon Sophoclem appellabat. De quo & illud Epigramma scriptum, quô respexerit & Demosthenes:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης.

De EVRIPIDE vero, vnde potissimum nobis hæc nata obseruatio, id extra omnem controuersiam est, Anaxagoram assiduè audiuisse, teste eodem TVLLIO Tuscul. III. & Vitruuio lib. VIII. cap. I. cuius doctoris casu territum (quòd Philosophiæ causa capitis arcesseretur, dum solem candentem esse laminam diceret) à Philosophia desciuisse Euripidem ad Musas referunt. Tragœdiæ tamen eius præceptoris doctrinam sapiunt. Sunt enim in eo omnia argutiora quam in cæteris, Philosophicisque & acutè inuentis sententiis, vt iure

optimo ſingulos verſus ſingulas eſſe gnomas CICERO ad Tironem iudicarit. Vtque in Athenæo lib. VIII. Δειπνοσοφιστῶν, σοφὸς Σοφοκλῆς, ſic & σχολικὸς φιλόσοφος ab Athenienſibus appellatus eſt Euripides, etiam apud Clementem lib. V. Stromat. & Origenem lib. IV. contra Celſum: ἀλλὰ καὶ ὁ κατά τινας σκηνικὸς φιλόσοφος καὶ φυσιολογίας τῆς Ἀναξαγόρου γενόμενος ἀκροατής. Ibidemque lib. VII. pag. 345. & apud Suidam. Refert quoque Plutarchus in extremo Nicia, Athenienſes in Sicilia captos qui γνώμας illius & ῥήσεις recitare noſſent, hoc quaſi redemtionis pretio liberatos fuiſſe, cùm Euripidia publicè Athenienſes docerentur. Inter cætera verò Anaxagoræ dogmata, hæc in Euripide obſeruaſſe memini. Primum cum de cœlo lapis cecidiſſet, & lapideum cœlum Anaxagoras aſſeruiſſet, hinc Euripidem in Phaëtonte fabula dixiſſe χρυσέαν βῶλον εἰπεῖν τὸν ἥλιον, teſte Laërtio. Alterum περὶ τῆς ὁμοιομερείας. Sic enim materiam infinitam, ex qua omnia gignerentur, appellabat, eiuſque particulas eſſe ſimiles inter ſe & minutas, primo confuſas, poſtea in ordinem adductas à mente diuina, vt in Lucullo CICERO ait. Hoc namque modo librum ſuum orſum Anaxagoram idem docuit Laertius, & Plutarchus I. de placitis Philoſoph. cap. III. ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν· νοῦς δ' αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε. De quo T. Lucretius lib. I.

Principium rerum quam dicit ὁμοιομέρειαν,
Oſſa videlicet è pauxillis atq; minutis
Oſſibu'; ſic & de pauxillis atq; minutis
Viſceribus viſcus gigni ſanguenq; creari,
Sanguinis inter ſe multis coeuntibu' guttis.

Contra hoc diſputat Ariſtoteles lib. III. de Cœlo & I. Phyſico, vbi Simplicius hæc decerpſit, & Phyſicorum librorum Anaxagoræ principium aliud paullo refert, quàm Diogenes: Ἀναξαγόρας δὲ ἐκ τινος μίγματος ἄπειρα τῷ πλήθει ὁμοιομερεῖ ἀποκρίνεσθαί φησι, πάντων μὲν ἐν παντὶ ἐνόντων, ἑκάστου δὲ κατὰ τὸ ἐπικρατοῦν χαρακτηριζομένου, δηλοῖ διὰ τοῦ πρώτου τῶν φυσικῶν λέγων ἀπ' ἀρχῆς. ὁμοῦ χρήματα πάντα ἦν ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα. καὶ γὰρ τὸ σμικρὸν ἄπειρον ἦν, καὶ πάντων ὁμοῦ ὄντων ἦν ὑπὸ σμικρότητος. Et paullò pòſt: τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων χρὴ δοκεῖν εἶναι πολλά τε καὶ παντοῖα ἐν πᾶσι τοῖς συγκρινομένοις, καὶ σπέρματα πάντων χρημάτων καὶ ἰδέας παντοίας ἔχοντα, καὶ χροιὰς καὶ ἡδονάς, &c. nam de *Mente*, quæ idem colligit interpres tranſſcribere non lubet. Redeo ad Euripidem, qui Anaxagora præceptore capitis damnato ad Socratem ſe in Academiam contulit, non intelligendi modò, ſed & dicendi magiſtrum ea tempeſtate optimum. Ita enim Laertius Diogenes, ἐδόκει συμποιεῖν τῷ Εὐριπίδῃ ὁ Σωκράτης, ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησί:

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου.
Ὧι καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

καὶ πάλιν. Εὐριπίδης Σωκρατογόμφους, καὶ Καλλίας πεδήτης

Ἤδη σὺ σεμνὴ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα;
Ἔξεστι γάρ μοι. Σωκράτης γὰρ αἴτιος.

ἀριστ-

Ἀριστοφάνης Νεφέλαις:

Εὐριπίδης δ᾽ ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
Τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

Ἀκούσας δὲ Ἀναξαγόρου κατά τινας, ἀλλὰ καὶ Σωκράτους, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν διαδοχαῖς. μετὰ τὴν ἐκείνου καταδίκην διήκουσεν Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ, οὗ καὶ παιδικὰ γενέσθαι φησὶν Ἀριστόξενος. Quin etiam hoc ipsum Euripidem satis innuisse constat, cum animi ingenui sit, minimeque angusti agnoscere per quem profeceris. Sic enim in Theseo loquentem nescio quem inducit:

Ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
Εἰς φροντίδας νοῦν συμφοράς τ᾽ ἐβαλλόμην.

Quæ sic M. TVLLIVS reddidit Tuscul. III.

Nam qui hæc audita à docto meminissem viro,
Futuras mecum commentabar miserias.

Et initio Menalippæ lib. II. ἐσχηματισμένων, nisi quòd illic præceptori, hîc verò Philosophiæ parenti optimæ accepta hæc referre videatur:

Καὶ οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ᾽ ἐμῆς μητρὸς πάρα
Ὡς οὐρανὸς χαλατημορφία.

Quem versum alterum, vt id ἐν παρόδῳ admoneam, sic in veteri cod. scriptum vidi:

Ὡς οὐρανός γαῖά τ᾽ ἀμορφία.

Theod. Canterus, homo doctissimus, in Variis lib. II. cap. XV. ex Diodori lib. I. Bibliothecæ sic reposuit:

Ὡς οὐρανὸς γαῖά τ᾽ ἦν μορφὴ μία.

Sententias verò, vt diximus, Tragicus iste sæpè adhibuit, vt testante Tullio Epist. ad Tironem libertum, versus propemodum adæquarint. Hoc amplius, vt in Criticorum reprehensionem, Philosophica toties miscuisse Euripidem in Hecuba potissimum, incurrisse referat Theon Sophista in Progymnasmatis, his verbis: Πρῶτον μὲν Ὅμηρον ἐπαινοῦμεν ὅτι οἰκείους λόγους περιτέθηκεν ἑκάστῳ τῶν εἰσαγομένων προσώπων. τῷ δὲ Εὐριπίδῃ καταμεμφόμεθα, ὅτι παρὰ καιρὸν αὐτῷ Ἑκάβη φιλοσοφεῖ. Huius etiam Medeam in lectica qua gestabatur dum legeret M. TVLLIVS, capite truncatum iussu M. Antonii à Popillio Lænate auctor est Ptolemæus Hephæstion lib. V. variæ historiæ in Photii nostri Bibliotheca pag. Græc. 250. De SOPHOCLE autem vt trium Tragicorum medio, insignem locum Dionis Chrysostomi Orat. LII. qua Philoctetam componit, appingere non pigebit: ὅτι Σοφοκλῆς μέσος ἔοικεν ἀμφοῖν εἶναι. οὔτε τὸ αὔθαδες καὶ ἁπλοῦν τὸ τοῦ Αἰσχύλου ἔχων, οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ καὶ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου· σεμνὴν δέ τινα καὶ μεγαλοπρεπῆ ποίησιν, τραγικώτατα καὶ εὐεπέστατα ἔχουσαν, ὥστε πλείστην εἶναι ἡδονὴν μετὰ ὕψους καὶ σεμνότητος ἐνδείκνυσθαι. τῇ τε διασκευῇ τῶν πραγμάτων ἀρίστη καὶ πιθανωτάτῃ κέχρηται.

CICERONIS *lectio in Epist. ad Famil. retenta atque defensa.*

CAPVT XVI.

MIRVM in modum lacer ac mutilus quorundam audacia iacuit TVLLIVS, cum demendo, addendo, mutando nitorem deformant ac robur ex parte succidunt. Multa equidem ab aliis repudiata retineri posse obseruaui, suumque in locum, *vnde vi eiecta sunt*, reducenda nunc duxi: vt quæ in Epistolis ἀποσχέδην legendo ad oram libri mihi & Musis adnotaram, veluti Satura lance iuuentuti apponam. Ita M. TVLLIVS lib. III. Epist. VI. earum quas ad Familiares dedit, Appio Pulcro; *Ego*, inquit, *in prouinciam veni pridie Kal. Sextiles. Iter in Ciliciam facio per Cappadociam. Castra moui ab Iconio pridie* Kal. *Septembreis.* Hic pro *Septembreis*, Lambinus in prima alteraque editione *sextiles* iterum legi vult, præter historiæ fidem. Pridie enim Kal. Sextiles Laodiceam in Prouinciam venisse se testatur lib. V. ad Atticum, Epist. XV. & XX. & vltima, item alibi. Pridie verò Kal. Septemb. ab Iconio castra CICERO mouit, iterque per Cappadociam in Ciliciam faciens in extrema Cappadocia non longè à Tauro monte iuxta Cybistra oppidum castra posuit, vt hic ait, & Epist. II. & IV. lib. XI. ad Famil. & Epist. V. lib. V. Et ad Atticum lib. V. epist. XVIII.

Sequitur lib. VIII. Epist. X. M. Cælii, cuius sunt omnes illius libri epistolæ: *Illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano, de quo negant Cæsarem laborare, sed Pompeium valde nolle, ne vacuus aduenienti Cæsari pateat.* Sic lib II. Fam. Epist. 16. *Quod tamen fort asse non nollem, si possem ad otium.* Paul. Manutius, cætera optimè de CICERONIS Epistolis meritus, ibi argutatur, vt τὸ *negant* semel negationem, & iterum affirmationem significet. Mihi hic geminata negatio *negant nolle* Latinorum ritu affirmare videtur: quasi dicat Pompeium velle aiunt; Cæsarem verò minime laborare. Aspera hæc & affectata; fateor: sed Cæliana sunt, qui asper & durus est habitus. Seruius verò Sulpicius elegantior paullò scriptor lib. IV. Epist. V. *Neq. imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinæ scientiam; ipsi se curare non possunt.* Lege: *Neque imitare*, pro, *noli imitari.* Nam & hic frustra se torquet Manutius, vt ex *Noli* semel affirmationem, semel negationem contra Latinitatis vsum eliciat. Sed non infrequens antiquis ille ἰδιωτισμός. M. Varro in Bimargo: *Qui non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnes Heroas negat nescisse:* pro sciuisse negat, & lib. II. de vita Pop. Rom. *Qua abstinentia viri mulieresq. Romanæ fuerint, quod à Rege munera eorum nemo noluerit accipere*, pro, *nemo voluerit.* Et C. Lucilius lib. XVII. Satyrarum:

Cætera contemnit, & in vsura omnia ponit
Non magna: proprium vero nil neminem habere.

Et apud

Et apud Tibullum lib. IV. Sulpicia:

Non ego signaui quidquam mandare libellis:
Nec legat id nemo quam meus ante, velim.

Epistola verò XIV. idem Cælius queritur de Appio Claudio Censore, vt & supra Epist. XI. *Persuasum*, inquit, *est ei Censuram tomentum aut vitrum esse*. Pet. Victorius *nitrum* de veteribus libris reposuit, placetque Manutio, non satis hic alias æquo Victorio, & ex Ieremiæ Prophetæ cap. II. v. *22. Si laueris te nitro, &c.* explanat. Quod autem *vitrum*, vt in editis legitur, ab vtroque reiicitur, valde equidem miror, vilis enim res vitrum fractum, quod sulphuratis Iudæorum olim natio, & hodieque Romæ permutare consueuerat. Eius rei testes accipite. Iuuenalem Satyra V.

Quassatum, & rupto poscentem sulphura vitro.

Statium Papinium lib. I. Siluarum de Saturn.

Illic apmina confremunt Syrorum:
Hic plebs scenica: quiq; comminutis
Permutant vitreis gregale sulphur.

Item Val. Martialem lib. I. Epigramm. in Cælium, & lib. X. ad Priscum:

Quæ sulphurato nolit emta ramento
Vitreorum proxeneta fractorum.

In quincta CICERONIS *Tusculana quædam correcta.*

CAPVT XVII.

NON sunt vsquequaque à Lambino ac Franc. Fabricio Belga insigni, Tusculanæ disputationes sic perpurgatæ, nihil vt nostræ industriæ relictum esse videatur, lib. V. qui est de Virtute ac beata vita, hæc notabam: *Sed ab antiqua Philosophia vsq; ad Socratem, qui Archelaum Anaxagoræ discipulum audierat, numeri motusq; tractabantur, & vnde omnia orirentur, quóue recederent: studioseq; ab his siderum magnitudines, interualla, cursus inquirebantur, & cuncta cœlestia.* In vetustissimo quo sum Toleti Carpetanorum vsus libro: *Cursus anquirebantur*, ἀρχαϊκῶς, & *quóue reciderent*: perbellè sanè, hoc est, in quæ ab interitu conuerterentur. Porrò autem: *Quod si est, qui vim Fortunæ, qui omnia humana, quæcumq; accidere possunt, tolerabilia ducere*, rectiùs Longobardicæ membranæ, *quæ cuiquam accidere possunt*. Qualis est ille P. Syri mimus:

Cuiuis potest accidere, quod cuiquam potest.

Mox in CICERONE: *Quod ex maiore parte vnamquamque rem appellari, spectariq; dicunt*, constanter in duobus libris *vnamquamque partem appellari*. Aristotelicum est axioma, in quo tamen nihil demuto, tantum veterem scripturam re-

præſentare placuit. Ita enim paullò antè: *ex maiore parte pleraſque res nominari, etiamſi quæ pars abeſſet.* Rurſum V. de Finibus: *Semper ex eo quod maximas partes continet, latiſſiméque funditur, tota res appellatur.* Mox, *in his tot ac tantis, atq; etiam quæ plura poſſunt accidere.* Lambinus, *ad quæ etiam plura poſſent accedere.* Vetus Codex, ſublato gloſſemate ſic: *atque plura poſſunt accidere.* Infra non longè:

Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum.

Alter codex *attuſa* habet, à tundo: illud tamen verius eſt ex illo.

Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν.

Sed funem reducamus; lib. IV. Tuſcul. Pacuuii Poetæ hos verſus, non CICERONIS (vt Muretus falsò exiſtimat, lib. VIII. Variarum) recitat, quibus liberiùs paullò Euripidis hæc ex Oreſte fabula conuertit: quam cùm Tragicus fabulam doceret, reuocaſſe Socrates ob elegantiam fertur. Græca ſic habent:

Ουκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲν πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος
Ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Pacuuius ita vertebat:

Neq; tam terribilis vlla fando oratio eſt,
Neq; fors, neq; ira cælitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

Epiſtolarum ad Familiares loca, contra Lambini ſententiam.

CAPVT XVIII.

DION. Lambinus lib. XV. Epiſtolam nonam M. Marcello collegæ male inſcripſit. C. enim Marcellus, ne erres mi Lector, CICERONIS in Auguratu Collega fuit, non Marcus, vt paret è lib. I. de Diuinat. & Cariſio Soſipatro, quem editis longè meliorem poſſideo. Rurſum Epiſtola X. malè legit *Coſ. deſignatus.* Iam enim Conſulatum C. Marcellus gerebat, à quo CICERO hîc petit, vt Senatuſconſultum quam-honorificentiſſimum de rebus à ſe in Amano monte geſtis, honoris ſui gratia, faciendum curet.

Rurſum lib. XVI. Epiſt. XXI. *Quid de Bruto dicam?* negat Manutius de M. Bruto, qui bellum ciuile percuſſo Cæſare inſtaurauit in Macedonia, intelligendum. Atqui diſertè hoc Plutarchus commemorat ex his ipſis, vt opinor, CICERONIS literis: nec res eſt à fide aliena, hominem domo profugum, inopem initio & imparatum à pecunia, CICERONIS filio Athenis Atticis Cratip-

Cratippum audienti hæsisse, eique aures Latinè declamitanti dedisse. Sic enim Plutarchus in Bruto: *Diuersatus est apud hospitem quendam suum.*

Quod verò Plut. subiungit leges Epist. ad M. Brutum XIV. XVI. & XVII. qua fert molestè Ciceronem Octauio adulari. Brutum vero frugi seuerumque Cicero F. nominat, vt Stoicum plane, quod ex Paradoxorum initio ad M. Brutum luce meridiana clarius est.

C. *Trebatius & Cn. Matius Epicurei.* Astute cogitare, & agere CICERO *dixit ex Epicureorum sensu.*

CAPVT XIX.

ASTVTE *agere*, pro maleuolè, subdolè, cautè agere vel cogitare, dixisse videtur CICERO. Exempla subiiciam: Lib. II. Epist. XVI. *De Hispania, si casu mihi exploratum est, ita esse vt tu scribis, nec quidquam astute cogito. Si quando erit ciuitas, erit profectò nobis locus*, &c. vbi pro *aliter ac secus cogitare* ex Epicureorum sententia (nisi forte leg. *ac tute* pro quam tu.) Vt & Cn. Matius, Cæsaris familiaris, & Poeta mimicus, Epicureus, ad CICERONEM lib. XI. Epist. XXVIII. *Aiunt patriam amicitiæ præponendam esse; perinde ac si iam euicerint, obitum Cæsaris fuisse Reip. vtilem. Sed non agam astutè: fateor me ad istum gradum sapientiæ non peruenisse.* Et lib. III. Epist. X. ad Appium Pulcrum: *Quod si id est maxime astuti, omnia ad suam vtilitatem referre, quid mihi tandem erit vtilius, quid commodis meis aptius, quàm hominis nobilissimi coniunctio?*

Ibidem Epistola, quæ antecedit, IX. Ἐπικούρειον id vocat, quod hîc *astutias*: quasi astuti homines fuerint, & deceptores & cauillatores Epicurei, suis commodis, voluptatibusque seruientes: *Maximam*, inquit, *lætitiam cepi ex tuis literis, de spe minime dubia, & plane explorata triumphi tui: neque vero ob eam causam, quo ipse facilius consequerer, (nam id quidem Ἐπικούρειον est) sed me Hercle quod tua dignitas atque amplitudo mihi est ipsa cura per se.* Sic enim ad C. Trebatium I. C. Epicureum iam factum, iocatur lib. VII. Epist. XII. *Sed quonam modo Ius ciuile defendas, cùm omnia tua causa facias, non ciuium.* Asturè itaque agere & cogitare, videtur idem esse quod ἐπικουρίζειν, sua causa omnia facere, & commodis suis seruire, omnia voluptate sua metiri. Sic Plautus Truculento, Sc. *Num tibi. callidos* eos vocat, qui sordido student lucro:

Ad suum quemque æquum est quæstum esse callidum. Epicurei autem callidi homines, à CICERONE vocantur *Astuti*, ab ἄστυ, quo Atheniensis significatur ciuitas, vbi docuit Epicurus.

Tuscu-

Tusculana quincta Notis variè percurritur.

CAPVT XX.

QVÆSTIONES Tusculi habitæ sic doctis placent, vt dignæ Christiano homine videantur: quodque de Hortensio Tullii columen Ecclesiæ Augustinus dixit, CHRISTI hic nomen, præterea nihil, desiderari; idem de libris confirmare possum. Placent autem præcipuè summa & ima, hoc est, liber primus, qui est *de contemnenda morte*, & quinctus *de Vita beata* potissimùm differens. In hoc attentè legendo & cum antiquis libris comparando hæc de multis optima, sepofui. Ennii hic de P. Cornelio Scipione occurrit Elogium:

Nemo est qui factis me æquiparare queat.

Prouocabulum *me* afuit rectè à Longobardico codice Toletano, & durius reddit carmen. Subiungit Orator: *Quod si beata vita glorianda est, & prædicanda, & præferenda est*, corrigit hic Lamb. repugnantibus, vt solet, libris omnibus, *quod si est, sola beata vita glorianda & prædicanda.* At mutare quid attinet? ductum enim ab adiunctis argumentum: Si est beata vita glorianda, etiam prædicare eam & ostentare licet. Post statim: *Similémne putas C. Lælii vnum Consulatum?* Duo libri habent *similéne putas*. Et rectiùs infrà: *Sic cùm sapiens & bonus vir, qualis ille fuit, suffragiis præteritur non-populus, &c.* hoc est populus, qui populus non est. Quare necesse non est ἀνακόλουθον ibi cum eodem Dionysio fingere: quamquam in TVLLIO quod infitias ire non possum, occurrat interdum.

Postea; *Sed dicendum illud idem paullo vberius videtur, plena gaudiorum sunt.* E vestigiis veteris scripturæ videor pro meo iure eruere posse, quæ longè concinnior est, lectionem, vt omnia ritè sequantur: *Sed illa (dicendum illud idem paullo vberius videtur) plena gaudiorum sunt.* Supra paullò: *Etenim quæ pars est optima in homine, in ea situm esse necesse est, quod quæris omnium optimum.* Lego de veteri libro: *Quod quæris optimum.* Glossema itaque in insulam deportetur. Infra quoque: *Quod hac disputatione agitamus*, rectiùs *agimus* iidem præferunt libri, vt sacrorum formulam respiciat à Pontifice olim pronuntiari solitam HOC AGE, teste Plut. in Poplicola. Et statim: *Pugnis, calcibus, vnguibus, morsu, denique vt exanimarentur*, Liber vetus, *morsu denique cum exanimarentur.* Et pòst: *Sequitur igitur horum ratione vel ad supplicium beata vita virtutem.* Hic legendum esse *bonorum ratione* & librorum auctoritas, & locus ipse euincit. Vt statim: *Qui eorum bonorum animum*, longè meliùs, quam quod Lambinus mutat, *quin eorum.*

Deinceps: *Quorum magnitudinem breuitate consolatur, longitudinem leuitate.* Malim quod in iisdem membranis Longobardicis legitur, *lenitate.* Vt lenis dolor minimeque grauis diuturno, vt breuis magno, obiiciatur. Horat.

Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem.

Et no-

Et noster lib. IV. harum Quæstionum, alia tamen notione, pro indulgentia atque clementia: *Quam lenitatem nos dicimus, Stoici vitiosè lenitudinis nomine appellant.* Quia tamen lib. II. de Finib. *leuis dolor*, nisi nos fallunt editi libri, *longo* opponitur, ἐπέχω, manumque abstineo. Sic enim: *Iam doloris medicamenta illa Epicurea, tanquam de narthecio promant: si grauis, breuis: si longus, leuis, dictata sunt virtutis, magnitudinis animi.*

Extremo libro de cæcis agens: *Asclepiadem ferunt non ignobilem Eretricum Philosophum, cum quidam quæreret, quid ei cæcitas attulisset; respondisse: vt puero vno esset comitatior.* Sic Lambinus altera editione, in prima enim temere *non ignobilem Medicum & Philosophum.* Teneri tamen non possum, quin & aliorum librorum lectionem adscribam: quidam enim: *non ignobilem nec in exercitum philosophum.* Ego in duobus membraneis scriptum vidi, *non ignobilem nec inexercitatum philosophum.* Quæ lectio præ illa placet, nam *Exercitus* fere in aduersis dicitur. Maro:

——nate Iliacis exercite fatis.

Idemque Pet. Victorio viro doctissimo videbatur. Medicum autem illum ex Oratore, non hic CICERO innuit, Prusiensem, Pompeii æqualem (de quo Plinius refert, reliquis fere sui temporis illum repugnasse, quemque Galenus de Crisibus lib. III. ἕξιν αὐλολογικὴν exercuisse scribit) sed Philiasium illum, qui Menedemo Philosopho tanquam Pylades alter familiarissime sit vsus: dictique ambo primum à Stilpone Eliaci, post à Menedemo Eretrico *Eretrici*, vt nominat M. TVLLIVS III. de Oratore, & Lucullo extremo: vbi tamen Lambinus mutat, nescio qua confidentia, *Eleatici*: cum Græcè sit Ηλιακοὶ, ἀπὸ τῆς πόλεως ἠλείας: vt à Menedemo, quod is ἐρετριεὺς fuerit, *Eretriaci* appellati. Laërtius in Phædone & Menedemo: ὁ μὲν τοι Ἀσκληπιάδης προκατέστρεψεν ἐν Ἐρετρίᾳ γηραιὸς ἤδη συζήσας τῷ Μενεδήμῳ σφόδρα ἐντελῶς ἀπὸ μεγάλων.

Vitilitigatores *apud Plinium. M. Cælii apud* CICERONEM *locus expensus. Antiquitatis nimium studiosi.*

CAPVT XXI.

M. Cælius lib. VIII. Epist. V. ad CICERONEM: *Si quid noui de Rep. quod tibi scriberem haberem, vsus essem mea consuetudine & diligentia, & quid actum esset, & quid ex eo futurum sperarem, perscriberem. Sanè tamquam in quodam in Cilicia omnia adhæscrunt.* Scio summum Criticum lib. XII. Aduersariorum cap. XVII. tentasse hic *in quodam tamquam cilicio*, è vestigiis codicis Medicæi, è quibus Victorius ingenuè fassus est, cùm nihil eruere posset, aliis se lampada, qui aut ab ingenio essent, aut à libris paratiores, tradere. P. Manutius, in cuius hic sententiam Lamb. concessit, legebat *in quodam incili iam omnia adhæserunt. Incilia* Festo

Pompeio & Vlpiano lib. XLIII. Pandect. Tit. de aqua quotid. cap. I. fossæ sunt, quæ in viis fiunt ad aquam deriuandam, siue deriuationes de riuo communi factæ: vt ab *inciendo encilia* vocent. Ingeniosa sane vtraque coniectura, quis neget? sed fortasse coactior est, & à re, qua de agitur, alienior. Octauius Panagathus, quem honoris gratia libenter appello, leg. putabat *tamquam in quodam vecta lintre omnia adhæserunt.* Si fas est quarto pedatu post tot, tantosque viros sententiam dicere, ex hisce antiquæ scripturæ vestigiis codicis Maffeiorum, *in quodam victilica omnia adhæserunt*, commodius legi & elici posse arbitror: *in quodam fictili ea omnia adhæserunt.* Fictilia enim vasa, vt Flaccus ait, odorem semel imbuta retinent. Vel forte *fictili-lucra* vna voce dixit Cælius. Sic hac & proxima Ep. quibus Cic. respondet lib. II. Epist. 13. Amicus quidam eruditus sic: *tamquam in quodam iustitio, vel interstitio.* Malim tamen, vt dicam ingenuè, reponi *tamquam in quodam vitilitigio.* Cuius meæ coniecturæ hanc rationem reddo. Primò, sordes verborum in M. Cælio notari, orationemque antiquariam nimis illius fuisse, auctor est M. Fabius ac Tacitus in Dialogo de Oratoribus; nisi is, vt equidem sentio, Quinctiliani est potiùs. Deinde M. Catonem priscarum vocum, eiusque æmulum C. Sallustium, affectatorem *vitilitigationis* vocem vsurpasse fortè & excogitasse: vt Terentius *obsequium* primus dixit, & alii alia vocabula confinxere, quæ & vtroque genere dicebant, neutro ac femineo sexu, vt *obsidium* & *obsidio* : *Exercitatio* & *exercitium*, sic & *vitilitigium* forsitan & *vitilitigatio*, pro vitiosa lite, calumnia, & alienarum rerum anxia cura, quam πολυπραγμοσύνην Græci nominant: quale studium est rabularum forensium, lites è litibus serentium. C. Plinius præfat. ad Vespas. Aug. *Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato eleganter ex vitiis & litigatoribus composuit. Quid enim illi aliud quàm litigant, aut litem quærunt?* Denique, diuinare enim quid vetat? verborum hic innouator priscorum scripsit fortasse *fictili lucra omnia adhæserunt*: qua forma ac fictione proxima epistola dixisse videatur: *Hic nos omnes absoluimus, &, Hercules, confecta omnia fœda, & inhonesta sunt.* Sed quis sic, amabo, loquitur? certè Cælius, non ipse TVLLIVS.

CICERO *Tusculana tertia sæpius emendatus.*
CAPVT XXII.

TVSCVLANÆ M. TVLLII disputationes sese mihi iam inde à puero probarunt: quòd multa in iis doctrina, & quidem à Christiana religione non abhorrens. Quare nondum pœnitet me operæ in comparatione cum antiquissimo codice Longobardicis literis exarato Toleti positæ. Quin potiùs eum laborem ad plures manare volo, & quidem post Dionysii Lambini diligentiam. *Iam sit vt animus de se ipse tum iudicet, cùm id ipsum quod iudicat, ægrotet.* Lambinus *quo iudicatur* reposuit. Malo veterem scripturam *quo iudicat.*

Mox

Mox de Gloria: *Ea est consentiens laus bonorum incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. Ea virtuti resonat, tanquam imago gloria.* Turnebus hanc lectionem tuetur; Lambinus de suo mutat, *tanquam imago voci*, vt tamen dubitet vtrum sequatur. Certè in vet. Cod. est *gloria*. Tentabam igitur parua commutatione: *Ea virtuti resonat; tanquam imago, gloria.* Vt ἐμφατικῶς repetat prouocabulum *ea*, vel ex ora irrepserit *gloria*. Sic lib. I. *Virtutem gloria tamquam vmbra sequitur.* Et Philipp. I. *Est autem gloria laus rectè factorum, magnorumq́ in Repub. meritorum*; vbi miror F.e num maluisse: *in remp. fama meritorum.*

Pòst: *insaniam enim censuerunt, id est, inconstantiam sanitate vacantem.* Vet. Cod. *stultitiam enim censuerunt inconstantiam idem* (fortè *item* vel *id est*) *sanitate vacantem.* Sic sup. paullo ex dem schedæ: *Cùm verò parentibus redditi, id est, magistris traditi sumus*, melius, ni fallor, præferunt, *demum magistris traditi sumus.*

Terentii Comici versum ex Phormione:

Communia esse hæc, fieri posse, vt ne quid animo sit nouum.

Credo CICERONEM aliter ea tempestate legisse. Sic enim in membranis reperi, aliter atque in vulgatis Comici exemplis circumferuntur:

Communia esse hæc: nequid hórum vnquam accidat animo nouum.

Pòst non longè admodum: *Et hoc ille Graculus me audiente Athenis senex Zeno.* Sic liber meus. Turnebus tamen *acriculus* ab *acri* [illegible] Pet. Victorius ἀκρίχολος reponebant. Sed non fit mihi verisimile Græco hic nomine vsum CICERONEM. Non placet coniectura Victoriana, quam & auctori ipsi postea displicuisse audio. Lambinus animi incertus, quò inclinet, ignorat. *Graculus* aliquando tentaram, & fortasse non præter rem. Zeno enim, qui, vt Atlas cœlum, fulcire illam porticum putabatur, & omnes Stoici in vocibus cudendis excutiendisque ingenium ad reprehensionem vsque exercuerunt. Non longè abiero, inf. lib. V. *Zeno*, inquit *Cittieus aduena quidam & ignobilis verborum opifex, insinuasse se in antiquam philosophiam videtur.* Et lib. IV. de Finib. ad Catonem Stoicum: *Tuus ille Pœnulus* (alii *Zenulus*.) *Scis enim Cittiaos clientes tuos è Phœnicia profectos. Pœnulum* appellat quasi vafrum, & callidum, & *Cittiai* à Phœnicibus vt & Pœni, oriundi teste Laërtio in Zenone. Cui & à Polemone exprobratum legimus: ἐυ λανθάνεις, ὦ Ζήνων, ταῖς κηπαίαις παρεισρέων θύραις, καὶ τὰ δόγματα κλέπτων φοινικικῶς μεταμφιεννύς. Valdè vt mirer vulgatam illam lectionem hic amplexum Guil. Morelliū, hominem cæteroquin doctiss. *Scis enim citius clientes tuos.*

Mox paullò pòst: *Præsertim, si & ante præceptis bonis contentus esset, nec mortem, nec Deos extimesceret.* Addidi quod ab editis exsulat, *nec mortem*, erat enim in membranis. Et verò M. TVLLIVS in disputatione pridie habita auditori mortem esse contemnendam, vi veritatis extorserat.

Statim: *Quid petam præsidii, aut exsequar? quidve nunc exsilio aut fuga freta sim?* Vetus cod. *quóve nunc auxilio exsilij aut fuga.* Sed productior esset versus: nisi fortè *quóve nunc exsilio aut fuga* scripsit poeta ille ἄδηλος; vel potius:

Vu 2 Qua

Quanunc exsilii fuga freta sim? Sic enim sup.
Aut mortem acerbam aut exsilii mæstam fugam,
Aut semper aliquam molem meditabar mali.

Quæ ex illo Euripidis CICERO conuertit:
φυγάς τ' ἐμαυτῷ προστιθεὶς πάτρης ἐμῆς,
θανάτους τ' ἀώρους, καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς.

Infrà: *Ego sum is qui dicam me non laborare: actum habiturum quod egerint.* Sic in vulgatis. Dionysius ille tanquam impetiosus ædilis de plano pronuntiat: *Emendo libris omnibus inuitis, Ratum habiturum, nec enim alterum Latinum est.* O criticum audacem & confidentem! Ego videor ex antiquis membranis veram lectionem posse exsculpere, vna litera extrita, *actum abiturum quod egerint.* Ait CICERO, quidquid molientur finem esse habiturum. Nam & ipse lib. V. Finium: *Hoc fortasse non poterat sic abire.* Et Catullus ad Caluum: *Non non hoc tibi falsè sic abibit.* Et quem sibi legendo familiarem CICERO effecerat, Terentius Eunucho: *Mirabar, hoc si sic abiret.* Et, *Credin' te impune abiturum?* vbi tamen libri quidam *habiturum* præferunt, vt alibi: *Siquidem istuc impunè habueris.* Deinde:

Nimis iracundè agunt, præsertim cùm ab his non sanè animosè defendatur sententia. Lego de vetere libro, claro sensu *non sanè animosa.* Qui enim iracundè, vt Epicurei solent, disputant, animosè quidem, at illa de corporis voluptatibus non satis illorum animosa, nec viro digna sententia est.

Infrà: *Græci in singulas scholas, & in libros singulos dispertiunt. Opus enim quærunt: quamquam planè disputationis sunt, delectationis.* Turnebus & Lambinus reponunt, *quamquam plenæ disputationes delectationis sunt.* Quorum illo facio, vt debeo, pluris omnium hominum neminem; vincat tamen, cuius nos studio capi conuenit, veritas. Alter cod. meus: *quamquam plena disputationis delectationes sunt.* Alter: *plena disputationis, delectationis sunt.* Licet, inquit plenam disputationem scholæ illæ contineant, delectant nihilominus. Sic lib. V. *Parumne cognitum est superioribus nostris disputationibus, an delectationis & otii consumendi causa locuti sumus, &c.*

Extremo libro: *Hæ sunt illæ fibræ stirpium, quas initio dixi, persequendæ, & omnes elidendæ, ne vlla vnquam possit consistere.* Lambinus coniicit *persecandæ*, vt nihil intentatum relinquat bonus vir, vbi acumen illud εὐστοχίας experiatur, vt ex mustaceo laureolam colligat. Nos solemne illud seruemus, vt vulgatam, quà potest, tueamur, cùm vett. codd. auctoritate, quæ, vt esse debet, sacrosancta est apud me, tum eiusdem TVLLII gladio, & Maronis. Sic enim ille lib. proximo: *Sunt omnia ista ex errorum orta radicibus: quæ euellenda & extrahenda penitus, non circumcidenda, nec amputanda sunt.* Et Virgil. II. Georg. v. 405.

Iam tum acer, &c. Et Persius Sat. V.
Disce, sed ira cadat naso, rugosaq; sanna
Cùm veteres auias tibi de pulmone reuello.

ANDR.



ANDR. SCHOTTI
NODORVM CICERONIAN.
LIBER III.

Perditum ire, comparare se. CICERONIS *Epistolæ aliquot glossis sublatis emaculatæ.*

CAPVT I.



TVLLIANAS Epistolas magno fructu terit iuuentus, nec, si me audiet, de manibus deponet, vt sensa mentis amico exponere Latinè possit, nomenque paret, & amicos inueniat. Agedum, medicinam, si possumus, locis deprauatis adhibeamus. Lib. VII. Epist. 5. C. Trebatium Iureconsultum C. Cæsari Proconsuli de meliore nota commendans, ad cæteras, quas in eo laudat virtutes: *accedit*, inquit, *quod familiam ducit, in Iure ciuili singularis memoria, summa scientia.* Rectè & acutè vidit Pet. Victorius sic legendum, non vt ad eam diem editum circumferebatur, *quod familiaritatem ducit*. Manutius quoque interpretandum putauit, atque adeò summus in literis Muretus variis lectionibus in Prouerbiorum numerum à Desiderio prætermissum, referendum censuit. Nos in præsens interpunctione planiorem locum sic reddamus, *quod familiam ducit in Iure ciuili.* Significat enim in Iurisprudentia Memoriam regnare, locumque principem necessariò obtinere in tam vasto legum Rom. pelago, atque opinionum varietate. Propriam enim esse Iurisconsultorum Memoriam sæpè in libris de Oratore TVLLIVS prædicat.

Lib. XIV. Epist. 1. ad Terentiam: *Per fortunas*, inquit, *miseras nostras vide ne puerum perditum perdamus.* Si quod in his literis, etsi perexiguum, iudicium est meum, legendum existimo: *ne puerum perditum eamus.* Scriptum fortasse erat ab imperito librario: *perditum eramus:* accessit corrector semidoctus & *perditum perdamus* subiecit, Io triumphe, acclamans. At verò, quia pugnantia hæc includunt,

 Audi-

Auditum admissi risum teneatis amici?

Quantò rectius quod damus. Plautus enim sic in Amphitruone, & in extrema Aulularia:

Quamobrem ita faceres, meq. meosq. perditum ires liberos.

Et in Andria Terentius:

Cur te is perditum?

Et Flaccus lib. I. Carminum:

Vidimus flauum Tiberim retortis
Littore Etrusco violenter vndis
Ire deiectum monumenta regis,
Templaq. Vestæ.

Sallustius in Catilinaria: *Fuere ciues qui seq. remq. publicam obstinatis animis perditum irent.* Vtitur & Aurelius Victor noster.

Per fortunas autem prædicandi formula est, qua & lib. III. ad Atticum Epist. XX. vtitur: *Ad quæ recuperanda, per fortunas, incumbe, vt facis.* Rursum lib. V. Epist. II. *Ne prouincia prorogetur per fortunas, dum ades quidquid prouideri potest, prouide.* Glossema porrò lib. XVI. ad Tironem Epist. XI. tollendum arbitror: *Ex hac parte bellum diligentissimè comparatur.* Dele, me auctore *bellum*, ac furcis eiice, vt à Manutio factum video, inculcante rursum Lambino, contra libros antiquos, quos inspexi: itaque sæpenumero CICERO concisè, vt Q. Fratri Epist. 1. *Pompeius se comparat, homines ex agris arcessit.* Ibidem: *Sed & illud te moneo, vt te ante compares, & quotidie meditere.* Item in Miloniana: *Milo paulisper, dum se vxor, vt fit, comparat, commoratus est.* In sequenti proximè Epist. XII. *Sin autem ille me suis conditionibus stare voluerit, bellum paratum est; eiusmodi tamen, quod ille sustinere non possit.* Vbi & nodus vindice dignus incidit. Nam vel *noluerit*, neganter legendum, vt in plerisque libris, & *sin* pro sed si, interpretandum: vel *sin voluerit*, pro *si non voluerit*, vt sæpè aliàs. Illo tamen modo in ea ipsa Epistola legas: *Sin autem erit bellum, video me castris & certis legionibus præfuturum.* Quare videndum an *stare* hic dictum sit pro *perseuerare*, ac nolle de sententia decedere. Vt in Quinctiana CICERO *perseuerandi* verbo pro *perficiendi*, inusitato est vsus modo, cum L. Sisenna, citante Nonio Marcello.

Crassus & Cassius. CICERO *& Macrobius emendati.*

CAPVT II.

C. CÆSAREM in Seruilia Bruti matre malè audiisse, & in Iunia Tertia Bruti sorore & Cassii vxore, auctor est Suetonius Tranquillus cap. L. Cicero libro XV. Epist. 14. ad Cassium & 18. ad M. Brutum de Seruilia matre. De altera vero Bruti sorore *Lepida*, ibidem Epist. 13. & 14. vbi Paul. Manut. & Macro-

crobius lib. II. Saturn. Vnde manarit iocus ille Tullianus: *Equidem quo melius emtum sciatis, comparauit Seruilia hunc fundum, Tertia deducta. Deductores enim & Perductores* audiunt malè apud Comicos, vt amoris conciliatores, quos Seneca Rhetor *Pararium facere* ait, si mentem assequor. TVLLIVS quoque noster in Verrem lib. III. quæ de frumento est oratio: *Hic est Docimus, qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam, vt abductam ab Rhodio tibicine.* Hæc autem *Iunia Tertia* Seruiliæ filia, C. Cassii, vt dixi, eius qui cum Bruto in Cæsaris percussoribus fuit, vxor erat, non C. Crassi, vt in Macrobio malè vulgatur. Emendandum itaque Dionis Cassii auctoritate lib. XLIV. Hist. de Bruto Iunii fratre sic loquentis: Καὶ μετὰ τοῦτο τὸν Κάσσιον τὸν Γάϊον σωθέντα μὲν δι' αὐτὸν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, καὶ προσέτι καὶ στρατηγίᾳ τιμηθέντα· τῆς γὰρ ἀδελφῆς ἄνδρα ὄντα προσέλαβε. *Tertia* autem dicta est, Romanorum more, quod tertio loco nata. Soror enim ipsius Cassi M. Lepidi coniux fuit. Nec desunt homines doctissimi, omnisque adeò antiquitatis peritissimi, qui sibi aquam ad Suetonium hærere fateantur ingenuè. *Seruilia* verò Iunii Silani vxor cum esset, vt Plutarchus in Catone Vticensi refert, qui Cato Seruiliæ frater vterinus erat, & auunculus Bruti: hinc odia Bruti & Cassii in Cæsarem exarserunt: quod huius vxorem, illius verò matrem ac sororem adulteriis Cæsar polluisset. Quamobrem in eius caput, illis auctoribus conspiratum est, tribusque ac viginti vulneribus in curia Pompeiana confossus periit, cum deducta ad talos veste, Brutum sic nominatim compellans: καὶ σὺ τέκνον, vel vt alii, καὶ σὺ εἶς ἐκείνων ὦ τέκνον. Hactenus in *Cassij* nomine nostra opera emendatus Macrobius erit. Contra verò in *Crassi* nomine CICERO instaurandus, lib. VII. Epist. XXIII. extrema: *Quæsiui de mea Tullia, quid egisset: per Liciniam se egisse dicebat, sed opinor Cassium non ita multum vti vxore.* Vbi reponendum censeo *Crassum*, quod Liciniæ gentis cognomentum est, non *Cassius*. Soror enim eius *Licinia* hic appellatur: & verò fœminas gentilitio ferè nomine dictas notum vel leuiter Romanarum rerum lectione tinctis. Nec enim placet quod quidam hic comminiscuntur, vt quemadmodum *fratres* pro patruelibus aut consobrinis dici interdum solent, ita & *sorores*: Quibus vt assentiar non prius, quàm locuplete id teste comprobent, adduci possum, & ad Iureconsultos, quorum propria est ea Cognationum graduumque tractatio, libens prouoco.

Nerui sapientiæ. CICERO *illustratus. Epicharmus expressus, eiusdemque Poetæ allata plurima.*

CAPVT III.

ACCVSATVS à Dolabella Appius Claudius è Prouincia Cilicia rediens, de maiestate & de ambitu postulatus, absolutus est, cumque ad Vrbem esset triumphum petens; simulatque Dolabella ad postulandum, nomenque

defe-

deferendum accessit, introiit in vrbem, & triumphi postulationem abiecit. M. CICERO hoc illi summæ gloriæ ac maximi triumphi instar fore ait, si inimicis superatis victor discedat: *Ages*, inquit, *victor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum. Ego enim planè video fore neruis opus sapientiaq; tua, vehementer vt inimicos tuos pœniteat intemperantiæ suæ.* Manutius & legit, & interpretatur, *neruis, opibus*; item Lambinus, qui vulgatum de mendo condemnat. Ego verò contra sentio, eamque retineo. Respexit enim ad Epicharmium illud, quod M. & Q. TVLLII referunt: sic enim ille lib. I. ad Attic. Epist. XIX. *Vt crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam suam*: Νῆφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Quod carmen sic reddidit Q. Frater de Petitione Consulatus ad Marcum: *Quamobrem* Ἐπιχάρμειον *illud teneto, neruos atq; artus esse sapientiæ non temere credere.* In quam sententiam elegans exstat Dionis Chrysostomi oratio, longè felicius à Ioachimo, quàm Thoma Naogeorgo conuersa. Huc respexit, vt diximus, CICERO, habetque commodum sensum vulgata lectio, etsi neget id Victorius. Ad alteram verò dicti partem allusit idem lib. II. ad Attic. Epist. XX. *Sed quia, vt video, pragmatici homines omnibus historicis præceptus, versibus denique cauere iubent, & vetant credere.* Ibi enim νήφειν vertit *cauere*, quod *vigilare* aliàs significat. Respexit & eodem fortasse L. Munacius Plancus, lib. X. Epist. XXII. *Tu, mi CICERO quod adhuc fecisti, idem præsta, vt vigilanter, neruoseq; nos, qui stamus in acie, subornes.* Hæc autem Epicharmi sententia exstat lib. XVII. Polybii, cuius ἀποσπασμάτια habemus, & apud Stobæum sermone III. ac Suidam, in verbo πρόχειρον, & in dictione νῆφε, quod exponit γρηγόρει, hoc est *vigila*: pro quo malim νᾶφε, & μέμνασο, pro μέμνησο, Dorica Siculaque dialecto, qua Epicharmum hominem Siculum vsum constat, cum Empedocle, Theocrito, aliisque ciuibus. Est autem Trochaicum Catalecticum, qualia exstant apud Stobæum, & duo hæc in secundo Commentariorum Xenophontis:

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί,
Ὦ πόνηρε, μὴ τὰ μαλακὰ μώμεο. μὴ τὰ σκλήρ' ἔχῃς.

Eiusdem eodem metri genere illa apud CICERONEM Tuscul. I.

Emori nolo, sed me esse mortuum nil æstimo.

Quod ex illo Græco versu Epicharmi CICERO conuertit, legiturque apud Sex. Empiricum: ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι δ' οὔ μοι διαφέρει. Tertium item Epicharmi carmen citat M. TVLLIVS lib. III. ad Q. Fratrem: γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέχρηται. *Fac scias quo pacto se aduersus alium gesserit.* Pertinebat & hoc ad amicitiæ præceptum: vt primum illud eius dictum.

Quod autem dixerat CICERO *neruis opus esse*, rectè dictum est: nam & Nerui attribuuntur animo, vnde *Ingenii neruos intendere. Ingenium vbi intenderis valet.* Et Terentianum fortè illud, *vereor ne in neruum erumpat.* Sic & lib V. Epist. 1. ad Torquatum: *Vereor ne consolatio nulla possit reperiri, præter illam, quæ tanta est, quantum in cuiusque animo roboris est atque neruorum.* Et actione II. in Ver-

Verrem: *Magnum fortasse onus & mihi periculosum, verumtamen dignum, in quo omnes neruos ætatis industriæq; meæ contenderem.*

Fidem domino probare. Patre, auo, maioribus. *Elegans* TVLLII *in Epistolis locus castigatus.*

CAPVT IV.

CICERONIS Epist. II. ad Senatum Populumque Rom. lib. XV. emendatior per me, quoad eius fieri potest, legetur. Sic enim editur: *Monui Regem,* [Ariobarzanem] *vt omnem diligentiam ad se conseruandum adhiberet, amicosq; in patris eius fide atq; iudicio probatos, hortatus sum Regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris eius, omni cura custodiaq; defenderet.* Deprauatus haud-dubiè, & à mala natus manu locus. Victorius suis in codicibus abesse monet *fide*: Manutius item in plerisque eorum, quibus ad hoc CICERONIS volumen illustrandum est vsus, desiderari affirmat: legendum tamen hic videri *amicosq; patris eius fide atq; iudicio probatos*: hoc est, quibus pater eius fidem haberet, & de quibus optimè iudicare solitus esset. Cui ego, vt eruditissimo viro lubens assentirer, nisi contrà staret veritas, cuius gratia vadimonium non est deserendum. Non enim, nisi quid iudicans fallor, vt *iudicium* alicuius de aliquo, sic *fidem* alicuius de aliquo dixeris παθητικῶς. Melius ergo Victorius, cùm *in* delendum rectè censuisset, eiusdemque libri τῷ *fide* carerent. Tentabat itaque *amicosq; patris eius iudicio probatos*; quia *fide probatos* non rectè hic opinabatur. Seruus enim fidem domino probare conatur, non domini fidem probare dicuntur. Ampliandum itaque & aliis emendandum reliquit. Equidem vestigiis codicis Medicæi insistens, emendabam: *amicosq; patris eius, auiq; iudicio probatos.* Nam ex *auiq;* librarii fecere, *atque*, mox alius corrector deesse aliquid ratus; *fide* de suo infidus addidit. Veteres autem hoc loquendi modo vsos fuisse ostendam. Sic enim supra hac ipsa Epist. narratur, Regem in CICERONIS castra venisse, cum Ariarathe fratre suo, & cum paternis amicis maioribus natu, vt & auo familiares iidem fuisse videantur. Et Philippica III. L. Philippus: *Patre, auo, maioribus suis dignissimus.* Item in Corneliana II. apud Asconium Pedianum: *Quid? auunculus tuus clarissimus clarissimo patre, auo, maioribus.* Rursum Epist. XXXIV. lib. XIII. *Lysonem agnoui dignum & patre & auo.* Sallustius in Catilinaria: *C. Gracchus, clarissimo patre natus, auo, maioribus, interfectus est, propter quasdam seditionum suspiciones.* Vbi τὸ *natus*, vt glossema hoc quidem loco ὀβελίζω, vt Formula fuisse videatur.

Spes *non* res *in pueris laudata.* CICERONIS *de Repub.* *libri cur Dialogi inscripti.*

CAPVT V.

QVOD de spei bonæ indole dici vulgo solet, sumtum è CICERONE tradit B. Hieronymus Epist. VIII. quæ ad Demetriadem est, de tuenda Virginitate. Sic enim noster Orator apud Seruium Honoratum, ad extremum lib. VI. Æneid. in illud:

In tantum spe tollet auos——

Fanni, causa difficilis laudare puerum. Non enim res laudanda, sed spes est. Quæ miror equidem omissa à doctis hominibus, qui diligenter TVLLII reliquias, tamquam scalmos, collegerunt: quorum alter, nescio cur, partem eius incertis fragmentis ascripserit, cum diserte è Dialogo Seruius laudet. Puto sanè è libris *Cic. de Repub.* desumtum. Fefellit collectorem, quòd Dialogo numerum adscriptum non videret, sed κατ' ἐξοχὴν libri de Rep. *Dialogus* nominantur, quòd nulla disputatio maiori sit contentione ac tempore habita, aut inter plures. Quod & nouendialibus feriis, quæ fuerant Tuditano & Aquillio Coss. disputatio sit instituta, & in nouem eum dies, tum libros res distributa, pòst ad tres tantùm dies reuocata; vt ex eiusdem Lælio colligo: & in sex demum libros redacta, vt lib. III. de Legibus ipse CICERO, Macrobius, & Grammatici testantur. *Dialogum* autem similiter vocat hos libros Rufinus de Metris, Diomedes, ac plerique omnes. In hos autem libros scripsisse Victorinum autumo, ex eodem Hieronymo Apologia altera in Rufinum: vbi Victorinus *in Dialogos scripsisse fertur*, quod de his Rerumpublicarum libris accipio: vt Volcatium in Orationes Tullianas, & Appianum in Virgilium scripsisse constat. Platonem autem in his libris transscribendo secutus Orator est, vt in Officiis Panætium, & in Consolatione Crantorem, teste Plinio in Præfat. Natur. histor. CICERO, inquit, *in libris de Repub. Platonis se comitem profitetur: in Consolatione filiæ*, Crantorem inquit sequor: *Item Panætium de Officiis.* Plures autem personæ inductæ. In primis Lælius, vt è fragmentis apparet, & Agellio lib. I. cap. XXII. Fannius quoque, vt ex Epist. XV. lib. IV. ad Atticum: *Disputationem*, inquit, *quam institui de Repub. in Africani personam, in Phili & Lælij, & Manilij contuli. Adiunxi adolescentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Lælii generos, Scæuolam & Fannium.* Eosdem ferè nominat lib. III. Epist. V. ad Q. Fratrem. Pugnat tamen secum CICERO, qui in Lælio, seu De amicitia, Fannium disputationi de optimo Reipublicæ statu interfuisse negat, vt hoc ipsum μνημονικὸν σφάλμα cæteris adnumerandum videatur. De personis & interlocutoribus adhuc egimus: de reipsa atque instituto disputationis videndum. Porrò cùm puerorum institutio non minima, imò præcipua sit optimè constitutæ Reip. pars, de liberis educandis CI-

CERO

CERO etiam tractauit, vt locus ille à me allatus ostendit: alter item Seruii in lib. X. Æneid. è quincto de Repub. descriptus: *Apud Graecos opprobrio fuit adolescentibus si amatores non haberent:* &: *Apud Spartanos rapere & clepere discunt.* Et alibi: *Ad militiam euntibus dari solebant custodes, à quibus primo anno regerentur.*

Aliensis pugna. Religiosus dies. *Vrbis capta annus.* CICERONIS *ad Atticum locus defensus. Varro emendatus, & Nonius à Turnebi castigatione vindicatus.*

CAPVT VI.

M. Varro lib. II. de vita pop. Rom. *Vt noster exercitus ita sit fugatus, vt Galli Roma Capitolii sint potiti, neq; inde ante sex menses gesserint.* Vbi *cesserint* rectè emendauit I. Lipsius, Belgii ocellus, nemini paullulum modò humaniori ob singulare ingenium, doctrinamque ignotus. Nos in laboris partem veniamus. Repono igitur *panè*, pro illo *Roma*, traiecta, vt olim quidem scribi solet, diphthongo, sic efflagitante historiæ veritate. Roma enim excepta arce Capitolina potiti Galli Senones, & absque Manlio fuisset anseris strepitu excito, arcem occupassent: vnde *Capitolini* cognomen honoris ergô familiæ datum. CICERO VII. ad Atticum: *Nostri olim Vrbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt.* Sed quid test bus in aperta re vtar? Illud agamus, vt prius quàm de manibus CICERONEM depono, eius ope ter corruptum Nonii Marcelli locum, etiam in Iuniana ac Lutetiana editione instaurem. Sic enim in Religio. M. TVLLIVS *ad Atticum; Non maiores nostri funestiorem diem esse voluerunt Aliensis pugna, quàm Vrbis capta: quod hoc malum ex illo. Itaque aliter Religiosus etiam nunc dies, aliter in vulgus.* Lege meo quidem periculo: M. TVLLIVS *ad Atticum nono: Maiores nostri, &c.* Et mox: *Alter Religiosus e n. d. alter in vulgus ignotus.* Prius mendum suspicor natum ex compendiis, vt fit, *non*, pro *nono l b.* vbi hodie hæc leguntur epist. V. quibus si neg tionem addideris, pugnantia dixerit CICERO. Ego verò minuta hæc admonere supersedissem libens, nisi doctissimum Turnebum in errorem induxissent, vox etiam omissa *ignotus*, Aduersariorum lib. XXX. cap. IX. Dies enim nescio quos *Vulgares* Religiosis opposuit, finxitque eos qui nullo omine obsceni essent. Cæterum *Religiosi dies* Masurio Sabino apud Agellium, lib. IV. cap. IX. quos propter ominis diritatem relinquimus. Deriuat enim ille à *relinquendo* Religionem, vt Cærimonias à *carendo*; TVLLIVS verò à *relegendo*, lib. II. de Nat. Deorum, vt à *supersedendo* superstitionem: alii à *superstitibus* quos à Diis precabantur: Nonius in *superstitiosi.* Quo autem die pugnata *Aliensis* sit *pugna*, in historiis ambiguum. Tacitus enim XV. Annalium A. D. XIV. Kal. Sextil. quo die in Kalendario Farnesiano Romæ

 eruto:

eruto: LVCARIA signantur, quæ Romani in luco celebrabant, qui permagnus inter viam Salariam & Tiberim fuit, quòd victi à Gallis fugientes è prælio ibi se occultauerant & NF. hoc est: *Nefastus postrema parte diei*, notatur. Meminit & Macrobius lib. I. Saturnal. cap. IV. & Festus in Lucaria. T. Liuius lib. VI. & Plutarchus in Camillo, A. D. XV. Kal. Sextil. cladem Aliensem exceptam narrat. Scriptor verò noster de Viris illustribus, A. D. XVI. Kal. Aug. cui quamobrem assentiar libentius, sic habeto. Pridie enim eius diei, hoc est, postridie EID. QVINCTIL. pro felici eius pugnæ successu sacris operatum auctor est Agellius lib. V. cap. XVII. Macrobius I. Saturn. cap. XVI. & Verrius Flaccus lib. IV. de verb. signific. *Vrbe*, inquit, *à Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in Senatu verba fecit, Q. Sulpicium Trib. mil. ad Aliam aduersus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia postridie* EIDVS *fecisse: hinc exercitum pop. Rom. occisione occisum, & post diem tertium eius diei vrbem præter Capitolium captam esse. Hinc dies, qui sunt postridie Kal. Non. Eid. atros dictos & habitos.* Afranius in Fratriis apud Nonium dict. Atri dies: *Septembris heri Kalendæ, hodie atri dies.* Virgilius VII. Æneid.

——infestum Allia nomen,

dixit, & M. Lucanus:

Et damnata diu Romanis Allia Fastis.

Poëtas enim moduli causa duplici LL. fluuii nomen scribere obseruauit Seruius: cæterùm Plutarchus Eidib. Februariis Gallos à Camillo expulsos, fugatosque refert. Sex ergo amplius mensibus arcem Galli obsederunt. Nec minus variatum in Annalibus de anno captæ Vrbis. Plutarchus enim incertum esse ait. Tantum constare captam Romam post annos amplius CCCLX. quàm condita esset. Dionysius Halicarn. lib. I. ἀρχαιολογίας, ab exactis Regibus anno CXX. expleto. Plinius verò libro XXXIV. cap. I. anno ab V. C. CCCLXIV. His annum adiicit T. Liuius. Qui Fastos nuper digessere Capitolinos, magno historiæ & Antiquitatis commodo erutos, annum numerant CCCLXIII. post Rom. cond. Sed de his nos pluribus egimus in Vitis comparatis Aristotelis ac Demosthenis. Ad hanc autem cladem refero illud Lucilii lib. XXIII. Satyr. apud Nonium: *Populus Rom. victus vi & superatus præliis sæpè est multis; bello verò numquam.* Et Cæcilius apud Priscianum in Comœdia sic affatur: *Nulla nationi tot, tam continuas victorias, tam breui spatio datas arbitror, quàm vobis.*

Sagum.

Sagum. Res commodæ. CICERONIS *è Xenophonte Oeconomia quà correcta, quà illustrata.*

CAPVT VII.

ELEGANS Xenophontis de Oeconomia libellus est, quem de Græcis Latinum fecisse M. TVLLIVM locuples testis Fabius: suo more tamen, vt non tam verba appendere, quàm reddere sensum voluisse videatur: auctor Hieronymus Epist. ad Pammachium, quæ est De optimo genere interpretandi. Idemque refert CICERONEM interpretatum libri nomen fuisse, *Vniuersa dispensationem domus*, Epist. ad Algasiam, Quæst. VI. (Et ex eo Isidorus lib. IX. Etymologiarum cap. IV.) Rursumque procemio Chronici Eusebiani à se Latinè conuersi. Sic igitur CICERO beneficio L. Columellæ lib. XII. cap. I. de Re rustica seruatus, de viri & mulieris societate; quorum alteri audaciam in re augenda, propulsandaque iniuria; alteri verò timiditatem natura indiderit: eoque fieri, mutua vt opera indigeant. Quæ omnia Xenophontea sunt, & in Aristotelis quoque, aut cuius ea sunt, Oeconomicis fusiùs leguntur: *Simplex igitur natura non omnes res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit: quoniam quod alteri deest, præsto plerumque est alteri.* Ita CICERO, quæ haud dubiè ex his Xenophonteis expressa: Τὴν φύσιν μὲν πρὸς πάντα ταῦτα ἀμφοτέρων εὖ πεφυκέναι. Διὰ δὲ τὸ καὶ δέονται μᾶλλον ἀλλήλων, καὶ τὸ ζεῦγος ὠφελιμώτερον ἑαυτῶν γεγένηται, ἃ τὸ ἕτερον ἐλλείπεται, τὸ ἕτερον δυνάμενον. Quod cùm in communi vita vsu veniat, vt nemo non alterius indigeat, rectè est ab Homero dictum Odyss. θ. vers. 167.

Οὕτως οὐ πάντεσσι θεὸς χαρίεντα δίδωσιν
Ἀνδράσιν, οὔτε φυὴν, οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτ' ἀγορητύν.
Ἄλλος μὲν γὰρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ.

Commodas autem *res*, quod Xenophon εὖ πεφυκέναι, pro solidis, integris atque perfectis dixisse videtur Orator, vt apud Nonium Lucilius in *Commodum:*

——— *bis quino octoginta videtis*
Commoda de Capua, quinquaginta atque nouena.

Hic Complutensis Nonii codex scriptus præfert ——— *atque ducenta.* Suspicatusque sum rescribendum: Lucilius lib. V. ——— *octoginta videtis*, & *talenta* exaudio, vt obiter hæc emendem. Plautus in Asinaria:

Viginti argenti commodas minas, eius quas dem matri.

Eidem Comico, *Commoda vir statura*, qui Græcis τετράγωνος ἀνὴρ, P. Terentio & C. Lucilio *solidum corpus* pro compacto, firmoque, quod Græcis πυκνόν: Celso, & Columellæ *quadratum corpus*: Suetonio in Tiberio, *iusta statura*, & *quadrata*, in Vespasiano. Plura Victorius lib. XIV. Variarum Lect. cap. IX. & lib. XX.

lib. XX. cap. XXII. *Commodas* igitur *minas* intelligo non accommodatas, sed integras, vt nihil absit. M. Varro Sesqui-Vlysse, apud Nonium in *Solidum*. *Vlyssem nauibus duodecim domo profectum decem annos solidos errasse*, pro, decem ipsis annis, vt Latinè dic mus, & totis atque integris. Quod verò mox ab eodem Columella adfertur de supellectile in orbem redigenda, mutilum esse obseruaui: *Ac primum*, inquit, *ea secreuimus, quibus ad res diuinas vti solemus. Postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur; deinde ad virilem: dierum item sollemnium ornatum.* Retraho à fuga vocem; *deinde ad bellum, virilem: dierum item sollemnium ornatum.* *Sagum* vestem militarem quæ bello apta est, viro reponendam docet. Vera est emendatio ex his Xenophontis verbis: ἠρχόμεθα πρῶτον, ἔφη, ἀθροίζοντες οἷς ἀμφὶ θυσίας χρώμεθα, μετὰ ταῦτα κόσμον γυναικὸς τὸν εἰς ἑορτὰς διαιροῦμεν. ἐσθῆτα ἀνδρὸς τὴν εἰς ἑορτὰς, καὶ πόλεμον.

In eo posita est fortuna. In eo sunt omnia. TVLLIVS *lib. XV. ad Famil. illustratus.*

CAPVT VIII.

ROGAT CICERO Cassium, vt & M. Marcellum antea Epist. VII. lib. XV. & L. Æmilium Paullum Epist. XIII. dent operam, ne quid accedat temporis ad Ciliciam prouinciam, quam & Senatus-consulto & populus plebiscito, anno post Rom. Cond. IↃCCII. annuum esse voluit: *hoc*, inquit, lib. XV. Epist. XIV. *à te ita contendo, vt in eo fortunas meas positas putem.* Respexit, ni fallor, Demosthenicum illud Prouerbii specie vsurpatum; qui ab Æschine in celebri illa pro Ctesiphonte de Corona actione reprehensus in verbo gestuque cùm esset; iocans ita se purgat: πάνυ γὰρ ἐν τούτῳ (οὐχ ὁρᾷς) γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ. Negat *in eo positas fortunas Græciæ, hoc an illud locutus sit*, vt reddidit ipse CICERO in Oratore perfecto. Deinde, quod identidem repetit: *Sic velim enitare, quasi in eo mihi sint omnia*, deprecans ne prouinciæ tempus prorogetur. Idem etiam M. Cælium rogat lib. II. Epist. VIII. *Tibi cùm mea omnia commendatissima esse cupio, tum nihil magis, quàm ne tempus nobis prouincia prorogetur. In eo mihi sunt omnia.* Perfamiliare & hoc verbum Lucilio, *in eo omnia pono.* Sic enim apud Nonium Marcellum in *Proprium*, è lib. Satyrarum XVII.

Cætera contemnit, & in vsura omnia ponit
Non magna, proprium verò nil neminem habere.

Et lib. XX. Satyr. apud Lactantium lib. I. Institut. cap. XXII.

Terricolas Lamias, Fauni quas Pompiliúsq;
Instituere Numa, tremit has, hic omnia ponit.

Rursum lib. XXIII. Satyr. prosa, vt apparet, scripto, apud eundem Nonium:

Popu-

Populus Romanus victus vi & superatus prœliis sæpè est multis, bello verò numquam: in quo sunt omnia. In quam sententiam Cæcilius apud Priscianum dixit: *Nulla nationi tot, tantas, tam continuas victorias tam breui spacio datas arbitror quàm vobis.*

Beneficium *pro culpa, apud Iurisconsultos.* CICERONIS *in Timæo locus vnus & item alter emendatus.*

CAPVT IX.

DIVINI Platonis Timæum, qui de vniuersitate est, Latinè CICERO exscripsit, vt ad rerum vbertatem verborum etiam copia cresceret, & luminibus Græcæ facundiæ magis, magisque splendesceret oratio, redderetur que copiosior. Denique vt Philosophiam Latinis illustraret literis. Eum Dialogum ad meam ipse vtilitatem cum Græcis Platonis comparaui, neque operam lusisse visus sum. Non longè à principio sic editur: *Quid est quod semper sit, neque vllum habet ortum: & quod gignatur, nec vmquam sit? Quorum alterum intelligentia & ratione comprehenditur, quod vnum semper atque idem est: alterum quod adfert opinionem per sensus rationis expers.* Boëthius Seuerinus, Latinorum non contemnendus Philosophus, Commentario tertio in Topica Tulliana sic legisse videtur: *Quorum alterum intelligentia ratione comprehenditur, alterum adfert opinioni sensus rationis expers.* Post in eodem Græcè sic editum video à Typographorum στ-φάνες· καθ' ὅσον οἷόν τι ἀπλέξεως περιοίκει λόγυς εἶναι καὶ ἀνικήτυς. Ex Proclo in Timæum legendum coniicio, καθόσον οἷόν τι. Adferam & illud, de humanæ vitæ conditione: *Deinde vt huic animanti principem se ducemque præberet, vitamque eius pulcerrimè regeret & gubernaret: nisi quatenus ipse beneficiis sua culpa sibi aliquid miseria quæreret.* Sic de veteribus libris summa accuratione in Gallia excuditur, cùm Lambini, tum Mich. Bruti opera. Ille tamen τὸ *beneficiis* vt glossema delendum putat; sed tota errat via, dum vt apud Poëtas Medea, *videt meliora probatque, Deteriora* sectatur. Nec defuit, qui tentaret, *beneficii sui culpa.* Repone me auctore: *quatenus ipse beneficio suo sibi aliquid miseria quæreret.* Erat enim vel in eo quod versus dirimit interuallo, aut certè ad oram adscripta explanatio, *id est, culpa sua,* quã vocem rariorem esse lectori antiquatius suggerit: hæc, vt fieri amat, quia notior est, in contextum seriemque irrepsit: Altera verò in antiquis libris, etsi deprauata nonnihil, remansit. Quare postliminii iure locum reciperare actione Vnde vi iubeo. Græcè enim est αἴτιον. Sic enim Philosophus: Καὶ κατὰ δύναμιν, ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα τὸ θνητὸν διακυβερνᾶν ζῶον, ὅτι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ γίγνοιτο αἴτιον. *Beneficium* enim veteribus illis Prudentibus, disertissimis hominibus, sic quiore etiam notione vsitatum pro opera & culpa. Veniat in rem præsentem Vlpianus L. Ex damno, XL. D. damn. inf. *Consequens est,* inquit, *dicere detrimentum hoc, quod beneficio eius contingit.* Et L. Communi, VII. D. Com. diuidundo: *Quia hac pars beneficio alterius venditori accessit.* Idemque L. inter omnes, XLVI. D. de

D. de Furtis: *Competit enim actio non ideo, quia nunc abest, sed quia vnquam beneficio furis afuerit.* Vocem itaque vt probam, notæque melioris à fuga retrahamus. Sic & *Opera*, pro culpa Catullus, ac Probus Æmilius adhibent. Et *Honos*, pro κλέος, καὶ ὄνειδος, vtroque versum vocabulum; vt iam lib. II. cap. VIII. ex Agellii lib. XII. Noctium docuimus.

Come dicere, *Ausonius è* CICERONE *illustratus*, *P. Terentius laudatus.*

CAPVT X.

CICERONIS poëmation, vt alia eiusdem pleraque, intercidisse, quod *Limone* apud Donatum inscribitur, obseruatum. Quia verò Terentium Comicum Orator ibi laudandum susceperat, à cuius assidua lectione minimè abhorruisse res ipsa clamat, equidem in eam veni sententiam, vt vnius literæ immutatione *Libonis* nomine inscribendum putarem, cùm in gentis Terentiæ laudem carmen pangeret. *Terentius* enim *Libo Tregellanus* fuit poeta, ad quem & libros M. Terentius Varro misisse donò dicitur. Quorum librorum primo *Terentius*, à *Tereno* Sabina voce pro molli deriuatur: vnde traductis hodie literis *tenerum* mansit: quem librum laudat Macrobius lib. III. Saturnalium cap. XVIII. Vt enim Dialogos TVLLIVS, Platonis exemplo, principum personarum, quæ inducuntur, nomine inscripsit; sic & Poemata quæ pangebat: vt *Marium*, de quo Scæuula dixit:

Canescet sæclis innumerabilibus.

Cuius etiam scripti sui meminit Orator, lib. I. de Legibus, *1.* de Diuin. & lib. XII. ad Atticum. Antea quoque etiamnum puer *Pontium Glaucum* tetrametris lusit: quod poemation Plutarchi etiam ætate legebatur. Nunc autem intercidit, compositum tamen ad Æschyli imitationem: qui Tragicus ἐν τῷ Ποντίῳ γλαύκῳ citatur à Strabone, ab Athenæo, aliisque. Sed ad me redeo. Ciceroniani Poematii hoc reliquum à temporum iniuria, veluti naufragii tabula, conseruatum est, continens præstantissimi Latinorum Comici *P. Terentij* Elogium:

Tu quoque qui solus lecto sermone, TERENTI,
Conuersum, expressumq; Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis auribus adfers:
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Simile & C. Cæsaris versibus editum exstat de *Terentio* iudicium:

Tu quoque tu in summis, ô dimidiate Menander,
Poneris, & meritò, puri sermonis amator.

Vim tamen maiorem in ea verborum lenitate, id est, πάθος, requirit idem, Græco-

Græcorum Comicorum exemplo· & hoc etiam deesse Comico illi dolet. M. verò Terentius in Etesin palmam tenere ait, vt in argumento Cæcilium, & in sermonibus (vt equidem Horatii auctoritate interpretor) dicteriis & salibus M. Plautum. Sed hæc Critici viderint. Hoc tantum: M. TVLLIVM ab Ausonio Gallo expressum videri, in Protreptico ad nepotem:

Tu quoq; qui Latium lecto sermone, TERENTI,
Comis, & astrictus percurris pulpita socco,
Ad noua vix memorem diuerbia coge senectam.

Comis, non, vt quidam, pro Comice dixit vterque scriptor, mea quidem sententia, sed vt *Comiter loqui* dicimus: vnde & *Comitas*, facilitasque morum. Nos olim iuuentuti P. TERENTI Comœdiarum lectionem assiduam commendare bono publico cupientes sic meris Iambis lusimus:

Manu terendus indies TERENTIVS,
Latinitatis vnus auctor optimus:
*Vt Attico disertus ore * Tullius* * Lib. VII. ad Attic. Epist. 3.
Refert, frequens & ipse Comici æmulus.
Legat puer, vir, & virgo castior,
Nitoris omnis & Latini amans fori:
Manu terendus indies Terentius,
Latinitatis vnus auctor optimus.

Errant verò qui nominis decepti affinitate, (vt id per viam moneam) P. TERENTIVM Afrum Comicum cum Q. TERENTIO Cullione in triumphum à Scipione ducto confundunt: quo de T. Liuius lib. XXX. ab V. C. & 38. Decepti inquam etiam Pauli Orosii auctoritate lib. IV. Orchestræ cap. XIX. Nam eos vel prænomina vtriusque refellunt.

Homerus è Platonis Rep. educitur vnctus & coronatus. CICERONI *lux allata. Minucii Felicis tentatus locus.*

CAPVT XI.

MINVCII *Felicis*, causidici olim Rom. teste Lactantio, Dialogus est in manibus, qui à principe persona inducta *Octauius* inscribitur: falso hactenus liber octauus Arnobii habitus: qui B. Hieronymo auctore, septem dumtaxat libros aduersus Gentes plenos eruditionis reliquit. Minucius igitur, si non mole, sed reapse æstimes, magna aliorum pro Christianis vincit volumina, cùm rerum copia, tum dictionis venustate. Sic verò de Platonicæ Reip. idea, qualis nec fuit, nec erit, differens: *Poetæ ipsi permirum quantum veritati ipsi sua auctoritate nocuere: Et Plato ideo præclarè Homerum illum inclytum, laudatum, & coronatum,*

tum de ciuitate, quam in sermone instituebat, eiecit. Mendum, quod hunc locum infediſſe videtur, quà poſſumus, expurgemus. An pro *laudatum, lautum?* Quod à librario immutatum, *lautum* & *lotum* dici ignorante, eamque cognationem quæ eſt inter au & o, vt in *aula* & *olla*. An potius *lauatum*, vna dumtaxat extrita litera ſubiiciam, hæreo. Quid ſi ita? *inclytum lana tum coronatum. Lauatum* enim ſimul & *coronatum* reponere hoc quidem loco vix auſim. Sane lana coronatum educit è ſua Republ. Plato. *Lautum* qui dicit, vnctum etiam exaudit. Hæc enim inuicem comitantur. Vt autem in conuiuiis Hebræi, ſic Græci, & Romani, cùm ſe inuitare liberalius vellent, & lautiùs epulari, loti in balneis, mox odoratis vnguentis delibuti ſertiſque redimiti accumbebant: pleni his Plautus, Catullus, Horatius, Propertius, Martialis, cæteri: ad eumdem modum cadauera lauari, & vngi, quo diutiùs integra ſeruarentur, conſueuerant. Q. Ennius:

Tarquinij corpus bona fœmina lauit, & vnxit.

Sæpè etiam mortuo impoſita corona aurea, florida, vel oleaginea, vt diſcimus è CICERONE pro Flacco, Ariſtophane Ἐκκλησιαζούσαις, Plutarcho in Marcello, Luciano περὶ πένθους, Valerio Maximo lib. V. cap. I. Dion. Halicarnaſſ. lib. V. & XI Plinio lib. X. cap. 43. Chione Epiſt. ad Platonem, Artemidoro lib. IV. cap. XLIX.

Quia verò *Exſilium* mors quædam ciuilis eſt, quo aqua & igni interdicitur, idcirco puto à Platone è Republ. quam fingebat, lautum, vnctum & coronatum eductum Poetarum omnium iuxtà ac Philoſophorum propè Deum Homerum, veluti impietatis reum, quique Deos fabuloſos confingeret, & Muſicam, quam immutari nefas eſſet, permutaret. Segeſtanas quoque mulieres, cum Dianæ ſimulacrum exportaretur ex opido, quaſi exſulatum proficiſceretur, vnxiſſe, & coronis floribuſque ornaſſe auctor eſt TVLLIVS noſter lib. in Verrem IV. qui de Signis eſt. Sed cur, quæſo, à legiſlatore *lanea corona* vinctum Homeri caput, cum aurea mortuis aut florida imponi ſoleret? an ob Poetarum mollitiem? Nodum qui ſoluerit, hic mihi μάντις ἄριστος, & magnus Apollo fuerit. Plato autem lib. III. Politicῶn de Poetis: ἀποπέμποιμεν τε αὐτὸν εἰς ἄλλην πόλιν μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέοντες καὶ ἐρίῳ στέψαντες. Dionyſius Halicarnaſſ. Epiſt. ad Cn. Pompeium de Platone: Ὅμηρον ἐκ τῆς κατασκευαζομένης ὑπὸ αὐτοῦ πολιτείας ἐκβάλλει στεφανώσας, καὶ μύρῳ χρίσας. Maximus Tyrius Sermone VII. ἀλλὰ χρὴ στέψαντας ἐρίῳ τὸν ἄνδρα, καὶ χρίσαντας μύρῳ ἀποπέμπειν παρ' ἄλλους. Et Sermone VIII. ἐγὼ μὲν γὰρ θαυμάζω καὶ ἐκπλήττομαι, ὅπως τὰ μὲν Ὁμήρου ἔπη τῆς θαυμαστῆς πολιτείας καὶ τροφῆς τῶν νέων ἀπεπέμψατο αὐτὸς Ὁμήρῳ στεφανώσας τὸν ποιητὴν καὶ χρίσας μύρῳ, αἰτιασάμενος τὴν παῤῥησίαν τῶν ἐπῶν. Quod & Euſebius lib. II. extremo Præparationis Euangelicæ de Platone tradit. Itemque Proclus Lycius, Commentario in Platonis Rempublicam Lucubrationis pro Homero cap. XIX.

XIX. Theodoretus Cyrensis Episcopus, λόγῳ α' Θεραπευτικῆς. Ὅμηρον ὁμῶς τοῦτον τῶν φιλοσόφων ὁ ἄριστος, ἐπήνεσε μὲν δήπουθεν Πλάτων, ὡς ἡγοῦμαι, μύρῳ γε ἀλείψας, καθάπερ αἱ γυναῖκες τὰς χελιδόνας, ἐκ τῆς ὑπ' αὐτοῦ ξυντεθείσης ἀπέπεμψε πόλεως: ἀκολασίας καλέσας καὶ δυσσεβείας διδάσκαλον. βλασφημεῖν γάρ φησιν ἐκπαιδεύειν τοὺς νέους, καὶ πονηρὰς αὐτοῖς περὶ τὸν θεὸν ἐντίθησι δόξας καὶ ἁπαλοῖς ἔτι οὖσι μαθήματα πονηρά. καὶ ἐφθαρμένα ἐνίησι, καὶ ἕτερα ἄττα κατηγορήματα πάμπολλα ἐποιήσατο τοῦ κορυφαίου τῶν ποιητῶν. Idem repetit Therap uti a X. quod antea Dion Chrysostomus Orat. LIII κελεύει μάλα εἰρηνικῶς (f. rt εἰρωνικῶς) στέψαντες αὐτὸν ἐρίῳ καὶ μύρῳ καταχέαντας, ἀφιέναι παρ' ἄλλους. τοῦτο δὲ αἱ γυναῖκες ἐπὶ τῶν χελιδόνων ποιοῦσιν. M. quoque TVLLIVS in iis libris, quibus in optimum statum Reipubl. anquirit, quosque ad Platonis (cuius hic se comitem esse apud Plinium in Præfat. profitetur) exemplum expressit, Poetarum principem educit lib. IV. de Republ. apud Nonium in Fingere: *Ego verò eodem, quo ille Homerum, redimitum coronis, ac delibutum vnguentis emittit ex ea vrbe, quam sibi ipse fingit.* Et Tusculana II. *Ad malam domesticam disciplinam, vitamq. vmbratilem & delicatam cùm accesserint etiam Poeta, neruos omnes virtutis elidunt. Rectè igitur à Platone expulsi dicuntur, & ex ea ciuitate, quam finxit ille, cùm mores optimos, & optimum Reipubl. statum exquireret. Laudatum* tamen si quis in Minucio mordicus tuetur, non repugnabo, quia idem Proclus cap. XVIII. loca Platonis, quibus Poetam laudet, colligit, vt & in Homeri laudatione Dion Chrysostomus.

CICERO & *Claudianus Mamercus emendati, Plato in Phædone conuersus.*

CAPVT XII.

FACIO libenter vt in Philosophorum castra, etiam Latinorum, identidem diuertam, etsi CICERONI nostro dictione sint admodum dissimiles, & duri adeò atque horridi: cùm vt rerum cognitio inde hauriatur, tum vt è styli comparatione, quod ille ait, —— *quid distent æra lupinis*, melius appareat. Contraria enim inuicem comparata magis magisque illustrantur. Dabo in præsens specimen, plura fortassis alias, in Claudiano Mamerco Viennensium Galliæ presbytero, de animorum à funere statu differente: qui contrà atque Faustus Rhegiensis opinabatur, animos corporis expertes esse rectè ait. Verum persananda hîc non pauca ex optimis Neruiorum membranis, in Martiniana biblioth. Benedictinorum Sodalium à me inspectis. Lib. II. cap. VII. Philosophorum veterum recitans opiniones Platonis multa adfert: *Quo fit*, inquit, *vt mirari admodum dignè nequeam, huius Platonis animam, qui tantis equidem sæculis ante puerperium Virginis, ante Incarnationem Dei, ante hominis*

resurrectionem, ante prædicatam in Gentibus summa Trinitatis vnitatem ineffabilem, vnam, treis in Diuinitate personas, laudabili ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quæsiuit, inuenit, prodidit, Patrem Deum, paternamque mentem, artem, siue consilium, & vtriusque horum amorem mutuum, vnam, summam, æquiternam (malo *æuiternam*) *indiuisam diuinitatem, non solum ita credi oportere docuit, sed ita esse conuicit.* Hæc qui cum editis committere volet, plurima persanata deprehendet, etiam in prima Basiliensi Mosellani editione, quæ longè est quàm triplex Parisiensis lacunis plena, emendatior. Adhæc integrum etiam versum, quibus omnes carent libri, à fuga retraximus. Statim: *Lysiæ similes, quem Plato idem cassa rerum verba fundentem in Phædro eatenus increpet, vt esse deterius astruat gnarum verborum, ignarum esse causarum, quam nescientem rerum, verba nescire: potius arbitrans imperitum silentium loquaci imperitia.* Hic dubito ausimne de meo reponere: *Quam nescientem rerum verba scire.* Nihil enim hic duo codices fauent: sustineo itaque. Subiicit TVLLII locum è primo de Oratore, in quo legendum arbitror: *Eloquentia est scientia comprehensarum rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est.* Sic enim malo, quàm quod editur *comprehendarum.* Apud Platonem autem Lysiæ hic locus est qui à Socrate in Phædro exagitatur: Περὶ μὲν τῶν ἐμῶν πραγμάτων ἐπίστασαι, καὶ ὡς νομίζω συμφέρειν ἡμῖν τούτων γενομένων ἀκήκοας. ἀξιῶ δὲ μὴ διὰ τοῦτο ἀτυχῆσαι ὧν δέομαι, ὅτι οὐκ ἐραστὴς ὢν σου τυγχάνω. ὡς ἐκείνοις μὲν τότε μεταμέλει ὧν ἂν εὐποιήσωσιν, ἐπειδὰν τῆς ἐπιθυμίας παύσωνται. Ibidem & alter Platonis, sed è Phædone, qui de immortalitate est animorum locus à Claudiano rectè conuersus, sed in editis mirè deprauatus legitur. Platonis itaque verba adscribere non pigebit, nequis hic Phædri nomen per errorem reponere pertentet. *Persuadens igitur in Phædone Socrati sic ait vera ratio.* Ita enim interpungendum. Nunc disertissimum Philosophum audiamus: Ἕως ἂν τὸ σῶμα ἔχωμεν, καὶ ξυμπεφυρμένη ᾖ ἡμῶν ἡ ψυχὴ μετὰ τοῦ τοιούτου κακοῦ, οὐ μήποτε κτησώμεθα ἱκανῶς οὗ ἐπιθυμοῦμεν. φαμὲν δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἀληθές. μυρίας μὲν γὰρ ἡμῖν ἀσχολίας παρέχει τὸ σῶμα, διὰ τὴν ἀναγκαίαν τροφήν. ἔτι δὲ ἄν τινες νόσοι προσπέσωσιν, ἐμποδίζουσιν ἡμῶν τὴν τοῦ ὄντος θήραν, ἐρώτων τε καὶ ἐπιθυμιῶν, καὶ φόβων, καὶ εἰδώλων παντοδαπῶν, καὶ φλυαρίας ἐμπίπλησιν ἡμᾶς πολλῆς. ὥστε ὑπὸ αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐδέν. Καὶ ἐκ τούτου ἀσχολίαν ἄγομεν φιλοσοφίας πέρι, διὰ ταῦτα πάντα. τὸ δὲ ἔσχατον πάντων ὅτι ἐάν τις ἡμῖν καὶ σχολὴ γένηται ἀπ' αὐτοῦ, καὶ τραπώμεθα πρὸς τὸ σκοπεῖν τι, ἐν ταῖς ζητήσεσιν αὖ πανταχοῦ παραπῖπτον θόρυβον παρέχει καὶ ταραχὴν, καὶ ἐκπλήττει, ὥστε μὴ δύνασθαι ὑπὸ αὐτοῦ καθορᾶν τ' ἀληθές. Ἀλλὰ τῷ ὄντι ἡμῖν δέδεικται, ὅτι εἰ μέλλομέν ποτε καθαρῶς τι εἴσεσθαι, ἀπαλλακτέον αὐτοῦ, καὶ αὐτῇ τῇ ψυχῇ θεατέον αὐτὰ τὰ πράγματα. Καὶ τότε ὡς ἔοικεν ἡμῖν ἔσται οὗ ἐπιθυμοῦμέν τε καί φαμεν ἐρασταὶ εἶναι φρονήσεως, ἐπειδὰν τελευτήσωμεν, ὡς ὁ λόγος σημαίνει. ζῶσι δὲ οὔ. εἰ γὰρ μὴ οἷόν τε μετὰ τοῦ σώματος μηδὲν καθαρῶς γνῶναι, δυοῖν θάτερον, ἢ οὐδαμοῦ ἐστι κτήσασθαι τὸ εἰδέναι, ἢ τελευτήσασι. τότε γὰρ αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ ψυχὴ ἔσται χωρὶς τοῦ σώματος, πρότερον δὲ οὔ. καὶ ἐν ᾧ ἂν ζῶμεν οὕτως ὡς ἔοικεν ἐγγυτάτω ἐσόμεθα τοῦ εἰδέναι, ἐὰν ὅτι μάλιστα μηδὲν ὁμιλῶμεν τῷ σώματι, μηδὲ κοινωνῶμεν, ὅ, τι μὴ πᾶσα ἀνάγκη, μὴ δὲ ἀναπιμπλώμεθα τῆς τούτου φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύωμεν

ρεύωμεν ἀπ' αὐτοῦ. Καὶ οὕτω μὲν καθαροὶ ἀπαλλαττόμενοι τῆς τοῦ σώματος ἀφροσύνης, ὡς τὸ εἰκὸς μετὰ τοιούτων τε ἐσόμεθα καὶ γνωσόμεθα δι' ἡμῶν αὐτῶν πᾶν τὸ εἰλικρινές. Quod ita reddidit Claudianus: *Donec corpus habeamus, permixtusq; sit tali malo noster animus, nunquam nos id quod iam olim concupiscimus satis plenè consecuturos. Concupiscimus autem veri scientiam. Corpus enim nobis primum innumerabiles, & infinitas occupationes infert, quibus conterimur ob necessarium victum, & alimentum quotidianum. Deinde si qui morbi ingruerint impedimento sunt, quo minus inquirere, & inuenire veritatem possimus. Iam cupiditatibus & cupidinibus, & timoribus innumerabilibus variarum rerum appetitionumq; visionibus, & infinita quadam dementia corpus oneratur, vt præ illo ne sapere quidem vlla in re possimus. Et si quando tempus aliquod ad philosophandum vacuum vel habuerimus vel fecerimus, tunc quoq; in ipsis cogitationibus nostris intercurrit, turbam errorum inferens menti, vt obcæcante illo veritatem peruidere non possimus. Itaque vnum hoc in omni quæstione nobis, & id quidem euidentissimè probatur. Si quid vnquam bona fide scire volumus, recedendum esse à corpore, & in ipso animo res considerandas. Tunc enim videmur consecuturi quod concupiscimus, & cuius rei amatores nos profitemur, cùm defuncti erimus; nam dum viuimus desperandum est. Etenim si constat nihil sinceri mixtum corpori animum prævidere posse, sequitur alterutrum, aut nullo tempore nec vsquam contingere homini veram scientiam posse, aut tunc demum cùm excesserimus è vita. Defunctorum enim animus liber est, & solutus à corpore. Eo autem tempore quo viuimus, ita demum appropinquabimus, applicabimurq; scientiæ, si quàm minimum corpore vtamur, neq; in societatem eius, nisi quatenus necesse est, animum dimittamus. Ita enim minimè replebimur vitiosa, turbulentaq; natura corporis, sed puri à contagione eius, in quantum facere possumus, erimus. Et si ita fecerimus, incorrupti sincerique digredientes, ad omnia incorrupta sinceraque veniemus.*

Requirere, Terror. *L. Domitius. Q. Arrius, P. Varius. Nympharum ædes à Clodio incensa.* Scantia & Sentia. Apronius & Aponius. *Miloniana sæpius contra Lambini sententiam castigata.*

CAPVT XIII.

IN Miloniana TVLLII, etsi longa ea oratio, vt quidem à CICERONE conscripta est; quæ habita longè breuior, teste Fabio lib. IV. cap. III. iure tamen prima omnium, auctore Pediano, censenda: In ea, inquam, lustranda, comparandaque cum membranis, hæc forte, in quibus mihi cum Dionysio Lambino minus conueniret, notabam. Cuius in limine edi sic video: *Hæc noui iudicii noua forma terret oculos; qui quocunque inciderunt, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum minimè vident.* Obseruo autem in M. Fabio lib. XI.

Institution. Orator. cap. III. & in antiquis calamo exaratis in extremo sic legi, *Et pristinum morem iudiciorum requirunt.* Vt legitimi verbi *requirunt* glossema additum videatur illud, *minimè vident.* Requirunt autem oculi quod non vident, sentiuntque deesse. Sic & Asconius Pedianus, eruditus sanè TVLLII interpres, illud in Diuinatione in Verrem: *Nihil de suis veteribus ornamentis requiret*, interpretatur his verbis: *Non sentiet sibi deesse aliquid ex iis rebus, quas numquam habuit.*

Statim Orator: *Etsi contra vim collocata sunt, adferunt tamen Oratori horroris aliquid.* Lambini editio Lutetiana anni CIƆ IƆ LXXII. qua nunc vtor, ad oram habet *honoris aliquid*, nisi si operarum id, vt suspicor, σφάλμα est. M. Ant. Muretus è Vaticanis libris eam eruit lectionem, tametsi editiones librique scripti constanter, omissa *horroris* voce, cum negatione legant: *Non adferunt tamen Oratori aliquid*; hoc est, nihil præsidii vel adiumenti huiusmodi Oratori adferunt, vt omni metu vacuus esse possit: quæ Fr. Fabricii explanatio, etsi tacito eam nomine ferri posse neget Lambinus, equidem non reiiciendam censeo. Et mox, *vt omni errore sublato, rem planè quæ venit in iudicium, videre possitis.* Rectè est in membranis, *vt omni terrore sublato.* Varius autem terror ab aduersariis inferebatur, quem CICERO primum in tractatione propositionis Syllogismi tollit. Infrà: *Quod verò te Cn. Domiti, huic quæstioni præesse voluit, nihil quæsiuit aliud nisi iustitiam, grauitatem, humanitatem, fidem.* Repono ex auctoritate scripti libri *L. Domiti*, vt & in editis quibusdam cusum reperi, contra quorum auctoritatem Franc. Siluius, de Tullianis Orationibus non malè meritus, ex deprauato Asconii codice, huic Domitio Cn. prænomen dedit. Mox: *At nunc P. Clodio mortuo vsitatis iam rebus enitendum est Miloni, vt tueatur dignitatem suam.* Proba est scripta in membranis lectio: *At nunc P. Clodio remoto.* Et in editis mendum hærere pridem animaduertit doctissimus Victorius lib. XXI. Variarum, cap. vnde-vicesimo, putatque legendum pro illo. *At non. At verò P. Clodio mortuo.* Sed verius est *remoto.* Idemque contra priscos libros post illa reponit: *Præter hoc commune odium.* Retineamus itaque receptam lectionem, vtpote membranis subnixam: *præter hoc ciuile odium*, quod *hostili* opponit, vt in ea pro Q. Ligario: *Non hostile odium sed ciuile discidium.* Subiicit Orator: *Quid? quod caput audaciæ est, iudices, quis ignorat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis spem.* Etsi Hieronymus Ferrarius, homo pereruditus, τὸ *audaciæ* vt glossema iugulat, placetque illi, *quod caput est*, quod adhibetur aliàs frequentius: quia tamen in manu scriptis est, retineo. Post non longè: *Vt Q. Arrius meus amicus dixit.* Prænomen Q. membranis acceptum est referendum: & verò *Q. Arrium* familiarem etiam suum nominat in Vatiniana. Sic infrà *P. Varius* est restitutus, pro quo vulgò malè editur, *Cn.* aut *Q. Pompeius.* Item: *Quæ postea sunt in eum congesta? quæ quemuis etiam mediocrium delictorum conscientia perculissent, vt sustinuit Dii immortales?* Sic lego

lego è membranis, ac tueor, & cur damnet Lambinus, equidem non video. Quidni enim Latinè dixerim *criminum aliquem conscientia percelli*, non secus atque *irâ, furiis, ac furore agitari*? Nec melius est, nisi quid iudicans fallor, quod ille supponit: *Quemuis enim mediocrium delictorum conscium perculisset.* Sexta ab hinc pagella: *Eum qui ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicam recensionis tabulis publicis impressam exstingueret.* Hic rursum à Dionysio dissentiam necesse est, qui *publicæ recensionis* legendum contendit. Mox animi dubius nunc hanc tuetur, nunc veterem præfert, quia, vt ait, antiquior est. Addam hoc amplius, quia CICERONI familiarior. In Cæliana enim de Sex. Clodio P. Clodii administro sic ait: *Qui ædes sacras, qui censum Populi Rom. qui memoriam publicam suis manibus incendit*, qui locus huic geminus est. In ea verò de Haruspicum responsis extrema, de Nympharum æde incensa: *Idemq́*, inquit, *earum templum inflammauit Dearum, quarum ope etiam aliis incendiis subuenitur.* Et Paradoxo IV. in Clodium: *Ædes Nympharum tua manu deflagrauit.* Infrà: *Quid de muliercula Scantia: quid de adolescente Apronio dicam?* Fœminæ nomen in antiquis libris scriptum, partim *Sanctia*, partim *Sentia*. Hoc autem, vt *Scantia* nomen, vt Romanum agnosco, *Sanctia* verò vt Hibericum hic repudio. Adolescentis verò nomen *Aponius* est in iisdem membranis, extrita canina litera. *Aponij* verò non pauci in antiquis marmorum inspectionibus visuntur, & Dio Cassius lib. XLIII. Κοΐντον Ἀπώνιον ἄνδρα ἱππέα nominat. Post locus est interpunctione sanandus, breuius faciliusque atque Lambinus tentauit: *Quæ verò aderant iam & impendebant, quonam modo ea aut depellere potuissetis, aut ferre? Imperium ille si nactus esset (omitto socios, exteras nationes Reges, tetrarchas. Vota enim faceretis, vt in eos se potius immitteret, quàm in vestras possessiones) vestras pecunias, vestra tecta dico? A liberis medius-Fidius, & à coniugibus vestris nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset.* Sic leget qui me audiet, etsi conatum aliorum & acumen non damno. Lambinus de suo nimis hic largus est: nec improbo quæ tentauit verius in hoc loco instaurando, quàm absoluit, optimus Victorius lib. XX. Variarum cap. XVIII. modò eruditi illi homines mihi vicissim concedant, veterum vt librorum auctoritatem ex fide secutus ab iis sine acerbitate dissentiam.

Stemma Clodianum. *In Orat. pro M. Cælio, obscuris lux data.*

CAPVT XIV.

IN Cæliana, qua aduersus Atratinum M. Cælium veneficii reum defendit, inducit Orator Ap. Claudium Cæcum, P. Clodii acerrimi CICERONIS hostis abauum, sic Clodiam sororem eius impudicam, profligatæque libidinis allo-

alloquentem: *Non patrem tuum videras? non patruum? non auum, proauum, atauum audieras Consules fuisse?* Quibus in verbis, quia magnum interpretum in gente Claudia explananda ex ignoratione silentium apparet, quo discendi cupidis aliqua ex parte gratificemur, Clodii familiam, etsi de TVLLIO pessimè meritam, pro virili repræsentemus, parua cum temporis, tum chartæ iactura, (si iactura ea appellanda est, vnde fructus existit:) compendio verò ingenti ac veluti face in abdita re atque obscura, Historiæque bono.

Igitur *P. Clodii*, eius qui è Patricia gente Claudia, adoptione in plebeiam, quo CICERONEM melius læderet, transiit, Pater fuit Appius Claudius Pulcher; qui Consul Romæ fuit, cum P. Seruilio Isaurico, anno Vrb. Cond. IↃCLXXIV. Cuius de Aruspicum responsis Orat. initio sic meminit: *Ea tela, quæ collega patris immisit, leuiora atque hebetiora videantur.*

Frater Clodii germanus Ap. Claudius Pulcher. Eius mentio lib. IV. ad Atticum Epist. II. Dictus etiam adoptione *Metellus*: vt ex Oratione pro Domo, & Aruspicina paret.

Patruus eius C. Claudius Pulcher, Cos. cum M. Perperna fuit, anno post Rom. cond. IↃCLXI.

Auus, C Claudius Cos. cum M. Perperna fuit, anno IↃCXXIII.

Proauus C. Claudius, qui cum Ti. Graccho Cos. fuit, anno IↃLXXVI. in Fastis Capitolinis sic nominatur C. CLAVDIVS AP. F. P. N. PVLCHER.

Abauus fuit Appius Claudius Cæcus: de quo CICERO in Tusculanis, in Catone maiore, & in hac Cæliana.

Atauus, P. Claudius Pulcher, Ap. Cæci pater, Cos. cum L. Iunio fuit, anno V. C. IↃIV.

Sex. & P. Clodii, Tribu. pleb. impuri, Ligurrire. Ligurritio. CICERONIS *pro Domo sua illustrata oratio. I. Lipsii coniectura confirmata.*

CAPVT XV.

LIPSIVM, dum vixit, in oculis tulimus, à funere etiam obseruamus, nuper admodum, magno sui desiderio relicto, in Domino maiorumque religione acquiescentem. Is in Variis, quas iuuenis reliquit, CICERONIS nostri plurima loca, quà deprauata restituit, quà obscura illustrauit: adiungendo & Sex. Propertii poetæ elegantis quædam, & M. Terentii Varronis togatorum doctissimi è Satyris Menippeis nonnulla. Atque vtinam vir tantus cœptum vrgere opus, vt poterat, voluisset; superuacaneus fortasse, dicam Romanè atque ingenuè, omnis hic noster labor, conatusque fuisset: certè facem præferre acuto

cuto limatoque iudicio, quo plurimùm valuit, vnus profectò potuisset. Qui post etiam edita Epistolica institutione, auctor est hortatorque iuuentuti, vt M. TVLLIVM anno vno & item altero legant assiduè, versent, manibusque ne deponant. Dehinc in Antiquis lectionibus M. Plautum recensendum existimauit; vt T. Liuium Epistolicis quæstionibus emendauit. Denique ad Corn. Tacitum ita se applicuit, solus vt de tot tantisque edolasse, & obscuri acutique historici mentem tenuisse Pythagorica migratione videatur. Igitur in Variis, Valerii Catulli Epigramma LXXXII. non in P. Clodium, vt Mureto placuit, conscriptum esse docuit, sed in Sex. Clodium, eius in Tribunatu libidinum, legumque ferendarum administrum. Sic enim doctus ille Poëta:

Lesbius est pulcher, quidni?

Hic *Gellius* alii edunt, qui & in gregalibus Clodii numeratur in Haruspicina Oratione: *Tam eminentibus canibus Scyllam, tamq; ieiunis, quàm quibus istum videtis Gelliis, Clodiis, Titiis, vestra ipsa mandentem.* Quo in Epigrammate notari à poeta censet Lipsius Sex. Clodium, quem vt & TVLLIVS oderat, & Lesbium vocat: sicut *Lesbiam*, quam perdite amabat, pro Clodia compellauit. Mos enim nomina amicarum commutandi poetis veteribus perfamiliaris, quo furta tegerent homines impuri: quemadmodùm Satyrici deflectere nomina soliti, vt mordere minùs videantur. Appuleius Apologia priore: *Eadem opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia cognominet: & Ticidam similiter, quod, quæ Metella erat, Perillam scripserit.* Ostendi id CICERONIS verbis, locisque pluribus pro Domo posset, quando interpretes minus hic viderunt, tum hoc potissimum, quo P. Clodium sic appellat: *Hanc tibi legem Sex. Clodius scripsit spurciorem lingua sua. Sexte noster, bona venia dic, quoniam Dialecticus es, & hoc quoq; ligurris, quod factum non est, vt sit factum ferri ad populum; aut verbis vllis sanciri, aut suffragiis, confirmari potest? hoc tu scriptore, hoc consiliario, hoc ministro, omnium non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimo Remp. perdidisti.*

Et longo satis interuallo: *Quare hoc ex Clodio, scriptorem legum tuarum. Iube adesse. Latitat omnino: sed qui requiri iusseris, inuenient hominem, &c.* Et in Cæliana hominem vocat *sine re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum.* Equidem confirmo Lipsii summi amici felicem coniecturam: propterea quòd iocatus est doctus poeta Veronensis in *Pulchro* Claudiæ gentis cognomine; cùm ait:

Lesbius est Pulcher, quidni?

Adhæc in Fastis Capitolinis magistratuum pop. Rom. ac triumphorum, frequens esse Pulchrorum cognomen Claudiis attributum inspectanti manifestum, & proximo iam capite abundè ostendimus. Genus autem libidinis turpissimum quo inquinatos Clodios Poëta & Orator noster significat, à me proferri pudor, vitæque institutum vetat: quo flagitio Tiberium Cæsarem,

 mon-

monstrum hominis, infamem fuisse auctor Tranquillus: vnde illud in Attellanis increbuit:

Hircum vetulum ore ligurrire.

Alterum item Catulli in Alphenum lepidum Epigramma XXXI. in Cn. Pompeium esse conscriptum eidem Lipsio assentior lib. IV. Variarum cap. V. hoc principio:

Alphene, immemor atq. vnanimis falsè sodalibus.

Ficto nomine, veluti telum iactum in Pompeium, qui CICERONEM per simulationem prodidisset, iuuissetque tacitè Clodium, CICERONEM Vrbe expellentem.

Ligus & Pætus *gentis Æliæ cognomina. Ælius Ligus Trib. pleb. improbus.* CICERONIS *Sextiana illustrata.*

CAPVT XVI.

IN ea quam pro P. Sextio De vi aduersus M. Tullium Albinouanum TVLLIVS noster bene longam habuit, anno post Rom. Cond. ƆƆCXCVII. obscurum illud de Ligure mihi quidem occurrit, fortè an & aliis negotium legentibus facessat. Demus itaque obscuris lucem, si possumus. Sic enim Orator: *Intercessit Ligus iste, nescio quis, additamentum inimicorum meorum.* Et mox: *Ex nouem Tribunis, quos tunc habueram, vnus me absente defluxit, qui cognomen sibi ex imaginibus AEliorum arripuit, quo magis nationis eius esse, quam generis videretur.* Taxat nimirum *AElium* Tribunum pl. Pisone, & Gabinio Coss. qui cùm esset obscurus & ignobilis, Liguris sibi cognomentum ex Ælia gente assumsit, vt ab illis *AEliis Liguribus*, clarissimis viris originem ducere videretur: sed contrà euenisse CICERO hic ostendit, vt ex illo cognomine potiùs, ex Ligurina natione, quàm ex Ælia gente putaretur esse. Fuit autem *Ligus*, gentis Æliæ cognomen, sicut & *Pætus*. De hoc sic in Cluentiana legimus: *Quid tu*, inquit, *Pæte?* (malè enim *Pacete* quidam edunt:) *hoc enim sibi Stalenus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat, ne, si se Ligurem fecisset nationis magis suæ, quàm generis vti cognomine videretur.* Hęc ille. Et Steph. Pighius lib. XVI. Annalium, an. ƆƆCLXXVII. In Capitolinis autem magna olim à me Romæ voluptate inspectis Fastis, Collega in Consulatu Cn. Popillii anni ƆƆXXCI. sic nominatur: P. AELIVS. P. F. P. N. LIGVS. Cæterum de Ligure illo improbo Tribuno Orator noster pro Domo sua verba faciens, sic ait: *Ille nouicius Ligur, venalis adscriptor, & subscriptor tuus.* Rursum initio De haruspicum responsis: *Eum à me nunquam esse accusandum putaui, non plus quàm stipitem illum, qui quorum hominum esset, nesciremus, nisi se Ligurem esse ipse diceret. Quid enim hanc persequar pecudem ac belluam, pabulo inimicorum meorum & glande corruptum?* Errant enim hic homines docti, qui *Pisonem*

sonem Cos. pro illo *Aelio* Trib. accipiunt. Vt autem ibi *additamentum inimicorum suorum* dixit, ita hic *pabulum ac glandem*, vocum nimirum notione alienam in sedem migrante, nominat. *Ligures* verò gens hodie culta ac peringeniosa, nauigandi, negotiandique arte excellens, malè olim audiit vt agrestis: Testem damus omni exceptione maiorem M. ipsum Tvllivm in Rulliana II. ad populum Rom. *Ligures*, inquit, *montani, duri, atq; agrestes, docuit ager ipse nihil ferendo, nisi multa cultura, & magno labore quaesitum.* Verum enimverò non adeò desipio, vt ab hac gente inclyta *Ligurriendi* vocem deriuem, neque ab Aelio illo Tribuno pl. Antiquior enim vox, P. Terentio familiaris, & forsitan origine Graeca est, si Donato credimus in Eunuch. qui λιγυρὸν *suaue* exponit; caeteri pro arguta, atque acuta voce, stridulaque & canora. Sic enim Comicus de prostitutae pudicitiae moribus, adolescentes informans:

Quae cum amatore suo dum cenant, ligurriunt.

In eademque fabula: *Itidem patria qui obligurrierat bona.* Hoc est, vt idem exponit, *qui suauibus escis sua absumserat.* Ita de coniuratis noster, Catilinaria II. *Patrimonia sua profuderunt, fortunas suas obligurrierunt.* Tralatè verò idem Dec. Bruto scribens, pro absorbere, ac spe deuorare: *Cùm quidam è collegis nostris agrariam ligurrirent curationem, disturbaui rem.* Et Verrina V. *Improbissima ligurrientem lucra*, dixit: vbi *furta* quidam legunt, vt Horatius lib. II. Sermonum:

Tractauit manibus calicem, dum furta ligurrit.

Hinc *Ligurritio* deriuata est Tuscul. IV. pro, heluandi vitio. Scribunt autem duplici canina litera Manutius, eiusque asseclae, fortè quia iam Flaccus produxerat. Vidi qui à lingendo *Lingurrire* scribi mallent, sed haec literatoribus relinquamus.

Singularia TVLLII, Minuritio. Volaticus. Expiatio religionum, portentorum explanatio. Nouissimus. Coaeuus. Moriturire. Belluus. Humaniter. Acrius videre. Mansuetus. CICERO *variè emendatus.*

CAPVT XVII.

VT aliae ex aliis res, veluti catena aptae sunt atque connexae: artesque adeò inter se ac Virtutes arctissimo sunt vinculo copulatae: sic & in meditando vsu venit, vt aliud ex alio commentanti in mentem veniat, vt de *Singularibus* M. Tvllii denuò dicendum, quia de *Ligurritione* diximus. Exstarent libri Statilii Maximi *de Singularibus* Cic. à Sosipatro laudati, facilis profectò nobis in hoc stadio cursus esset, campusque apertus, ac prona dissertatio. Nunc quando optare id citiùs quàm sperare liceat, quod vnum possumus, quando

quod volumus non licet, id agamus, vt ne aliud in vita, aut certè nihil, meditando nos egisse posteri iudicent. Quas rarius CICERO adhibuit voces, refugit, ac veluti reformidauit, eas, credo, *Singulares* Statilius appellauit, quod semel dumtaxat, aut ad summum iterum rara notione in ejus scriptis apparerent. Verum enimvero perdifficilis sanè hodie, nisi me fallunt omnia, ea diiudicatio est, quod vix dimidiam Oratoris operum partem temporum nobis iniuria (vt nihil est in rebus humanis proprium, nihil perpetuum) reliquerit.

Vt *Ligurritio*, eadem forma Valerius Catullus *esuritionem* dixit, quam *esuriginem* Varro; *Esuriem* alii nominant.

> *Aureli, pater esuritionum,*
> *Non harum modo, sed quot aut fuerunt,*
> *Et sunt, aut aliis erunt in annis.*

Sic & *Minuritionem* CICERO dixit extremo primo de Oratore dialogo, etsi *minutionem* alii legant, *munychionem* non-nemo, *pedem incognitum* Victorius. Sed Festo Pompeio *minuritiones* minorum sunt auium cantus, & μινυρίζειν est canere: Minuritio itaque ad vocis remissionem pertinebit. Plura doctissimus Turnebus lib. I. Aduersariorum cap. XII. *Volaticus* verò quis CICERONI vsitatum credat, non magis quàm *Essentiam*, qua vsum voce TVLLIVM auctor est Sidonius Apollinaris.

In ea autem de haruspicum responsis sic lego: *Non sentiunt id, quod tamen mihi iam suspicari videntur, illius furentes ac violentos impetus in seipsos posse conuerti*: vt autem vis furoris est comes, ita furentes & violentos impetus non malè coniungi equidem arbitror, *volaticos* tamen pro *violentis* Sturmius supponit, exponitque impetus qui modo in hunc, modo in illum fierent. Quam etiam Orator vocem adhibet, de Academia T. Attico sic scribens lib. XIII. Epist. 25. *O Academiam volaticam, & sui similem, modo huc, modo illuc.* In eadem Haruspicina Oratione CICERO: *Ita est enim interpretatio illa Pontificum, vt iidem potestatem habeant iudicum: Religionis expiatio, vel ab vno Pontifice perito rectè fieri potest.* Sic enim Car. Sigonius, Deus bone quantus vir! Notis ad T. Liuium legendum hic censuit: quia suprà paullò: *Primum expiabo religionem mearum aedium.* Et Philippica in M. Antonium I. *Vt inexpiabiles religiones in Rempub.* inducerentur, dixit Orator. Infrà tamen non longè constanter editur, *Portentorum explanationes,* tametsi docti homines *expiationes* tentarunt. Sed cur *explanationes* non retineamus, equidem non video, cùm & Valerius Max. initio Memorabilium, hunc TVLLII locum mutuatus sic expresserit: *Portentorum depulsis Etrusca disciplina explicari voluerunt. Explicari* dixit, quod *explanari* TVLLIVS, qui & antea *interpretatio Pontificum* dixit. In extrema autem TVLLII Oratione: *In quo*, inquit, *constituenda nobis quidem sunt procurationes & obsecrationes*: vt quidem Lambinus eden-

edendum curauit, malletque reponi si modo membranæ adspirarent, *precationes* aut *postulationes*: aut saltem *ostentorum* addi. Mihi secus videtur, & retineo, vt meus est mos, quoad eius fieri potest, receptam lectionem, &, si quid mutandum est, pro *obsecrationes*, *obseruationes*, lectoris tamen arbitrio, subiicerem.

Nouissimus vitauisse CICERONEM autumat Agellius, sed vt fallitur, sic fallit in Atticis Noctibus lib.X. cap.21. Quo loco deceptus Romanus Vallensis lib.II. Elegantiarum cap. L. CICERONI vocem abiudicat, etsi M.Cato eiusque æmulus C. Sallustius vsurparint, atque adeò M. Varro, apud quem L. Ælius Stilo nouam iam tum vocem *Nouissimum* pro extremo nominat. Vsi sunt & alii CICERONIS æquales, adhibentque C. Cassius & Dec. Brutus in Epistolis. Quid? ne in Noctibus illis oberres diutiùs, non tantùm in Oratore ad Brutum reperies, sed & in Epistola (si ea modo CICERONIS est) ad Octauianum: *Vt nouissima conferam primis:* hoc est, vti idem ait: *vt ordiar ab initio, & perducam ad extremum.* Quin & in Oratione pro Roscio Comœdo: *Breui tempore, qui ne in nouissimis quidem erat histrionibus, ad primos peruenit Comœdos.* Et C.Cassius C.Cæsaris percussor lib.XII. ad Famil. Epist.13. *Vt hac nouissima nostra facta non inconuenientiam fuisse iudices. Nouissimè* autem semel iterumque Cn. Plancus dixit lib.X. ad Fam. vt cæteris vsitatiùs quàm CICERONI fuisse videas. *Intercapedinis* vocem & *Diuisoris* meritò formidat Orator vt *Ithyphallicam* lib. IX. Epist.XXII. ad Pætum. Libro tamen de Finibus adhibere non dubitauit: *Quas ob causas in eorum vita nulla est intercapedo molestiæ.* Adhibet quoque filius eius Tironi scribens lib. XVI. Ep. *Itaq; iam me non pœnitebit intercapedinem scribendi fecisse*, quem & capedines vini cum M. Antonio patris percussore ad ebrietatem exhausisse C. Plinius refert.

Coæuus semel in Vatiniana media legi obseruatum, qui Græcis σύγχρονος, CICERONI cum gignendi casu *Æqualis alicuius*. Sic enim ibi: *Nunquam puer aut adolescens inter coæuos fueras.* Verum doctissimus Turnebus, qua valuit εὐστοχίᾳ repofuit pridem *coquos* libro XXI. Aduersarior. cap. XI. extremo: quam esse germanam emendationem locus clamat. Valeat itaque *coæuus* & *cocis* cum iure relinquamus; nos τὸ *æqualis* adhibeamus. B. Augustinus in Grammat. de Desideratiuis agens: *Morituriunt de Philosophis Cicero dixit*, an θανατῶσι. Locum vellem adscripsisset vir sanctiss. an in Phædone Platonis, qui est de animorum immortalitate; è quo citat quædam Tusculana I. in qua & Philosophiam definiri ait Mortis meditationem. Græcis est θνησκιάω, καὶ θανατιάω, & θανατῶν *moribundus*. *Belluus* adhæc masc. dixisse gen. idem refert, vt *Exiguus*. An in Pisoniana, vbi *bellua* hodie sequiore genere legas, vocatque inibi funestum animal, pro bestia: vt notat Pet. Victorius lib. XXIII. cap. IX. Item Philipp. III. M. Antonium teterrimam vocat belluam. Idemque Orator *Humaniter* cum *Humanè* dicere debuerit, vt annotat idem Augustinus, vt Terentius: *Vitam parcè ac duriter agebat*,

bat, pro, *dure.* Lambinus iterum in partem vocandus. Lib. de Finibus legi vult *acutius* potius quam *acrius. Dicet me acrius videre quam vllos pisceis fortasse.* Sui nimirum oblitus qui Tuscul. I. *acribus oculis* emendarat non necessario, Sic enim Orator: *Quod iis sæpè vsuuenit, qui acriter oculis deficientem Solem intuerentur, vt aspectum omnino amittant.* Lucretii auctoritate leg. contendit *acribus oculis.* Sic enim Poeta ille lib. III. de rerum Nat.

Cum feruiscit, & ex oculis micat acribus ardor.

Quem etiam imitatus Maro est lib. XII. Æneid.

Scintillæ obsistunt, oculis micat acribus ardor.

Sed & M. Tullius Orat. pro Plancio: *Populum Romanum aureis hebetiores, oculos acriores & acutiores habere ait.* Hoc illud nimirum est, vt ἐν παρόδῳ addam, quod apud Herodotum Candaules ad Gygem dixit, Aures fidei minus apud homines quam oculos mereri: ὦτα γὰρ τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν. *Mansues* quoque CICERONI attribuit vir doctissimus Lipsius in Electis, reponens in aurea illa de prouincia administranda Epist. ad Q. Fratrem: *Sit lictor mansues & tuæ lenitatis apparitor.* Pro quibus vulgò editum, *Sit lictor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor:* quam lectionem cur retineam facit, quòd *Mansuetus* dixerit CICERO non rarò, cui *Ferus* opponit; *Mansues* verò aliàs numquam. Plura non colligo, nec ire per singula libet: cætera suggeret Marius in Obseruationibus, quæ rariùs à CICERONE vsurpata, sed cum dilectu seligantur, ne priscorum poëtarum rancidas voces admisceas. Similia collegi sup. lib. I. cap. III.



ANDR.




ANDR. SCHOTTI

NODORVM CICERONIAN.

LIBER IV.

Ineptus. Ineptire *quid Crasso apud* CICERONEM *de Oratore, & Horatio* Trans pondera dextram porrigere.

CAPVT I.



VDAX forsitan ac præceps M. TVLLII de Græcis iudicium, ab animi perturbatione profectum, quo negat Græcis suppetere, in tanta verborum copia & vbertate, vocem qua *Ineptum* efferant, ἀμφιβόλως à Latinis in variis rebus vsurpatam, quam singulatim Græci commodeque efferant. *Qui enim*, ait CICERO, *aut tempus quid postulet non videt: aut plura loquitur: aut se ostentat: aut eorum quibus cum est, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet: aut denique in aliquo genere aut inconcinnus est, aut multus, is Ineptus dicitur.* Græcè verò quot quantisque formulis ac modis varietur, in Commentariis Budæus Galliæ lumen, & Italiæ Iulius Scaliger singulari Oratione disseruit: & nos alibi cùm De optimo interpretandi genere, ac de Græcarum literarum vsu atque vtilitate è CICERONIS sententia verba fecimus. Illud tantum nunc quærendum, quem lib. I. de Oratore L. Crassus his verbis *Ineptum esse* dixerit: *Equidem cum peterem magistratus, solebam in prehensando dimittere à me Scæuolam, cùm ei ita dicerem, Me velle esse ineptum. Id erat petere blandius, quod nisi ineptè fieret, bene non posset fieri. Hunc autem esse vnum hominem ex omnibus, quo præsente ego ineptus esse minimè vellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum testem & spectatorem fortuna constituit.* Quem locum, vt aliàs plerumque Valerius Max. lib. IV. cap. V. ita transcripsit: *Consulatum, inquit, petens L. Crassus, cùm omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, vt id præsen-*

præſente Q. Scæuola grauiſſimo & ſapientiſſimo viro ſocero ſuo faceret. Itaq; rogabat eum, vt à ſe, dum inepta rei deſeruiret, diſcederet: maiorem verecundiam dignitatis eius, quàm candida toga ſua reſpectum agens. *Ineptire* Craſſus dixit prenſando in candida toga (vnde Candidatorum nomen) magiſtratum ambire, multa ineptè dicere ac facere. Romæ enim Candidati magiſtratum ambientes prenſabant, cùm dextram obuiis porrigerent, multoſque prehenſarent, ac nominatim appellarent, adhibito etiam ſeruo, Nomenclatore hinc dicto, qui latus interdum foderet, & Quiritium nomina ſuggereret. Vilibus adhæc hominibus interdum prehenſa manu etiam calloſa ac ſordida blandirentur. Hunc quidem fratrem appellando, illum natum, alium parentem ac pro ſingulorum ætate ac dignitate præter decorum cunctis adulantes, ineptiſſimè faciebant. Ineptire itaque, idem quod prenſando ambire CICERONI viſum; quod Horatius Epiſtola ad Numicium, *trans pondera dextram Porrigere* dixit, vt ingenioſè interpretatur homo doctiſſimus, Pet. Angelius Bargæus, data ad Ioſephum Boccam Epiſtola, princeps ipſe ſui ſæculi poëtarum, editis eruditis Cynegeticῶν libris. Poeta autem Flaccus de ſummo bono quærens, Stoicis beatùm videri negat, qui magiſtratum ambiret, qui prenſando inepta committeret, obuioſque putidè nimis atque officioſè appellaret:

Mercemur ſeruum, qui dictet nomina: læuum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Trans pondera dixit: etſi multitudinis numero, hoc eſt, præter animi grauitatem, dignitatem atque decorum, vt illo ad Piſonem carmine:

Quis regit ipſe ſuam, niſi per tua pondera, mentem.

Nominatim autem obuios compellare gratioſum ac populare. Sic Othonem ad imperium euectum à militibus legimus, quòd ſingulos in exercitu compellare conſueuiſſet. Agamemnon quoque apud Homerum Menelaum monet, vt quemque nomine appellet ſuo, & ad rem ſtrenuè gerendam cohortetur Iliad. *κ.* v. *67.*

φθέγγεο δ᾽ ᾗ κεν ἴῃσθα, καὶ ἐγρήγορθαι ἄνωχθι,
Πάτρόθεν ἐκ γενεῆς, ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον,
Πάντας κυδαίνων· μηδὲ μεγαλίζεο θυμῷ.

Pondera fortaſſe alii in Horatio pro mercibus pondere vendi ſolitis accipiant, quæ trutina ac bilance appenderentur, trans quæ dextram porrigere, etſi ſordidæ eſſent ac liquidæ merces, Candidati prenſando atque ambiendo cogerentur. Sed alia longè mens aliorum, qui Flaccum noſtra ſunt memoria interpretati.

Diony-

Dionysii Halicarnassei locus contra aliorum sententiam emendatus.

CAPVT II.

DIONYSIVS grauis inprimis auctor, & Rhetor elegans, in Epist. ad Ammæum, de Aristotele, Demosthenéque initio, multorum calculo vitiosus legitur, sed nondum omnino, quod sciam, emendatus. Henricus quidem Stephanus ita edendum curauit: *ἵνα τὴν δόξαν ἣν πρότερον αὐτὸς ἔσχον βεβαιωθῶ, μαθὼν ὅτι προτερῶσι τῶν Δημοσθένους λόγων αἱ Ἀριστοτέλους τέχναι.* Locum vitiosum esse vidit Stephanus, nec commodum sensum elici posse: addendum itaque censuit *οὐ προτεροῦσι.* Verum ne sic quidem negatione addita locum sanauit. G. Morelius idem vidit, addidit itaque ad oram Demosthenis à se editi, incertum siue ex ingenio, siue ex antiquo codice, commodiorem lectionem, quæ facilem sensum elicit. Quam & Hieronym. Wolf. & Fred. Sylburgius editione secuti sunt, *ἵνα ἢ μαθὼν ὅτι προτερῶσι τῶν Δημοσθένους λόγων αἱ Ἀριστοτέλους τέχναι ἑκὼν μετὰ δοξάσω, ἢ τοὐναντίον φωράσας τὴν δόξαν ἣν πρότερον αὐτὸς ἔσχον βεβαιώσω, καὶ τὸν ἄλλως ἐγνωκότα καὶ γράψαι γε,* &c. Mihi tamen, pace tantorum virorum dixerim, vnius vocis parua mutatione emendari posse videtur, si *βεβαιωθῶ* in *μεταθῶ* commutetur, nulla addita negatione. Et verò facilis librario errandi ansa obiici potuit ex compendii nota *μετ* & secundæ alphabeti literæ, quæ sic in antiquis codicibus calamo exaratis ferè pingitur *ℓ*, quæ figura non dissimilis est u consonanti Latinorum, & forma, & vulgari pronuntiatione. Sensum verò commodum hunc eliciam: *Vt priorem sententiam vel ipse mutem, cognito priores esse Aristotelis libros Rhetoricorum orationibus Demosthenis: vel eum qui ita sentit, & commentari ea de re parat, antequam opus foras det, de sententia deducam.* Et verò Græcarum literarum peritis non insolens formula videbitur, *τὴν γνώμην μετατίθεμαι.* i. *sententiam muto,* vsitata Thucydidi, Xenophonti, & Synesio.

CICERO *pro Archia poeta emendatus. Animi auersio, Auersio Iureconsultis.*

CAPVT III.

TVLLIANIS lectionibus hoc opus destinamus: colligam itaque è Liciniana hæc pauca: *Quod si non hic tantus fructus ostenderetur, & ex studiis delectatio sola peteretur, tamen, vt opinor, hanc animaduersionem humanissimam ac liberalissimam iudicaretis. Nam cætera neque temporum sunt, neque ætatum omnium, neque locorum.* Lazarus Bonamicus primus legi voluit *animi remissionem*, quam tamen lectionem Petro Victorio lib. XXVIII. cap. VII. & Mureto probare non potuit.

tuit. Equidem si quid audere fas sit: lego ex coniectura *animi auersionem*, propius à vestigiis veteris editionis. Nam & veteres D. interponere solent ne asper fieret vocalium hiatus, vt apud M. Plautum *mederga: ted' hoc noctis*, & *propino tibid' eccum* & alia innumera, de quibus nos in Obseruationum libris. Vnde factum suspicor, vt librarius scriberet, *animad' versionem*. Est autem sumtum *animauersio* pro recreatione & relaxatione. Sic enim paulò antè: *An tu existimas ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrina eâdem relaxemus.* Sed aduratione praestare decet, tabulisque obsignatis agendum. Caesar I. Belli Gallici: *Vbi totius Galliae animi à se auerterentur*, pro abalienarentur. CICERO quoque in Laelio: *Tu velim à me animum parumper auertas, Laelium loqui ipsum putes.* Et in Oratore: *Vt ab eo quod agitur, auertat animos.* Liuius lib. V. belli Punici: *Auertere animum ab assiduo moerore* dixit, & lib. VIII. *Auertit id certamen.* CICERO ad Torquat. lib. VI. Epist. I. & III. *Auertere cogitationem à miseria.* Et Virgil. IV. Aeneid. vers. 394.

——quamquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis auertere curas.

Et sanè eleganter, vt enim *conuertere animum* pro rebus seriis intelligimus, sic *auertere animum*, pro recreatione & re ludicra. Alia verò notione Iureconsultus *Auertere* est, (etsi Hotman. lib. de Verb. Iuris, legat *auerrere*, vt à verrendo Verres quoque dictus) & *Auersio* L. Qui officii. D. de contr. empt. *Res, inquit, in auersione empta* quod Laenius Taurellus apud Ant. Augustinum lib. III. Emendationum cap. VI. extremo, sic dici ait, quòd periculum emptor aut conductor auerteret a venditore, aut domino. Addo M. Fabii similem locum Declamat. CCLII. *Nemo est tam arrogans sui aestimator, vt accessurus ad Comitia, ac periculum sortiturus humanitatis, non velit sine auersione esse.*

Mactare Deum hostia. *Plautus Amphitruone illustratus.* CICERONIS *in Vatinium lectio edita comprobata.*

CAPVT IV.

M. TVLLIVS interrogatione in Vatinium: *Cùm inaudita ac nefaria sacra susceperit, cùm inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos manes mactare solitos.* Quoniam Octauium illum παράφρων, repugnantibus libris omnibus *placare* substituere voluisse, aliosque auctoritate sua fregisse video, faciendum mihi putaui, vt veram CICERONI vocem assererem, & vindicias secundùm libertatem darem contra eos qui statim ὀβελίζουσι, quae rara reperiunt: quae,

Quàm lepidè lexeis? compostae vt tesserulae omnes
Endo pauimento atque emblemate vermiculato?

Exstarent CICERONIS libri omnes, aut *Statilii Maximi* liber De singula-

gularibus CICERONIS, multa haberemus à Ciceronianis vulgò reiecta, quibus Latinæ linguæ pomœria proferri possent. Tale illud lib. VI. de Rep. à Marcello in *Mactare* seruatum fragmentum: *Ferunt hoc laudibus mactant honoribus*. Quem describebat Christianus ille Cicero Lactantius lib. V. cap. X. *Si qui doloris vel mortis metu, vel suapte perfidia cœleste sacramentum deseruerint, & ad funesta sacrificia consenserint, eos laudent & honoribus mactent*. Et eius præceptor Arnobius, lib. I. adu. Gent. *alio mactatis cultu*, & lib. VII. *vt inferior Deus sit qui honoribus mactatur humanis*. Et ne longè exempla petantur, ille ipse CICERO in eadem: *Quo etiam maiore es malo mactandus*. Vbi ille idem παντοῖχαθ☉ *multandus* reponendum censebat, exosus, credo, hanc vocem. Et Verrinis: *Cùm videant ius ciuitatis illo supplicio esse mactandum*. Et I. Catilin. *Nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis?* Et Plautus Amphitruone: *Sacrifico ego tibi*. A. *Qui? quia enim te macto infortunio*. Et Næuius Gallinaria:

Mactato te bisce verbenis; mactat villam infortunio.

Dicebant igitur veteres vt *litare Deum*, sic & *mactare Deum hostia* pro sacrificare, quò Comicorum illorum iocus pertinet: Aliter verò:

Caliculum regi mactabam in litore taurum.

Cuius rei ignoratio, & Plauti & CICERONIS locis corrigendis, ac corrumpendis ansam dedit. Idem TVLLIVS Orat. pro Flacco: *Quam potestis P. Lentulo mactare victimam gratiorem?* Estque sacrorum verbum per εὐφημισμὸν vsurpatum, teste Seruio ad illud:

——*mactant lectas de more bidentes.*

Et IV. Georg. ad illud:

——*Panchais adolescunt ignibus aræ.*

Quod nefas esset prisca superstitione scæua verba proferre, ne vitiarentur sacra. Hinc *mactare* pro occidere, *adolescere* pro incendi. *Fuisse, abiisse, vixisse*, pro mortem obiisse. *Mactare* enim κυρίως pro augere, & *Macte*, magis aucte. Hinc illud eorum, qui sacris operantes vinum libabant: *Macte hocce vino inferio esto*. Quod ex Catone de re rustica Arnobins vsurpat. Hinc illa, *Macte animi, macte virtute*. Lucil. lib. V.

Macte, inquam virtute, simulq; his versibus, esto.

Accius Ἀδαμαλικῶν lib. I.

Sapientia inuicte gratia atq; honoris
Pater honeste rem mactauit aurea.

Doctissimus Turneb legit lib. XXIX. Aduersar. cap. XXVIII.

Patera Nestorem mactauit aurea.

Lipsius verò Belgii ocellus lib. IV. Antiq. Lect. cap. V.

Patera honeste em mactauit aurea.

Em enim ἀρχαϊκῶς pro *eum*.

Iugula, Orionis gladius. CICERO *in Arati Phænomenis explicatus. Glossarium vetus emendatum.*

CAPVT V.

DOLENDVM sanè diuinum illud M. TVLLII poëma de Signis Cœlestibus, ex Φαινομένοις Arateis conuersum, temporum iniuria tam mutilum ad nos mancumque peruenisse. Certè singulos eius versus gemmarum instar, vt debeo, caros habeo: Quo enim pauciores nostram ad ætatem peruenerunt, tanto illi mihi cariores. De *Orione* versus eius hodie ex incendio hi conseruati sunt:

Exinde Orion obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora tauri.
Quem, qui suspiciet in cœlum nocte serena
Latè dispersum non viderit, abdita verò
Cætera se speret cognoscere signa potesse.

Gladium huic affigere scriptores soliti, de quo Plinius lib. XXIII. cap. XXXI. & Lucanus:

Ensiferi nimium fulget latus Orionis.

Manilius: *Et nimis obliquus demissus ducitur ensis.*

Hinc Virgilius *armatum* appellat, pro aureo gladio armatum:

Armatumq́ auro circumspicit Oriona.

Isidorus etiam lib. III. Etymolog. *gladius est stellarum luce terribilis.* Hunc porro gladium proprio nomine Latini *iugulam* dixere, vt Festi Pompeii Epitoma. M. Varro *Iugulam* quasi iugulum à spacio quod inter iugulum & collum est, dictam vult. Vt autem Græci φάσγανον pro σφάγανον dicunt, permutatis literis: Si *iugulam* Latini, quod iugulum petat. Festo, quasi nux iuglandis. In Glossario vetere in voce *Iugulatores* πεζεταίτης exponitur: ἄστρον αἰγιαλεὺς ὡς Πεζάνιος ὡς φησιν. Ios. Scaliger in Festum legit ἄστρον αἰγιαλεὺς ὡς Ἀττιός φησι. Idque quia M. Varro lib. VI. de ling. Lat. *Attij* meminit. Sed quia *iugulam* vocat non Orionem, sed Orionem *iugulam*, legendum censeo ὡς Ἀκκιός φησι. Nam *iugulam* vocat Plautus Amphytrione Scena I.

Credo ego hac noctu nocturnum obdormiuisse ebrium,
Nam neque se Septentriones quoquam in cælo commouent.
Neque Iugula, neque Vesperugo, neque Virgiliæ occidunt.

Vel sic potius legam: Iugula ἄστρον αἰγιαλεὺς ὡς Ἀκκιος, ἢ Ἀττιος ὡς φησὶ Βάῤῥων.

Interpres Germanici Cæs. Cæsius Bassus nisi corruptus est, *incolam* vocauit. *Orion*, inquit, *incola dicitur, ante Tauri vestigia fulget, & dicitur Orion ab urina vel ab inundatione aquarum, tempore enim hyemis habet ortum, cùm mare & terras aquis & tempe-*

tempestatibus turbat. Hanc Romani iugulam vocant, eo quod sit armatus vt gladius. Iugula quidam pro *incola* substituendum putant; probabile id certè videretur nisi in præfat. eorum legeretur, *A sinistris Orionis, qui est incola, fluuius Eridanus sub pedibus Orionis, qui & incola dicitur*, & mox hoc loco subiicit: *hunc Romani iugulam vocant. Iugula* autem stellæ sunt in humeris & ceruice Orionis: tametsi Varro *Iugulam* propriè dicit esse in Orione, quà iugulus est: totum tamen Oriona sic vocat Manilius:

Nunc Cancro vicina canam, cui parte sinistra
Consurgunt iugula.——

Vehiculi Thensæ quale genus. Thensarum Nomenclator. CIC. *Verrinis allata lux.*

CAPVT VI.

DE thensis Festus Pompeius & Asconius Pedianus in CICERONIS Verrinas, qui & vocis etymon ritumq; explicat, vel ἀπὸ τοῦ θεοῦ thensa, vel à tentando, vt variè scriptam vocem etiam absque spiritu appareat. Sic enim ille: *Thensa sacra sunt vehicula pompa ordinum & hostiarum. Thensas alij à diuinitate dici putabunt, alij quòd ante ipsas lora tendantur, quæ gaudent manu tenere, & tangere qui eas deducunt*. Seruius autem Honoratus in illa Maronis:

——*Hic illius arma*
Hic currus fuit.——

Ait currum, quo secundùm Homerum in bello vtitur; aut thensam significat, qua deorum simulacra portantur. Apponam & Maronis verba è lib. II. Æncid.

——*pueri, innuptæq; puellæ*
Sacra canunt, funemq; manu contingere gaudent.

Tertullianus libro de Spectaculis: *Plaustrum Iouis* vocat eius thensam. Ordo autem thensarum ita procedebat, vt è Capitolio in Circum descenderet, vt ait Dionysius lib. VII. Antiq. Rom. & Suetonius in Vespasiano, ac Xiphilinus. Initium earum, Romanorumque erga eas religionem tradit Macrobius lib. I. Saturnalium. Ex qualibet porro materia factas ait Festus, nihil tamen vetat, quin credamus ligneas factas, ex ea arbore quæ cuilibet Deo sacra esset. Harum forma expressa est in Numismate apud Fuluium Vrsinum in gente Rubria, & Anton. Aug. libro de Antiquis Numism. Vnaquæque Thensa foramen in medio habebat, ad vinciendum impositas imagines, quod ex Varrone lib. VI. de ling. Latina colligo. Hinc pendent lora, quæ manu quisque tangere gestiebat, vt ait CICERO de Aruspicum respons. Maro, & Arnobius lib. IV. aduersus Gentes. Habitum porrò eorum qui deducebant vel vehebant, describit Tertullianus lib. de Corona, & Liuius lib. V. Quinam autem Dii in hac

thensarum pompa deducti sint, Dionysius refert: nec solùm Iupiter, Iuno, Minerua, Neptunus, & alii Dii maiorum gentium, sed etiam antiquiores, velut eorum Deorum dearumque parentes, vt Proserpina, Lucina, Nymphæ, Musæ, Gratiæ, Liber, Hercules, Æsculapius, & alii Semidei & Heroes, de quibus Ouidius lib. III. Erotic. Eleg. II. In his Thensis imagines Deorum erant velut in Throno constitutæ, vt ait Glossarium: *Thensa θρόνος*. Et paullò pòst: *Thensa ἅρμα θεῶν*, & Pacatus Panegyrico. Hanc gloriam in pompa sibi arrogarunt Imperatores, & in primis Cæsar: de quo Suetonius, & Dio. lib. LXIII.

Hanc porro pompam disponebat *Nomenclator thensarum*, si rectè capio verba Firmici Astronomicôn III. cap. XV. Quamquam *Nomenclatoris* nomen ita sumi non debeat, vt vulgò fit apud alios auctores, & maximè apud Horatium, *qui dictet nomina seruus*, sed pro eo qui nomina vniuscuiusque rei callet, vt est apud I.C. Hinc est quod in libris Plinii, vbi vulgò *nominis dator* legimus, habent antiqui codices *nomenclator*: Vel potiùs pro scriba publico, qui in registris scribit ea, quæ sunt sui muneris. Sic apud Symmachum *Nomenclator tuitionis* is dicitur, qui in Chartophylacio habet datas à Principe tuitiones. Quam autem partem apud Romanos vindicarit *Nomenclator*, patet apertè ex Tertulliano, libro de Spectaculis: *Quanta sacrificia præcedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius vrbis, in qua dæmoniorum conuentus consedit.* Et vetus inscriptio Romæ, qua & *Buccinator nominum* est, alibi:

SOLI INVICTO
SACRVM
T. POMPONIVS
REPENTINVS
NOMENCLATOR
TENSAR. IVGARIS
S. D. D. D.
DEDIC. XV. K. IVL.
MARVLLO, ET ÆLIANO COSS.
OB DEDIC. SPORTVLAS
DEDIT. SINGVL. * II.

Opida & vrbes interire. Sulpicius ad CICERONEM.

CAPVT VII.

SER. Sulpicius lib. IV. Epist. V. CICERONEM in morte filiæ consolans: *Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens cùm ab Ægina Megaram versus*

versus nauigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. Post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeus, sinistra Corinthus. Quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. Cœpi ego sic mecum cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, quorum vita breuior esse debet, cum vno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant. In eamdem sententiam L. Seneca, Philosophus elegantissimus, Epistola XCII. ad Lucilium, de Lugdunensis Coloniæ incendio, literariam consolationem adhibens, longa & diserta epistola; vnde hæc decerpsi: *Quoties Asia, quoties Achaia vrbes vno tremore ceciderunt? Quot oppida in Syria, quot in Macedonia deuorata sunt? Cyprum quoties vastauit hæc clades: quoties in se Paphus corruit? frequenter nobis nunciati sunt totarum vrbium interitus.* Et pòst: *Ciuitas Lugdunensis arsit opulenta, ornamentumq́ prouinciarum, quibus & inserta erat & excepta: vni tamen imposita, & huic non altissimo monti. Non vides quemadmodum in Achaia clarissimarum vrbium iam fundamenta consumpta sint, nec quidquam exstet, ex quo appareat eas saltem fuisse.* In Athenas aliasque vrbes euersas exstat hoc Epigramma in Virgilii Catalectis:

Quisquis Cecropias hospes cognoscis Athenas,
Quæ veteris fama vix tibi signa dabunt.
Hásne Dei dices cœlo petiere relicto?
Regia partitis hæc fuit vna Deis?
Idem, Agamemnonias, dices, cùm videris arces:
Heu victrix victa vastior vrbe iaces!
Hæ sunt quas meritò quondam est mirata vetustas,
Magnarum rerum magna sepulcra vides.

Ouid. Epistola I.

Iam seges est, vbi Troia fuit, resecandaq́ falce,
Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.

Et XV. Metam.

In species translata nouas, sic omnia verti
Cernimus, atq́ alias assumere robora gentes,
Concidere has: sic magna fuit censuq́ virisq́.
Nunc humilis, veteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitiis tumulos ostendit auorum.
Clara fuit Sparte, magnæ viguere Mycenæ,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces.
Oedipodioniæ quid sunt nisi nomina Thebæ?
Quid Pandioniæ restant nisi nomen, Athenæ?

Et de Populonia Claudius Rutilius Numatianus in Itinerario:

Agnosci nequeunt æui monumenta prioris,
Grandia consumsit nomina tempus edax.

Sola

Sola manent interceptis vestigia muris,
Ruderibus totis tecta sepulcra latent:
Non indignemur mortalia corpora solui,
Cernimus exemplis oppida posse mori.

Ausonius quoque:

Mors etiam saxis marmoribusq́ venit.

Verum de Opidorum Regnorumque interitu multa colligit Semestrium libro I. doctissimus Pet. Faber cap. IX. Sed quid plura? Illud verò quale est? non vrbibus modo, sed & ædibus ætatem attribui à Prudentibus Iuris, vt L. *15*. De oper. public. in C. Theod. & à Mamertino in Panegyrico: à Cassiodoro I. Variar. Epist. XXV. Macrobio lib. II. Saturn. cap. VI. Symmacho lib. I. Epist. IV. Sed quid mirum Vrbes, homines, interire atque occidere? cum & regnis atque imperiis ætatum gradus, atque adeò mundo seu vniuerso attribui videam, à Nasone I. Metam. Romano verò Imperio à L. Iulio Floro, siue is Annæus Seneca est, lib. I. Præfatione, & Ammiano lib. XIV. initio. Verba, vt cum Floro componantur, adscribere non pigebit: *Rom. populus ab incunabulis primis adusq́ pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur ferè trecentis, circummurata pertulit bella; deinde ætatem ingressus adultam post multiplices bellorum ærumnas Alpeis transcendit & fretum: in iuuenem erectus, & virum ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, reportauit laureæ triumphos. Iamq́ vergens in senium, & nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ discessit.*

CICERONIS *loca cum Æschinis* Oratione *contra Ctesiphontem comparata.*

CAPVT VIII.

NOTA in vulgus Æschinis ac Demosthenis περὶ στεφάνου aduersaria actio. In illa quidem hæc legens notabam. Eubulus ille, quem perstringit initio, vt flagitiosus etiam traducitur à Luciano dialogis aliquot, item ab Athenæo. Quod subiicit; ἀλλὰ ἀγαπᾶν ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τιμώμενον ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ μὴ ἐργολαβεῖν ἐν τοῖς κηρύγμασιν, id nimirum est, quod Latini dicunt, *non sequestrem esse*, hoc est, rem perficiendam suscipere, & inde lucrum facere. CICERO pro Plancio: *Cuius tu tribus & venditorem & corruptorem, & sequestrem fecisse planum clamitas.* Infra hoc ex Phœbi cortina profert Orator oraculum:

Οὐ πρὶν τῆσδε πόληος ἐρείψετε πύργον ἑλόντες
Πρὶν γε θεοῦ τεμένη κυανώπιδος ἀμφιτρίτης
Κῦμα ποτικλύζει κελάδον ἱεραῖσιν ἐπ' ἀκταῖς.

Quod apud Pausaniam in Phocicis legitur, sed aliquot verbis mutatis, quibus intellectu facilius est:

Πρὶν

Πέλει κἂν ἐμῷ τι μέρει κυανώπιδος ἀμφιτρίτης
Κῦμα ποτὶ κλύζῃ κελαδεῖν ἐπὶ οἴνοπα πόντον.

Deinceps Hesiodum sic commendat, vt à pueris ediscenda eius carmina, quæ virili ætati prosint, suadeat: Διὰ τοῦτο οἶμαι ἡμᾶς ὄντας παῖς Ἡσιόδου τὰς γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες ὄντες αὐταῖς χρώμεθα. Sic & Romani princeps eloquii M. TVLLIVS lib. VI. Epistolarum Leptam hortatur vt filium Hesiodi versum edoceat:

> Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν.
> *Virtutem posuere Dij sudore parandam.*

Mox: ὡς ἐκπεπληγμένος καὶ ἀθυμοῦντος καὶ χρησόκερων ἀποκαλῶν. Exemplar Aldinum non χρησόκερων sed χρυσόκερων legit. Sed neque hoc, neque illo pacto legendum, sed potius χρυσόχροον, vt de aureo colore intelligatur, scommate in pallorem Demosthenis è studiis contractum iocatus. Et statim, ταῦτα δ' ἦν ὁ πιστὸς κίναδος ῥήματα ἢ θαύματα. Ita legendum est non κίναιδος, idque manifestum est ex CICERONIS libro de Oratore perfecto, κίναδος verò vulpem astutissimam significat.

Contentius ambulare. CICERO *Tusculanis expositus. Nonius Marcellus castigatus, & L. Sisennæ historia.*

CAPVT IX.

MVLTA Nonius peccat. Fatendum est enim; sæpè etiam librariorum manus. Eius rei hoc capite exempla dabo, quæ mota sunt ab oscitantibus scribis: in voce *Contentum* M. Varronis locus de liberis educandis, duabus pòst paginis collocandus, quò pertinet, in dict. *Cibarius.* Quadrat enim cum illo loco CICERONIS V. Tuscul. de rege Ptolemæo: cui cùm peragranti Ægyptum, comitibus non consecutis cibarius in casa panis datus esset, nihil visum illo pane iucundius ferunt. *Cibarius* porrò panis est, à quo furfur excretum non est, quem Græci αὐτόπυρον vocant, teste Brodæo lib. IV. Miscell. cap. X. Sic Columella *cibarium oleum* pro vili, paruique pretii dixit. Cæterùm ne in priore Nonii loco hiatum relinquamus, credo equidem Nonium hunc CICERONIS locum, sui oblitum, cùm illum de pane cibario exscripsisset, in dict. *Contentum*, ponere voluisse, qui est in eadem Tuscul. V. *Socratem ferunt cùm vsque ad vesperam ad Piraeum contentiùs ambularet, quæsitumq; esset ex eo, cur id faceret: obsonare ambulando famem se dixit.* Quem idem locum malè exponit, pro continuus, perseuerans, cùm sit *contentiùs* pro concitatiùs, & vehementiùs.

Idem in Soni Nonius: *Soni & sonus, pro sonitus & sonu.* Lege, *Soniti & sonu, pro sonitus & sono* ex m. scripto quem inspexi Compluti, exemploque sic flagitante: vt Sisennæ lib. IV. Histor. *Postquam in sonu signorum prælium magno cum cla-*

more virorum commissum est. Qui locus mihi manum iniicit, vt alterum L. Sisennæ apud eumdem Nonium in *Saga*, ex lib. III. Histor. emendem: *Senatus auctoritate Sagaria nunc*: lego, *Senatuis auctoritate saga induunt.* Sic enim suprà paulò idem Marcellus in *Senatui* Sisennam dixisse adnotauit: quamuis vulgati etiam optimæ notæ ibi corrupti sint. Adscribam itaque locum emendatiorem, tum ex fide duorum manuscriptorum, tum efflagitantibus exemplis. *Senati vel Senatuis, pro Senatus. Sisenna Histor. lib. III. L. Calpurnius Piso ex Senati consulto duas nouas tribus. Varro de vita pop. Rom. lib. I. Posteaquam Q. Fabio Maximo Dictatore.* Locus mancus est, nec huc pertinet, nisi aliud addatur. Addo itaque ab ingenio: *Senati consultum factum est*, vel quid simile. Plura collegit Agellius lib. XIV. cap. XVI.

Idem, *Crebritudinem*, pro, *crebritatem.* Sisenna Histor. lib. IV. *Nam clandestina celeriter transigi, apud notos cogitata dici decet, non explanari.* Puto legendum, *celeritudinem pro celeritate*, in Sisenna verò *celeritudinem transigi* vt omnia quadrent; & ex eiusdem lib. V. Histor. supra aduocat Nonius, *celeratim pro celeriter, Quo magis celeratim poterant, in insidiis suos disponit.* Ennius *celere* dixit, Accius *celeranter.*

Choragium. Domuitio. CICER. *I. de Diuinat. Appuleii Milesia fabula è Fulgentio aucta. Reuersionem facere, & Reditionem.*

CAPVT X.

FVLGENTIVS de prisco sermone ad Chalcidium Grammaticum Timæi Platonis ecphrasten: *Choragium, virginale funus vocatur.* Suspicor *Coragium* scripsisse, & ἀπὸ τῆς κόρης καὶ ἄγω deriuasse. Festus scenicum instrumentum interpretatur. Argentatis choragiis P. Lentulus Spinther scenam adornauit An. post Rom. cond. ɔɔCXC. auctor Val. Maximus lib. II Memorabilium cap. IV.

Appuleius Apologia I. *Quid si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere isti me consueße tragœdi* (quidam libri *Gragidij*) *syrmate histrionis, Crotalone? Ad trieterica orgia mimi centunculo?* Et pro quouis apparatu Cornificius ad Herennium *gloriæ choragium* dixit. Laudat verò Appuleii locum Fulgentius: *Choragio itaque perfecto domuitionem parant.* Quæ cùm in Madaurensi scriptore iuncta non legantur, qui tamen *Domuitionem parare*, omnibus libris vsurpat; puto defecisse extremo lib. IV. in Psyches Cupidini desponsæ fabula: *Tadas*, inquit, *nuptiales, quibus præluxerant, ibidem lacrymis suis exstinctas relinquentes deiectis capitibus domuitionem parant*, vbi pro *deiectis capitibus*, olim *perfectis choragiis* legisse Afros illos existimabam; sed à librariis, vt solet, omissum verius est. Leg. itaque *deiectis capitibus, choragioq; perfecto, domuitionem parant.* Sic enim proximè

ximè supra: *Iam ferialium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur, iam tedæ lumen atræ fuliginis cinerem arcessit.* Quæ & ipse Fulgentius scripsit lib. III. Mytholog. *Perfecto namque choragio puella per montis decliuia, Zephyri flantis leui vectura delapsa, in quandam domum auream rapitur.* Idemque in *Pollinctor* ex Appuleii Hermagora hæc citat: *Pollincto eius funere domuitionem paramus.* vbi quidam libri: *Pollinctor eius funeri dum vnctionem parat.* Lucil. lib. xxvi. *Domuitionis cupidi imperium regis pœne imminuerunt*, apud Nonium in *Domuitio.* Pacuuius Hermiona; *Nam solis Danais hic domuitionem dedit.* Apud eumdem in *Obscenum*, Accius Astyanacte: *Hanc δικαιοπόλιν regionem fac desistere exercitum morari, & me à domuitione arcere, tam obsceno omine.* Sic enim leuiter immutabam, vt Matius apud Varronem lib. VI. de L. Lat.

Obsceni interpres, funestiq; ominis auctor.

Nec ab hac voce CICERONEM abhorruisse video, nisi à quibusdam interpolatus circumferretur, qui quæ non assequebantur, tamquam corrupta mutabant, & ad oram, quæ repererant, nimis officiosi addebant. Sic enim I. de Diuinatione: *Rhodiorum classi propinquum reditum, ac domuitionem dari.* Et apud Cornificium, seu quisquis est auctor, ad Herennium. *Atridæ domuitionem parant*, quod in vulgatis in *domi vltionem* vertit. Arnobius quoque lib. VII. *Quid domuitiones illæ volunt, quibus bene vt valeant Superi, auspicabili salutatione mandatis?*

Reuersio æquè proba vox, & amplius *Reditu.* M. Varro libro IV. de vita Pop. Rom. apud Nonium in *Anceps: Cæsar reuersionem facit, ne post occipitium in Hispania exercitus, qui erant, relinqueret; quò se coniiceret Pompeius, vt ancipiti vrgeretur bello.* Et M. TVLLIVS lib. XVI. ad Atticum Epistola VII. *Dij immortales quàm valdè ille reditu, vel potiùs reuersione mea lætatus?* Et Philipp. initio: *Exponam vobis breuiter consilium, & profectionis & reuersionis meæ.*

Frequens & *Reditio.* Idem Varro rerum humanarum libro XX. *Ad milites facit reuersionem*: vbi *reditionem* reperisse Nonium puto, in dictione *Reditus*, vbi de genere variantibus agit: sed, vt sollemne ipsi, malè descripsisse. Nam eodem libro Varro: *Omnes Tarquinios eiecerant, ne quam reditionis per gentilitatem spem haberent.* Nisi fortè συνώνυμα ponere Marcellus, vt aliàs sæpè, studuerit. Nam & in CICERONIS illo, *profectionis & regressionis meæ*, illum legisse obseruaui.

Silentium, superbiæ argumentum. CICERONI *lux.* *L. Floro medicina interpunctione allata.*

CAPVT XI.

MEMORABILE Tarquinii Superbi factum, qui filio ad Gabios transfugæ per nuncium nihil respondit, vt refert L. Florus, siue is Annæus Seneca est: *Filio Gabiis, vt voluerat, recepto, atq; per nuncios consulenti quid fieri vellet, eminentia fortè papauerum capita virgulâ decussit: cùm per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet, quæ superbiâ sic respondit.* Iornandes huius abbreuiator sic exscripsit: *ea superbia sic respondit, vt senserat.* Quidam vir doctus, *quæ superbia sic respondit.* Equidem malim è declamandi more Annæis perfamiliari, interiicere videri, vt aliàs sæpè, exclamando: *Quæ superbia? Cùm per hoc interficiendos esse principes intelligi vellet (Quæ superbia!) sic respondit.* Ad eumdem modum & lib. IV. cap. I. *Quibus id nefas sociis aggressus est Catilina; ipse patricius: sed hoc minus est, Curii, Porcii, Sullæ, Cethegi, Autronij, Varganteij atque Longini, (quæ familiæ! quæ senatus insignia!)* Idem Florus lib. III. De bello Gallico verba faciens: *Quæ Ariouisti Regis superbia? Cùm Legati dicerent, Veni ad Cæsarem*: Superbiæ autem argumentum est nihil respondere. Sic CICERO L. Valerio I.C. iocans extremo libro I. Epist. ad Famil. *Qui istinc nunc veniunt, partim te superbum esse dicunt, quod nihil respondeas; partim contumeliosum quod malè respondeas.* Item C. Trebatio Iure-consulto & ipsi lib. VII. Epist. XVI. *Qui istinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere.* Et eidem, in Topica præfatus: *Etenim cùm tu mihi meiq; multa sæpè scripsisses, veritus sum ne, si ego grauarer, aut ingratum id aut superbum videretur.* Item Tusculana I. *Quid si te interrogauero, nonne respondebis? superbum id quidem est, sed nisi quid necesse erit malo non roges.* Quæ cùm ita sint, superbi semper est habitum ingenii, minime dignari responso.

Auerruncus Deus. Dii meliora. Dii perduint. Aricinæ mentes, CICERO *illustratus. Nonius, Fulgentius, & Appuleius sæpius emendati.*

CAPVT XII.

LVCILIVS apud Nonium lib. XXVI. Satyr. *Dij maluerint meliora atque amentiam auerruncassint tuam.* Sed Festus Pompeius in *Verruncent,* hoc Pacuuio adscribit. M. Varro de lingua Latina lib. VI. *Ab auertendo,* inquit, *auerruncare, vt Deus, qui eis rebus præest, Auerruncus.* Idem & *Auruncus* est. In glossario veteri θεὸς ἀποτρόπαιος. Et alibi ἀλεξίκακος. Fulgentius in *Fabre* pro *eradicare* exponit. Festus verò & Nonius *verruncent,* pro *vertant,* Accius Æneadis:

Te San-

Te Sancte venerans precibus inuicte inuoco,
Portenta, vt populo, patriæ, verruncent bene.

Persius Sat. V. *Depellentes Deos appellat.* Appuleius de Socratis dæmonio: *Qui tibi queat tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coram. cùm vsus postulat, mala auerruncare, bona prosperare.* Sic enim in veteri libro melius quàm excusis *auertere*, quod suprà adscriptum à semidocto receptum in seriem, altero de possessione deturbato. Antidamus in Moral.ib. *Fabre compactum animal hominem quis ferat, sic ex re pecuatum? quis auerruncassit tam Aretinas hominum mentes?* Vbi quidam *arretinas* tentarunt, alius *Aretinas.* Atqui Fulgentius testeas vel argillaceas *Aretinas* exponit, & *pecuatum*, stultum. Idemque lib. I. Mytholog. *Sunt qui spreta capitus generositate Atricinis atque Arcadicis sensibus glandium quippiam sapiant, atque eorum altiori stultitia nubilo, superata caligentur ingenia.* Vbi *Eretinis* Basil. editio præfert. Scriptus, quem vidi, codex, *Aricinis*: vt ad *Aricium nemus*, cui & Diana præerat, respiciat, vbi glandium copia. Sed ἄλις δρυός. Iterum vapulet Marcellus, cedo alteram vitem, quoniam in hac militia Centurionis ius occupauimus. Lucilii illa totidem verbis eodem loco, sui oblitus CICERONI adscribit, quæ tamen nusquam exstant, nisi quod lib. IX. ad Atticum Epist. XI. & quidem verbis, vt apparet, Attici vsurparit. *Contra igitur? Dij inquis, auerruncent:* quasi, Ne Dii siuerint. Sed hæc ῥᾳθυμία Nonio solemnis, non longè abiero. In eodem ipso Lucilio lib. XXX. in dict. *Imberbis* pro *imberbes*, & *Sexcentum:*

Maximus si argenti sexcentum ac mille reliquit
[*Maximus si argento*] *Imberbi, Androgyni, barbati,*
Mœcho cinædi.

Nisi sunt ab oscitantibus librariis, vt solet, repetita, nec obliterata, ne scripturam venalem deformarent: quod obiter moneo, quia ab Hadriano Iunio tentatum frustra videam. Prouerbii verò speciem habere ex Arnobio doctissimo scriptore didici, lib. 3. aduersus Gentes: *Procul vt dicitur, auerruncetur amentia.* Et lib. III. *Namque hæc mala, quibus vror, torreor, gestiò numinis auerruncare clementia.* Vt & illud: *Dij meliora*, vel *Dij melius:* quod apud omnes maiorum gentium poëtas occurrit, vt exempla colligere putidæ sit diligentiæ. In scripto Nonio Complutensis bibliothecæ legitur, *Dij mi nuerint meliora*, pro *mihi annuerint*: vincat tamen Varronis lib. VI. de L. Lat. & Festi in *auerruncent* auctoritas, & Nonii ipsius, qui in *monerint* pro *monuerint* ex Pacuuii Chryse cum Varrone & Festo eodem laudat, cum Lucilio CICERONIq. suprà adscripsisset. Nec audiendi, qui *Dii munera dent meliora* reponendum docuerunt. Sed quoniam Dii in scenam inducti, eadem opera Madaurensis alterum locum sanemus, Apologia II. vbi in Herennium Rufinum calumniæ reum, moresque eius impudicos acriùs inuehitur: *In iuuentute saltandis fabulis exossis planè & eneruis, sed, vt audio, indocta & rudi mollitie. Negatur enim quidquam histrionis habuisse, præter impudicitiam. In hac etiam ætate, qua nunc est, qui istum deperduint, multi sunt: honos auribus*

præfandus: domus eius tota lenonia est. Sic Basil. editio omnium postrema. Florentina, *qui istum dependuint multus honos.* Emendo: *qui istum Dÿ perduint, multus honos auribus præfandus.* Natum mendum quod *Dÿ*, & *DI*, vnica litera longa veteres scriberent: quæ formula etiam Plauti est, quem studiose Afer ille affectatur. Ennius Telepho apud Nonium in *Mactare*: *Qui illum Dÿ Deaq́ magno mactassint malo.* Et Turpilius Leucadia, apud Nonium in *Confidens*: *Videtur Phrygius incessus, quàm est confidens? Dÿ istum perduint.* Sic enim obiter concinno. Terentius: *Vt illum Dÿ Deaq́ senium perduint, qui me hodie remoratus est,* & in Heauton. Scen. VI. Act. IV.

Vt te quidem Dÿ deaq́ omnes, quantum est Syre,
Cum istoc inuento cumq́ incæpto perduint.

Et in Phormione Act. I. Scena II. *Homo confidens: illum Dÿ omnes perduint.* In Hecyra Act. III. Scen. 4. *Cadauerosa facies. Dii illum perduint.* Vtitur & M. TVLLIVS restituente Iac. Cuiacio Iureconsultorum coryphæo, lib. Obseruationum XII. cap. 32. ex I. Catilinaria, & pro Deiotaro.

C. Plinii Præfatio Poetarum versibus, & M. TVLLII *loca declarata.*

CAPVT XIII.

C. Plinius audaciam dedicandi operis Tito Vespasiano Cæsari purgans: *Hanc*, inquit, *tibi imputabis, & in nostra culpa tu tibi ignosces.* Malim equidem legi, *& in tua culpa tibi ignosces.* Et verò facilis erat librario corrumpendi ansa obiecta, cum ex *tua* facilè *nra*, hinc denique *nostra* exscribatur. Ausonio idem in mentem venisse video, culpam deprecanti ad Imp. Theodosium:

Tu modo te iussisse pater Romane memento,
Inque tua culpa tu tibi da veniam.

Idem historicus Titi Imp. modestiam laudans, qui secunda fortuna nihil factus erat elatior, vt & Suetonius ait cap. XIV. Dictus est enim ob morum suauitatem & elegantiam, *Amor & delicium generis humani. Nec quidquam*, inquit Plinius, *in te mutauit Fortunæ amplitudo, nisi vt prodesse tantundem posses, quantum velles.* Quis non videt M. TVLLII locum in Ligariana extrema expressisse? *Nihil habet nec Fortuna tua maius, quàm vt possis; nec natura melius quàm vt velis conseruare quamplurimos.* Et pro Marcello, initio: *Totum hoc quantumcunque est, quod certè maximum est, totum est tuum. Quinetiam illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna, in istius se societatem gloriæ non offert: tibi cedit: tuam esse totam, & propriam fatetur.* Ibidem Plin. *Etiam non assecutis voluisse abundè pulcrum atque magnificum est.* Expressit illud Propertij lib. II. Eleg. x. ad Musam:

Quod

Quod si deficiant vires, audacia certè
Laus erit: in magnis & voluisse sat est.

Extrema Epistola: *Quia verò occupationibus tuis publico bono parcendum erat, quid singulis contineatur libris huic Epistolæ subiunxi.* Allusit fortean ad Horatium, qui in Epistola Lib. II.

Cùm tot sustineas & tanta negotia solus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in commoda publica peccem,
Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar.

FORTVNA REIP. & POPVLI ROM. Fortuna huiusce diei. Fortunæ cedere.

CAPVT XIV.

FACTVM est singularibus notis, litterarumque compendijs tot scripturæ varietates in CICERONIS editiones esse propagatas, vt, P. R. *populi Romani*, P. R. *Prætorem* designaret; contra inuersæ litteræ R. P. *Rempublicam* notarent. Sæpe etiam species præsumpta, & retro legatur, sexcenta id genus alia. Eius nunc rei specimen dabo. Nescias vtrum rectius sit *Fortuna Reip. an populi Rom.*

I. Sic enim in Miloniana: *Dura mihi Fortuna Populi Rom. & crudelis videbatur, quæ tot annis illum in hanc Remp. insultare videret, & pateretur.* Et in Maniliana: *Quod denique genus belli esse potest, in quo illum non exercuerit Fortuna Reip.* Et mox: *Amisissetis Asiam, Quirites, nisi ad id ipsum temporis diuinitus Cn. Pompeium ad eas regiones Fortuna P. R. attulisset.* Catilin. I. *Quis nescit sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed Fortunã Reip. obstitisse?* vbi Muretus ex antiquis codd. *Fortunam P. R.* verius esse putat forte quia Plutarchus singularem *De fortuna populi Rom.* commentarium edidit. Rursum Philippica II. *Sustulit illum diem Fortuna populi Ro.* Et lib. X. epist. 10. ad Plancum. *Quamquam vno prælio [Mutinensi] fortuna Reip. disceptat.* Et hic vicissim Ciceroni Epist. 25. *Si nos mediocris modo Fortuna Reip. adiuuerit, & audacia perditorum, & nostra sollicitudinis hic finem reperiemus.* In Catilinario bello Sallustius: *Allobroges diu incertum habuere quidnam consilij caperent. In altera parte erat æs alienum, studium belli, magna merces in spe victoriæ. At in altera maiores opes, tuta consilia pro incerta spe, certa præmia. Hæc illis voluentibus legatis Allobrogum, tandem vicit Fortuna* P. R. Corn. Tacitus Sallustij æmulus lib. IX. *Adfuit, vt sæpit alias, Fortuna populi Ro.*

II. FORTVNA P. R. in antiquis spectatur numismatib. Rom. item FORT. HVIVSCE DIEI, etsi Libro Greg. Girald. in Deorũ censu ignota, nota Brissonio, in Formu-

Formulis, ex Iulii Obſequente, & Paulo Leopardo lib I. Miſcellan. cap. 14. è Plutar. in Mario, P. Victore de Vrbis regionibus, Plinio lib. XXXIV. cap. VIII. & Adr. Turnebo lib. XVI. cap. XII. Item FORTIS FORTVNÆ meminit M. Tullius in Legibus, & alii. Annibal viſo fratris Aſdrubalis capite, *Vinci ſe Fortuna Karthaginis* confeſſus eſt; & Fortunæ gratias egit L. Æmylius Paulus Macedonicus, duobus amiſſis liberis, &c. Scriptor de Viris Illuſtr. cap. XLVIII. & LVI.

III. *Cedere* verò *Fortunæ* idem Salluſtius ait, vt *Vinci*. Catilina enim ſe falſis criminibus circumuentum ait; *Quoniam factioni inimicorum reſiſtere nequiuerit, Fortunæ cedere*. Rurſumque Tacitus lib. XIX. *Vitellianorum animi, & vt quiſque ordine anteibat, cedere Fortunæ*. Puta Reip. Sed hæc hactenus.

M. Antonii vinolentia, & violentia *variis oſtenſa locis M. Tullii*. Euomere.

CAPVT XV.

INCERTVM & illud Lectori relinquitur an in Philippicis Tullianis *violentiam* an *vinolentiam* M. Antonii Triumuiri, eius qui CICERONEM percutiendum immaniter curauit, vel vtramque potius agnoſcas. Verum cum *vehemens*, aut *furens* additur, *violentus* potius appellandus, itaque legendum videatur; ſed nondum mihi facio ſatis, aliis itaque hæc expendenda loca, pridem collecta, relinquo.

Sic itaque Philippica ſecunda, quam *diuinam* appellare Satyricus non dubitat: *Nec verò te vnquam neq; vigilantem, neq; in ſomnis credo poſſe mente conſiſtere, neceſſe eſt, quamuis ſis, vt es, violentus & furens, cum tibi obiecta ſit ſpecies ſingularis viri perterritum de ſomno excitari, furere etiam ſæpè vigilantem.* Ambiguum hic vtrum legas: niſi ſi *vinolentiam* ſubſequi *vim* ſolere dixeris. Sic paulò antea: *In cœtu populi Rom. negotium publicum gerens Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis oſculentis vinum redolentibus gremium ſuum & totum tribunal impleuit.* Et pòſt: *Nec eſt ab homine numquam ſobrio poſtulanda prudentia.* Et: *Quidlibet, modo ne nauſeet, faciat; quod in porticu Minucia fecit.* Iterum: *Quid prandiorum apparatus, quid furioſam vinolentiam tuam proferam?* Et: *At vero te inquilino, non enim domino, perſonabant omnia vocibus ebriorum. Natabant pauimenta vino: madebant parietes. Ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matresfamilias verſabantur.* Philipp. III. de Lucio fratre: *Ipſe ſe, vt fratrem imitetur, vino obruit.* Philippica quoque VI. *Noui vinolentiam, noui impudentiam.* Sic enim Gab. Faernus hic legit, & quidem cum quinta vocali *vinulentiam*: vt & proxima pag. *Quo furor, quo vinulentia.* Sic cum Faerno Ant. Auguſtinus V. Cl. etſi diſſentiant hic Vrſinus, Muretus, & Lambinus libro V. in eumdem M. Antonium: *At ille homo vehemens &*

violen-

violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet, inimicitias mihi denunciauit. Vbi & *vinolentus* alii legunt. Si quis tamen pertendat, tueaturque obstinatè *violentiam* hic esse retinendum, equidem non pugnabo. Philipp. XII. *Noui hominis furorem, noui effrenatam violentiam: cuius acerbitas morum immanitasq́ Natura ne vino quidem temperari solet.* Et XIII. *Quem vini anhelitum, quas contumeliasq́ fore censetis, minasq́ verborum?* Et: *Neque illius diei memoriam perhorrescit, quo ausus est vino obrutus, vnguentis oblitus, nudus gementem populum Rom. ad seruitutem cohortari.* Confirmatur & Epist. 25. lib. XII. ad Famil. *Vinolentum furorem* M. Antonii Cornificio deprædicat: *Sic sum*, inquit, *in Antonium inuectus, vt ille non ferret, omnemq́ suum vinolentum furorem in me vnum effunderet: neq́ cum elicere vellet ad cædis caussam, tum tentaret insidiis. Quem ego ructantem & nauseantem conieci in Cæsaris Octauiani plagas.* His igitur locis detestanda M. Antonii III. Viri meritò notata ebrietas est, simul & vis: quæ ferè mala vitiaq; inuicem comitantur. Est.n. cum in omni vita dedecorosa temulentia, tum etiam in castris, in quibus se ipse mediis in armorum periculis ingurgitabat: & cum M. Ciceronis filio, post patris necem, hac in re de palma contendit. Sic enim lib. XIV. extremo C. Plinius: *Nimirum hanc gloriam Cicero F. auferre voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum auidissimè apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus, approbauit plane quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id volumen euomuit:* (proprium huius rei vocabulum, quod explicat Pet. Victorius lib. XXII. Variar. lect. cap. 14.) *Quo facilè intelligatur ebrius iam sanguine ciuium, & tanto magis eum sitiens.* Adhæc Plutarchus in Antonio, ὡραίως reprehendit compotationes, siue *tempestiuas* eas reddere, siue *intempestiuas* libeat. Vtroque enim modo verti, & intemperantes significare video, etiam in Catonis cænis, apud Ciceronem de Senectute. Velleius Paterculus Liberum se patrem vocasse, hædera redimitum auctor est, & pluribus Seneca Rhetor noster in Suasoria I. vbi plura notabamus olim, quæ repetere non est animus. Terram enim nauigans, portumq́ue conspicio.

Recipere. Nihil quidquam. Quidem, *exauditum. Vulgata* CICERONIS *Tusculana I. contra Lamb. defensa lectio: plura emendata.*

CAPVT XVI.

TVSCVLANAS disputationes, vt ipse Cicero nominat libentius quam Quæstiones, à Christiana re minime abhorrere in confesso est, maximè verò primus ille liber, qui est de Morte contemnenda, animorumq́ue immorta-

talitate. In hunc denuo obseruata quædam à clariss. Scioppio, nobisque missa apponam non grauatè.

I. *Num sanguinem*, inquit, *bilem, pituitam, ossa, neruos, venas, omnem denique membrorum & totius corporis figuram videor posse dicere, vnde concreta, & quomodo facta sint.* Offendit Lambinum sic locus, & nominandi casu repugnantibus atque inuitis libris omnibus commutat: *Sanguis, bilis, pituita, &c.* vel Hellenismum esse affirmat: Ego verò cum Latinos scriptores sic interdum accusandi per nominandi casus ἀντίπτωσιν adhibuisse ostendam, tum ipsum etiam M. Tullium non raro. M. Plautus enim Menæchmis: *Ego illum scio quam cordi carus sit meo.* Et in Epidico, ac Curculione verbis eisdem:

Ego illum quem quærit, ego sum.

Et rursum in Epidico: *Exitiabilem illi faciat vt fiat diem.* Frequens id M. Accio in Mostellaria, Persa, & Pseudolo, quæ non colligo. Familiare item P. Terentio: *Illum vt viuant, optant.* Sed quid externa colligo? Suppetunt enim domestica M. Tullii exempla: Agraria II. in Rullum: *Quæ est ista æquitas, ceteros agros, etiamsi priuati sint, permittere vt publici indicentur, hunc excipere nominatim?* Lib. IV. ad Famil. epist. I. *Rem vides, quomodo se habeat.* Et XIV. ad Attic. epist. 21. *Nosti virum tectus quam sit.* C. Cæsar lib. I. belli Gallici: *Rem frumentariam vt satis commodè supportari posset, timebat.*

II. Infrà: *Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur.*] In membranis antiquis est: *ne interire igitur*: Rectius, pro, ergo ne interire quidem: vt τὸ *quidem* exaudiatur, vt in illo Liuii lib. XLIV. *Neq. enim ne his cunctationem aperuerat suam*, id est, ne his quidem.

III. Pòst: *Secernere autem à corpore animum nec quidquam aliud est, quam emori discere.* In vett. codd. vidit Lamb. legi, etsi improbet temere, *nihil quidquam aliud est*: est tamen Maffriani lectio libri peruetusti. Et adeò ipse Cicero alibi: *Quo cum in vita nihil quidquam egregium assequetur.* M. Plautus Mercatore: *Nihil inuestigo quidquam de illa muliere.* Rursum: *Nihil relicti quidquam aliud.* Et Bacchidibus Act. IV. Scen. IX.

Nihil ego tibi hodie consilii quidquam dabo.

Alter Comicus Latin. Terentius:

Comperi nihil quidquam ad Pamphilum attinere.

Idemque *Nemo quidquam*, pro Nemo.

IV. Inf. *Num vis igitur audire, cur, etiamsi ita sit, mors tamen non sit in malis?* Lego è membranis: *Numne vis igitur audire, cur etiamsi ista sint, mors tamen non sit in malis.* Tullianum id, *Sunt ista*, pro ita se habent, & τὸ *vera* exaudiendum. Sic lib. I. Academic. quæst. *Tunc ego: Sunt inquam ista, Varro.* Et in Lælio: *Sunt ista, Læli. Non enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior.* Plautus Asinaria:

Estne

Esstue hoc vt dico? Et alias sæpè *Esse* pro verum esse, in Epidico, Mostellaria & Pseudolo, quæ prætereo, quando Ciceroniana satis sunt. Homerus Iliad. *α*. ver. *373*.

οὕτω πη πάντ' ἐστὶ φίλον τέκος, ὡς ἀγορεύεις.

Nimirum vt dicis, nate ô carissime, sunt hæc.

Statim: *Cuius etiam similis P. Crassi, & sapientis & eloquentis, & primi hominis nepos.* Illud & *primi hominis*, amplius in scripto cod. est: itaque Verrina VI. *A Lysone Lilybetano primo homine.* Et inf. *Non reor, non illis, si vita longior daretur, posset esse iucundior.* Lambin. *non vllis.* Libri vett. *nullis* & melius fort. *iucundius.* Et post non longè de Socrate: *cui venenum præbuerat, præbiberat* multo rectius. Hoc enim est *προπίνειν*, quod antecessit.

V. *Neq; sepulcrum, quo recipiat, habeat, portum corporis.* Dion. Lambinus mutat, vel *quod recipiat*, vel *qua recipiatur* tentando: at eo te metu, bone vir, libero. Vetus enim est *Recipere*, vt & *Emergere* pro *se recipere* prouocabulum *se* vtrinque sæpè eleganter subaudiendo, & familiare Comicis, vt Plauto in Asinaria, & Trinummo: In Mercatore, Act. 2. Sce. 4. v. *30*.

Actutum face cum præda vt recipias.

pro, domum redeas. Nam & ibi Lambin. perperam immutat. Et Rudente, Act. 3. Scen. vlt.

Suadeo vt ad nos adeant potius, dum recipis.

id est, redis. Sic Bacchidib. *Rursum in portum recipimus.* Vbi *cursum* pro *rursum* qui reponunt eos Latinè loqui & antiquos legere Scriptores atque obseruare iubeo. Terentius integrè Phormione: *Ad portum se recipiat frater.* Et sæpius Plautus: *Et, domum se recipere.* Sequenti versu, pro *à malis*, quia Trochaicus est versus, *malis* repono:

Vbi, remissa humana vita, corpus requiescat malis.

Pòst non longè amplius est vox *viui* in membranis:

Vt mortuorum corpora nihil sentire viui sentiamus.

In reliquos Tusculanar. libros Animaduersio. Inuidere, *quid Attio: Cicero notatus.*

CAPVT XVII.

NON depono de manibus Tusculanas, etsi amphora instituta exeat vrceus. Conatus & voluntas laudabitur. Libro III. Tuscul. qui est de lenienda ægritudine: non ita procul à limine sic editur ex Lege XII. Tabb. SI FVRIOSVS ESSE INCIPIT. Subiicit: *Stultitiam enim*

consuerunt, id est, inconstantiam sanitate vacantem. Rectius in vet. Cod. *Stultitiam enim censuerunt constantia, id est, sanitate vacantem.*

II. Infrà ex Attio: *Florem quisnam liberûm inuidit meûm? Male Latine videtur, sed praeclarè Attius.* Imo praeclarè; da veniam M. Tulli. Nec enim quid sit Attio *Inuidere* non satis videris assecutus. Non est etenim, vt tu vis, valde, & vno hærentem obtutu inspicere aliquid, sed fascinare, vt Maro dixit:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Hoc enim est, quis inuidet agnos? Itaque *Inuidere aliquid*, & *Inuideri ab aliquo* Latine dicitur. Vt Q. Horatius, non tamen pro fascino, in Arte poet. vers. 55.

——Ego cur acquirere pauca
Si possum, inuideor?

Catullus autem cum dixisset Epigr. V.

Conturbabimus illa, ne sciamus
Aut ne quis malus inuidere posit.

Mox Epigr. VII. sic repetit:

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

An id ergo Cicero ignorauit? Potest cuiuis hoc nostrum in lingua vernacula, vt vocum quarundam origines ignoret, vsuuenire.

III. Inf. *Atq; hoc idem & Telamon ille declarat:*
Ego cum genui.——

Et Theseus:

Futuras mecum commentabar miserias.

Nihil amplius in membranis, & satis erat primis locum verbis indicasse, qui supra iam integrè repræsentatur. Et statim: *Intellecto eo, quod remedium illud continet malum, quod opinatum sit esse maximum.* In scripto lib. erat: *quod rem illud continet*; Forte, *quod rem illam*, verum sit.

LIB. IV. ad medium.

IV. *Dicimus grauedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia semper sint, sed quia sæpè sint.* Scriptura vetus verior: *non quia iam sint, sed quia sæpè.* Pag. sequ. *Est autem quadam animi sanitas* (Turneb. *insanitas* legit) *quæ in insipientem etiam cadat, cum curatione medicorum perturbatio* (Lamb. *conturbatio*) mentis *aufertur.* In meo Cod. est: *cum curatione & perturbatione medicorum conturbatio mentis aufertur.* Sed supra scriptum erat *& gubernatione* loco *perturbatione.* Neque enim quia vulgaris Italorum idiotismus id agnoscit, continuo minus Latinum videri debet.

V. Inf. extremo libro: *Quæ igitur hæc erit moles? audi.* Ita Lamb. censuit leg. In antiquis tamen constanter multitudinis numero femin. *Quæ igitur hæc erunt moles.* Pòst paulò: *Potest vtilis esse insania? At naturalis est. An quidquam potest esse*

esse secundum naturam,&c. In libro peruetere: *An naturalem hanc quidquam esse secundum naturam,quod sit repugnante ratione.* Nondum tamen rectè. Rectius fortasse sic interpungas: *Potest vtilis esse insania ac naturalis? aut quidquam esse secundum naturam, quod sit repugnante ratione. Aut* etiam alibi in Cic. pro *An*, reperias vel inuitis literatoribus: vt in antiq. libris lib. XV. ep. 21. ad Famil.

LIB. V. Tuscul.

VI. *Caue enim putes, vllam in Philosophia vocem emissam clariorem.* Malim, quod est in membranis, *à Philosophia.* Statim: *Item beatam vitam, etiamsi ex aliqua parte claudicaret, tamen ex multo maiore parte obtinere nomen suum.* In vetustiss. codice integrè erat *claudere*, teste doctiss. Scioppio, *clauderet*: quam vocem asserit ipse Notis ad Symmachi Epistolas, post I. Lipsium; repugnante licet Ios. Castalione in Variis.

Infrà de Archimedis sepulcro à se inuento Syracusis gloriatur Orator, quam à capite narrationem arcessit, altiusque repetit, vt de Philænis fratribus in Iugurthino bello Sallustius, vt obseruat Victorius lib. X. Variar. Lect. cap. 23. *Est*, inquit Cic. *ad portas Agragianas magna frequentia sepulcrorum.* In nostris libris ita legitur: *Est enim à porta sagra Agragianas.* Verum quanta hic scripturæ varietas, colligit in Præmessis Iac. Schegkius, quem adi. Extremo lib. de Homero cæco, ac cæcitate differens: *Quid ergo Homero ad delectationem, aut voluptatem, cuiquam docto defuisse vnquam arbitramur?* Sic in vett. libris breuius quam vulgatur, atque concinnius. Et mox: *Epicurei nostri Græcè fari nesciunt*, melius inibi, *Græcè fere nesciunt.* Et in Tusculanas quidem hactenus.

Quantiuis. Tamen, *pro tandem.* Fama, *pro infamia.* Consolidare: *consolidatæ rationes.* Lucellum. IN EPISTOLAS CIC. *ad Familiares disquisitum, & à Manutio dissensio. Terentio lux. Sallust. correctus. Glossema sublatum.*

CAPVT XVIII.

BEne de M. Tullio, omnique adeo re literaria Manutiorum tribus ordine doctissimis hominibus clara familia merita est, si quæ alia ad hanc diem vnquam; optimè vero Paulus, Aldi maioris F. qui & Commentariis Ciceronem doctis iuxtà ac laboriosis sic illustrauit, nihil vt posteris reliquum fecisse videatur, potissimum verò eas quæ ad Familiares sunt Cic. Epistolas ingenti labore explanauit: in quibus tamen, rarius tamen, dum euoluo, discedere ab eo, modestè tamen, cogerer, iudicium aliis permittendo. Libro VI. Epist. XX. Cic. Toranio:

I. *Ne illud quidem non, quamuis subito, cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci.* Mendo vacare locum Paulus pronunciat; ego verò planiorem hanc in membranis lectionem, vt ad acumina, singulariaque Oratoris confugere nihil sit necesse, repperi: ne illud quidem, *non quantiuis*, subito cum certi aliquid audieris, vt τὸ *precii*, vt alias sæpius, exaudias, nec *quamuis* hic aut *nec non* opus est.

LIB. VII. Epist. XXXI.

II. *Veni igitur, quæso, ne tantum semen vrbanitatis vna cum Rep. intereat.* Manutius *tantum* reposuit. In meo *tamen* repperi scriptum, aliique idem confirmant. Probum nihilominus, iustæque monetæ. Sallustius eius æqualis sic *tamen* pro *tandem*, & Cic. fortasse in iis scriptis quæ interciderunt, adhibuerunt. Sic enim lib. III. Historiarum apud Nonium Marcellum & Arusianum Messium: *Nam qui enare conati fuerant, icti sæpe ferramentis nauium, aut vulnerati à suis, aut adflicti alueos vndarum vi, multato fœdè corpore, postremo tamen periere.* Vbi, vt παρόδως moneam, τὸ *alueos*, quod à Nonio abest, intrusumque videatur in *alias* mutabam. Terentius in Andria Act. 4. Sc. 1.

Quibus modo in denegando pudor est paulum,
Post vbi est tempus promissa perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt & timent
Et tamen res eos cogit denegare. Idem:
Perfice vt hæream aliqua in parte tamen apud te.

LIB. VIII. Epist. vlt.

III. *Quod vtinam aut Ap. Claudius in ista parte, aut C. Curio: cuius amicitia me paulatim in hanc partem causam imposuit.* Locum deprauatum vidit Manutius, & desperabundus de emendatione asteriscum adiicit, aliisque eius curationem mandat, appositis & variis loci Scripturis membranarum. Conabor sanare ope libri perantiqui, in quo ita scriptum: *Quod vtinam, vt Appius Claudius, in ista parte C. Curio, cuius amicitia me paulatim in hanc [partem causa] imposuit.* Et rectè quidem, nisi quod glossema illud, furcillis pellendum, *partem causa*, vel certè *causa:* ex ora alicuius intrusum, locum adhuc inquinet: Duas reddit Cælius causas cur partes Cæsaris fuerit secutus. Vnam, amorem Curionis, quem optat ad Cn. Pompeii partem, sicut Appius fecerit, transiisse. Alteram, quod sibi Cicero nihil consilii impartitus fuerit. Addit: *Tum tu porro:* id est, adhæc, insuper. Suspicor, *partem, al. causam* à librariis scriptum fuisse, &, vt fit, vtrumque in contextum receptum locum mirè conturbasse.

LIB. IX. Epist. XVI. Papirio Pæto.

IV. *Effugere autem si velim nonnullorum acute aut facete dictorum offensionem, fama ingenii mihi est abiicienda.* Vetus noster liber melioris notæ præfert: *aut facete di-*

cete dictorum famam, fama ingenii mihi est abiicienda. Quomodo & alios in suis repperisse Codd. refert Manutius, sed *offensionem* mordicus tuetur. Ego verò antiquam amplector scripturam, itaque interpretor, se, vt maximè velit, famam illam acute dictorum effugere non posse, cum subito animaduertat C. Cæsar, quid vetè, à Cicerone sit profectum. Dicax enim habitus, dicusque ab æqualibus Orator est, vt in Vindiciis Ciceronianis cap. V. disserui.

LIB. V. Epist. XX. Rufo.

V. *Illud quidem certe factum est, &c. quoniam ita necesse erat, rationes confectas & consolutas deponeremus.* Ita quidem & in vet. lib. & in editis. Lambinus *confectas & consolidatas* se in suis, haud scio an manuscriptis, repperisse testatur: sed quoniam vocis insolentia offenditur Manutius, age, Asconio Pædiano bono Latinitatis auctori etiam familiarem fuisse ostendamus. Sic enim in III. Verrinam: *Quadrarint, solida facta fuerint, vt neq. plus quidquam, neq. minus inueniatur in summa. Vbi enim ratio sine fraude est, difficile est sexcenta detractis quadringentis quadrari, vel solida fieri, quia minus aut plus aliquid reperiatur.* Est ergo *solidare*, aut *consolidare rationes*, quod vulgò Itali dicunt, *Soldar il conto.* Vt est à clariss. Scioppio animaduersum notatumque, ne sua quenquam fraudasse laude videamur. In eadem Epist. *Nam de Logico est ita actum.* Ios. Scaliger ingeniose, vt omnia diuinauit: *nam de Lucello*, cuius vestigia in nostro Cod. *de Lucretio.* Et statim: *Sed si quid est, cum delegero, Lucello* idem felici coniectura reponebat.

IN reliquos Epist. ad Famil. libros. T. Ampius belli tuba ciuilis. Vetustas. Andabata. De Giaro, pro E X, sic De Ponto *Ouidius. Postridie Ludos.*

CAPVT XIX.

FVNEM reduco, & librorum priusquam de manibus depono, spicas denuo lego. Fauete linguis.

LIB. II. Epist. XVI. Cælio Ædili Cur.

I. *Non enim te celaui. Sed nonne tum prouidisti, quam abhorrerem ab Vrbe relinquenda?* Vetus Cod. quo & Scioppius V. Cl. est vsus sic legit: *Non enim te celaui sermonem T. Ampii. Vidisti quam abh. ab Vr. rel.* Rectè vt opinor. Nam hunc Ampium *tubam belli ciuilis* appellatum fuisse infra scribit lib. VI. Epist. 12.

LIB. III. Epist. VIII. extrema.

II. *Si quid egero, scribam ad te. Neq. domum vnquam ad meos literas mittam, quin adiungam eas quas tibi reddi velim.* In antiquo lib. *ad me literas mittam* rectiſ-

rectiſſime & priſce, *ad me*, pro domum meam. Et epiſt. X. extrema: *Atque hac*, multa hic deſiderari apparet.

LIB. V. Epiſt. XV.

III. *Vetuſtas, amor, conſuetudo, ſtudia paria.* Huc pertinet locus ille ex Orat. extrema pro Archia poëta, vt M. Ant. Muretus in Variis reſtituendum cenſuit: *Quare conſeruate, Iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tam dignitate, quam etiam vetuſtate.* Qua de re pluribus nos in his Nodis Ciceronianis lib. I. cap. IX. & lib. II. cap. XIII.

LIB. VII. Epiſt. X. Trebatio I.C.

IV. *Neque ſpectare eſſedarios: Quem antea ne andabata quidem defraudare poteramus.* Sic è membranis leg. cenſeo pro *andabatam.* Mirari ſic ait, quo pacto Trebatius eſſedarios ſpectare noluerit, qui Romæ ægrè andabatarum ſpectaculo temperare ſolitus fuiſſet. De Eſſedariis autem atque andabatis, ſeu anabatis I. Lipſius noſter Belgii ocellus lib. II. Saturnalium Sermonum cap. XII. & in Adagiis Chiliaſtes Batauus.

Epiſt. XVI. eidem Trebatio.

V. *Nunc in hibernis incertus mihi videris.* Lambinus in ſuis codd. *inuectus* repperit, legitque *vinctus.* Meus liber antiq. *intectus*, rectè fortaſſe, pro *non tectus.*

Epiſt. XVIII. extrema.

Cura vt valeas, VI. Id. April. de Pomptino. Sic alibi Tullius, *de Giaro* pro *ex Giaro* dixit. Non rectè itaque Iul. Cæſar Scaliger, reprehendendi antiquos ſtudioſior, Ouidium reprehendendo notat, qui libros *De Ponto*, quam *Ex Ponto* inſcribere maluerit. Ciceronis tuta auctoritas.

LIB. VIII. M. Cælius Ciceroni, Epiſt. II.

VI. *Quod poſtridie eius abſolutionis in theatrum Curionis Hortenſius introijt.* In noſtris eſt poſtr. *abſolutionem* quomodo Cæſar lib. I. belli Gallici *Poſtridie Ludos* dixit, pro Ludorum. Infra Epiſt. VIII. *Sempronium Rufum, Rufum mel, ac delicias tuas.* Sic Valerius Catullus:

Cæli, Lesbia noſtra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus amat.

Lautio. *Epicurei*, Barones *qui. In reliquos Epiſtolarum Cicer. ad Famil. libros anquiritur.*

CAPVT. XX.

LIB. IX. Epiſt. II. extrema.

IN *literis atque libris, vt doctiſſimi veteres fecerunt, nauare Rempubl.* Ita in duobus libris ſuis legi teſtatur Manutius, & quidem, vt ipſe putat, mendoſe. At in pluri-

pluribus ita legitur & probum esse nullus dubito. Nam & apud Corn. Tacitum *Bellum alicui nauare*, & apud Agellium in vet.cod. scriptum, *Nauare Philosophiam*. Epist. V. extr. *Ante te certiorem faciam, vt lauatio parata sit*. In codd. quibusdam, *vt lautio parata sit*, id est, αἱ ἐνδομενίαι, siue supellex, vt Carisius Sosipater exponit. Probabunt, spero, hanc eruditi coniecturam: cupio quidem certè. Epist. VI. *Est igitur aduentus in exspectatione*. Ita v.cod. omisso *Cæsaris* nomine, vt alias lib. V. epist. 14. & hic rursum ep. 17.

Epist. XXVI.

Cœnam te quærere à mane dixeris? Fortè *amarè*, id est, falsè. Subiicit. *Ille Baro te putabat quæsiturum, vnum cœlum esset, an innumerabilia*. Rectè Epicureos vocat *Barones* Cicero & hîc, & ad Atticum. Nam in vetere Glossario *Baro* exponitur Cάκηλος, id est, interpretibus Suida & Hesychio, fatuus simul & effœminatus. Vt ex Phrynicho quoque de Atticis vocibus docuimus in Vitis parallelis Demosth. & Aristot. & de Varronis voce Pet. Pithæus in Subsceiuis. Quare frustra sunt, qui hic *Varro* substituerunt.

LIB. XV. Epist. XVI.

Iocatur cum Cassio Epicureo de Epicureorum opinionibus. *His*, ait, *spectris, etiamsi oculi possent feriri, quod velis ipsa currunt*. Torquent hæc Victorium & Manutios. Lego rectè in vet.cod. notæ melioris: *quod vel iis ipsa occurrunt*.

FINIS.



CAROLI LANGII GANDENSIS, CANONICI LEODIENSIS IN CICERONEM ANNOTATIONES:

Quibus lectiora eiusdem Carmina accedunt.




ANNO M·DC XV.



DE CAROLI LANGII VITA SCRIPTISQVE.

Ad Cl. Ianum Gruterum.



ETIS à me, amice, dum *M. Tullium* illustrandum, vt nuper Latinos plerosque Historicos, susciperes, vt *Caroli Langii* hominis in Belgio doctissimi, *Annotationes* mitterem in CICERONIS eos libros Philosophicos qui *De Officiis* inscribuntur, & eidem adiunctos libellos. Ego verò ac libenter, tametsi raro nimis reperiri non ignorarem, reipsa expertus, nullum exemplar Antuerpiæ (vbi bis typis Gul. Siluii forâs sunt datæ) venale reperiri. Meum itaque, quo vtebar, exemplar interpolatum & Indicibus ornatum mitto lubens, reique publicæ per te condonare volui, vt isthic denuo, quo ad plures promanet vtilitas, euulgentur. Est enim inter Criticos *Langius* (absit verbo inuidia) æui sui flos delibatus, eorumque qui *Ciceronem* ad hanc diem illustrare conati sunt, facile princeps: vt viam quoque commonstrasse errantibus, facemque præluxisse iis videatur, qui post illum libris *Officiorum* aureis (de manibus non deponendis, imò, vt Plinius suadet, ad verbum ediscendis) manum adiuti admouerunt: *Franc. Fabricio, Suffrido Petro, Dion. Lambino*, qui tamen in altera edit. cœpit ingrato animo in Langium acerbe incurrere. Dicam audacius, & forte an verius, si reliqua *Ciceronis* Opera diligenter à se ad veteres Eburonum Tungrorumque codices calamo exaratos comparata, & sum-

summo delectu emendata, edere potuisset (Mors enim immatura, heu, medio in cursu, conatus abrupit!) eorum nemini, qui *Ciceronem* integrum mendis ac glossematis vtcunque purgarunt, *Victorio, Manutiis, Lambino*, eorumque asseclis *Mich. Bruto, ac Dionysio Gottofredo*, palmam concessisset. Tam acer enim in perspiciendis mendis veraque lectione constituenda exstitit, vt olim Andr. Papius, ingeniosus Poeta, ad Martialis de Perseo imitationem distichon hoc codici *Officiorum* inscribendum putarit:

Sæpius in libro placeat mihi LANGIVS *vno,*
Lambinus toto quam Cicerone suo.

Et verò Lambinus, cætera doctissimus, quoties solenne illud suum in Ciceronianis Notis ingeminat: *Inuitis, ac repugnantibus libris omnibus* (ignoscant mihi Manes illius, quos non sollicito) contingit fere labi, errare, ac decipi. Sed ad *Langium* nostrum redeo. Gandaui Flandrorum metropoli, vasta & ampla in vrbe, honestáque familia natus, haustis Latinæ linguæ rudimentis, hæsit adolescens in contubernio viri doctissimi, cuius me nomen fugit: à quo vtrâque imbutus linguâ æquales omnes eruditione in Belgio superauit. Italiâ adhæc lustratâ, Iuris vtriusque laureâ summæ doctrinæ causa est ornatus, & Leodiensis Ecclesiæ ad S. Lambertum opimum sacerdotium adeptus, assiduè in studiis acquiescebat, cum Læuino Torrentio ciue suo, qui mox etiam ob singularem doctrinæ coniunctam probitatem Antuerpiensium est Episcopus renuntiatus. In studiis Antiquitatis sic vterque versabatur, nullus vt Latinus scriptor exstaret, quem non cum membranis notæ melioris compararent, instaurarentque. In his *Langius Ciceronem* ipsum ad scriptos codices contulit; quæ scripturæ varietates penes nos sunt, quas & Suffridus editionem meditans olim descripserat, & ex eius codice Ianus Guilelmius, qui, vt audio, Saxonicos etiam veteres adhibuit: & Biturigis iuuenis extinctus est. Cæterum *in Officia Ciceronis*, eiusque libellos comites, *Catonem maiorem, Lælium, Paradoxa, & Scipionis Somnium, Annotationes*, quas nunc damus, Langius con-

Formulis, ex Iulii Obſequente, & Paulo Leopardo lib I. Miſcellan. cap. 14. è Plutar. in Mario, P. Victore de Vrbis regionibus, Plinio lib. XXXIV. cap. VIII. & Adr. Turnebo lib. XVI. cap. XII. Item FORTIS FORTVNÆ meminit M. Tullius in Legibus, & alii. Annibal viſo fratris Aſdrubalis capite, *Vinci ſe Fortuna Karthaginis* confeſſus eſt; & Fortunæ gratias egit L. Æmylius Paulus Macedonicus, duobus amiſſis liberis, &c. Scriptor de Viris Illuſtr. cap. XLVIII. & LVI.

III. *Cedere* verò *Fortuna* idem Salluſtius ait, vt *Vinci*. Catilina enim ſe falſis criminibus circumuentum ait; *Quoniam factioni inimicorum reſiſtere nequiuerit, Fortuna cedere.* Ruſumque Tacitus lib. XIX. *Vitellianorum animi, & vt quiſque ordine anteibat, cedere Fortuna.* Puta Reip. Sed hæc hactenus.

M. Antonii vinolentia, & violentia *variis oſtenſa locis M. Tullii.* Euomere.

CAPVT XV.

INCERTVM & illud Lectori relinquitur an in Philippicis Tullianis *violentiam* an *vinolentiam* M. Antonii Triumuiri, eius qui CICERONEM percutiendum immaniter curauit, vel vtramque potius agnoſcas. Verum cum *vehemens*, aut *furens* additur, *violentus* potius appellandus, itaque legendum videatur; ſed nondum mihi facio ſatis, aliis itaque hæc expendenda loca, pridem collecta, relinquo.

Sic itaque Philippica ſecunda, quam *diuinam* appellare Satyricus non dubitat: *Nec verò te vnquam neq; vigilantem, neq; in ſomnis credo poſſe mente conſiſtere, neceſſe eſt, quamuis ſis, vt es, violentus & furens, cum tibi obiecta ſit ſpecies ſingularis viri perterritum de ſomno excitari, furere etiam ſæpè vigilantem.* Ambiguum hic vtrum legas: niſi ſi *vinolentiam* ſubſequi *vim* ſolere dixeris. Sic paulò antea: *In cœtu populi Rom. negotium publicum gerens Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens fruſtis oſculentis vinum redolentibus gremium ſuum & totum tribunal impleuit.* Et pòſt: *Nec eſt ab homine numquam ſobrio poſtulanda prudentia.* Et: *Quidlibet, modo ne nauſeet, faciat; quod in porticu Minucia fecit.* Iterum: *Quid prandiorum apparatus, quid furioſam vinolentiam tuam proferam?* Et: *At vero te inquilino, non enim domino, perſonabant omnia vocibus ebriorum. Natabant pauimenta vino: madebant parietes. Ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matresfamilias verſabantur.* Philipp. III. de Lucio fratre: *Ipſe ſe, vt fratrem imitetur, vino obruit.* Philippica quoque VI. *Noui vinolentiam, noui impudentiam.* Sic enim Gab. Faernus hic legit, & quidem cum quinctа vocali *vinulentiam*: vt & proxima pag. *Quo furor, quo vinulentia.* Sic cum Faerno Ant. Auguſtinus V. Cl. etſi diſſentiant hic Vrſinus, Muretus, & Lambinus libro V. in eumdem M. Antonium: *At ille homo vehemens & violen-*

violentus, qui hanc consuetudinem libere dicendi excluderet, inimicitias mihi denunciauit. Vbi & *vinolentus* alii legunt. Si quis tamen pertendat, tueaturque obstinatè *violentiam* hic esse retinendum, equidem non pugnabo. Philipp. XII. *Noui hominis furorem, noui effrenatam violentiam: cuius acerbitas morum immanitasq́; Naturæ ne vino quidem temperari solet.* Et XIII. *Quem vini anhelitum, quas contumelias fore censetis, minasq́; verborum?* Et: *Neque illius diei memoriam perhorrescit, quo ausus est vino obrutus, vnguentis oblitus, nudus gementem populum Rom. ad seruitutem cohortari.* Confirmatur & Epist. 25. lib. XII. ad Famil. *Vinolentum furorem* M. Antonii Cornificio deprædicat: *Sic sum,* inquit, *in Antonium inuectus, vt ille non ferret, omnemq́; suum vinolentum furorem in me vnum effunderet: neq; cum elicere vellet ad cædis causam, tum tentaret insidiis. Quem ego ructantem & nauseantem conieci in Cæsaris Octauiani plagas.* His igitur locis detestanda M. Antonii III. Viri meritò notata ebrietas est, simul & vis: quæ ferè mala vitiaq; inuicem comitantur. Est.n.cum in omni vita dedecorosa temulentia, tum etiam in castris, in quibus se ipse mediis in armorum periculis ingurgitabat: & cum M. Ciceronis filio, post patris necem, hac in re de palma contendit. Sic enim lib. XIV. extremo C. Plinius: *Nimirum hanc gloriam Cicero F. auferre voluit interfectori patris sui M. Antonio. Is enim ante eum auidißimè apprehenderat hanc palmam, edito etiam volumine de sua ebrietate: quo patrocinari sibi ausus, approbauit plane quanta mala per temulentiam terrarum orbi intulisset. Exiguo tempore ante prælium Actiacum id volumen euomuit:* (proprium huius rei vocabulum, quod explicat Pet. Victorius lib. XXII. Variar. lect. cap. 14.) *Quo facilè intelligatur ebrius iam sanguine ciuium, & tanto magis eum sitiens.* Adhæc Plutarchus in Antonio, ὡραίας reprehendit compotationes, siue *tempestiuas* eas reddere, siue *intempestiuas* libeat. Vtroque enim modo verti, & intemperantes significare video, etiam in Catonis cænis, apud Ciceronem de Senectute. Velleius Paterculus Liberum se patrem vocasse, hædera redimitum auctor est, & pluribus Seneca Rhetor noster in Suasoria I. vbi plura notabamus olim, quæ repetere non est animus. Terram enim nauigans, portumque conspicio.

Recipere. Nihil quidquam. Quidem, *exauditum. Vulgata* CICERONIS *Tusculana I, contra Lamb. defensa lectio: plura emendata.*

CAPVT XVI.

TVSCVLANAS disputationes, vt ipse Cicero nominat libentius quam Quæstiones, à Christiana re minime abhorrere in confesso est, maximè verò primus ille liber, qui est de Morte contemnenda, animorumque immortalita-

talitate. In hunc denuo obseruata quædam à clariss. Scioppio, nobisque missa apponam non grauatè.

I. *Nam sanguinem*, inquit, *bilem, pituitam, ossa, neruos, venas, omnem denique membrorum & totius corporis figuram videor posse dicere, vnde concreta, & quomodo facta sint.* Offendit Lambinum sic locus, & nominandi casu repugnantibus atque inuitis libris omnibus commutat: *Sanguis, bilis, pituita, &c.* vel Hellenismum esse affirmat; Ego verò cum Latinos scriptores sic interdum accusandi per nominandi casus ἀντίπτωσιν adhibuisse ostendam, tum ipsum etiam M. Tullium non raro. M. Plautus enim Menæchmis: *Ego illum scio quam cordi carus sit meo.* Et in Epidico, ac Curculione verbis eisdem:

Ego illum quem quærit, ego sum.

Et rursum in Epidico: *Exitiabilem illi faciat vt fiat diem.* Frequens id M. Accio in Mostellaria, Persa, & Pseudolo, quæ non colligo. Familiare item P. Terentio: *Illum vt viuant, optant.* Sed quid externa colligo? Suppetunt enim domestica M. Tullii exempla: Agraria II. in Rullum: *Quæ est ista æquitas, ceteros agros, etiamsi priuati sint, permittere vt publici iudicentur, hunc excipere nominatim?* Lib. IV. ad Famil. epist. I. *Rem vides, quomodo se habeat.* Et XIV. ad Attic. epist. 21. *Nosti virum tectus quam sit.* C. Cæsar lib. I. belli Gallici: *Rem frumentariam vt satis commodè supportari posset, timebat.*

II. Infrà: *Quod cum ita sit, certe nec secerni, nec diuidi, nec discerpi, nec distrahi potest: nec interire igitur.*] In membranis antiquis est: *ne interire igitur*: Rectius, pro, ergo ne interire quidem: vt τὸ *quidem* exaudiatur, vt in illo Liuii lib. XLIV. *Neq; enim ne his cunctationem aperuerat suam,* id est, ne his quidem.

III. Pòst: *Secernere autem à corpore animum nec quidquam aliud est, quam emori discere.* In vett. codd. vidit Lamb. legi, etsi improbet temere, *nihil quidquam aliud est*: est tamen Maffriani lectio libri peruetusti. Et adeò ipse Cicero alibi: *Quo cum in vita nihil quidquam egregium assequetur.* M. Plautus Mercatore: *Nihil inuestigo quidquam de illa muliere.* Rursum: *Nihil relicti quidquam aliud.* Et Bacchidibus Act. IV. Scen. IX.

Nihil ego tibi hodie consilii quidquam dabo.

Alter Comicus Latin. Terentius:

Comperi nihil quidquam ad Pamphilum attinere.

Idemque *Nemo quidquam*, pro Nemo.

IV. Inf. *Num vis igitur audire, cur, etiam si ita sit, mors tamen non sit in malis?* Lego è membranis: *Numne vis igitur audire, cur etiamsi ista sint, mors tamen non sit in malis.* Tullianum id, *Sunt ista*, pro ita se habent, & τὸ *vera* exaudiendum. Sic lib. I. Academic. quæst. *Tunc ego: Sunt inquam ista, Varro.* Et in Lælio: *Sunt ista, Læli. Non enim melior vir fuit Africano quisquam, nec clarior.* Plautus Asinaria: *Estne*

Estue hoc vt dico ? Et alias sæpè *Esse* pro verum esse, in Epidico, Mostellaria & Pseudolo, quæ prætereo, quando Ciceroniana satis sunt. Homerus Iliad. *ά.* ver. *573.*

οὕτω πη τάδε γ᾽ ἐστὶ φίλον τέκνον, ὡς ἀγορεύεις.

Nimirum vt dicis, nate carissime, sunt hæc.

Statim: *Cuius etiam similis P. Crassi, & sapientis & eloquentis, & primi hominis nepos.* Illud & *primi hominis*, amplius in scripto cod. est: itaque Verrina VI. *A Lysone Lilybetano primo homine.* Et inf. *Non reor, non illis, si vita longior daretur, posset esse iucundior.* Lambin. *non vllis.* Libri vett. *nullis* & melius fort. *iucundius.* Et post non longè de Socrate: *cui venenum præbuerat, præbiberat* multo rectius. Hoc enim est προπίνειν, quod antecessit.

V. *Neq; sepulcrum, quo recipiat, habeat, portum corporis.* Dion. Lambinus mutat, vel *quod recipiat*, vel *qua recipiatur* tentando: at eo te metu, bone vir, libero. Vetus enim est *Recipere*, vt & *Emergere* pro *se recipere* prouocabulum *se* vtrinque sæpè eleganter subaudiendo, & familiare Comicis, vt Plauto in Asinaria, & Trinummo: In Mercatore, Act. 2. Sce. 4. v. *30.*

Actutum face cum præda vt recipias.

pro, domum redeas. Nam & ibi Lambin. perperam immutat. Et Rudente, Act. 3. Scen. vlt.

Suadeo vt ad nos adeant potius, dum recipis.

id est, redis. Sic Bacchidib. *Rursum in portum recipimus.* Vbi *cursum* pro *rursum* qui reponunt eos Latinè loqui & antiquos legere Scriptores atque obseruare iubeo. Terentius integrè Phormione: *Ad portum se recipiat frater.* Et sæpius Plautus: *Et, domum se recipere.* Sequenti versu, pro *à malis*, quia Trochaicus est versus, *malis* repono:

Vbi, remissa humana vita, corpus requiescat malis.

Post non longè amplius est vox *viui* in membranis:

Vt mortuorum corpora nihil sentire viui sentiamus.

In reliquos Tusculanar. libros Animaduersio. Inuidere, *quid Attio: Cicero notatus.*

CAPVT XVII.

NON depono de manibus Tusculanas, etsi amphora instituta exeat vrceus. Conatus & voluntas laudabitur. Libro III. Tuscul. qui est de lenienda ægritudine: non ita procul à limine sic editur ex Lege XII. Tabb. SI FVRIOSVS ESSE INCIPIT. Subiicit: *Stultitiam enim*

censuerunt, id est, inconstantiam sanitate vacantem. Rectius in vet. Cod. *Stultitiam enim censuerunt constantia, id est, sanitate vacantem.*

II. Infrà ex Attio: *Florem quisnam liberûm inuidit meûm? Male Latine videtur, sed praeclarè Attius.* Imo præclarè; da veniam M. Tulli. Nec enim quid sit Attio *Inuidere* non satis videris assecutus. Non est etenim, vt tu vis, valde, & vno hærentem obtutu inspicere aliquid, sed fascinare, vt Maro dixit:

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Hoc enim est, quis inuidet agnos? Itaque *Inuidere aliquid*, & *Inuideri ab aliquo* Latine dicitur. Vt Q. Horatius, non tamen pro fascino, in Arte poet. vers. 55.

——Ego cur acquirere pauca
Si possum, inuideor?

Catullus autem cum dixisset Epigr. V.

Conturbabimus illa, ne sciamus
Aut ne quis malus inuidere possit.

Mox Epigr. VII. sic repetit:

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

An id ergo Cicero ignorauit? Potest cuiuis hoc nostrum in lingua vernacula, vt vocum quarundam origines ignoret, vsuuenire.

III. Inf. *Atq; hoc idem & Telamon ille declarat:*
Ego cum genui.——

Et Theseus:

Futuras mecum commentabar miserias.

Nihil amplius in membranis, & satis erat primis locum verbis indicasse, qui supra iam integrè repræsentatur. Et statim: *Intellecto eo, quod remedium illud continet malum, quod opinatum sit esse maximum.* In scripto lib. erat: *quod rem illud continet*; Forte, *quod rem illam*, verum sit.

LIB. IV. ad medium.

IV. *Dicimus grauedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia semper sint, sed quia sæpè sint.* Scriptura vetus verior: *non quia iam sint, sed quia sæpè.* Pag. sequ. *Est autem quædam animi sanitas* (Turneb. *insanitas* legit) *quæ in insipientem etiam cadat, cum curatione medicorum perturbatio* (Lamb. *conturbatio*) mentis *aufertur.* In meo Cod. est: *cum curatione & perturbatione medicorum conturbatio mentis aufertur.* Sed supra scriptum erat *& gubernatione* loco *perturbatione.* Neque enim quia vulgaris Italorum idiotismus id agnoscit, continuo minus Latinum videri debet.

V. Inf. extremo libro: *Quæ igitur hæc erit moles? audi.* Ita Lamb. censuit leg. In antiquis tamen constanter multitudinis numero femin. *Quæ igitur hæc erunt moles.* Pòst paulò: *Potest vtilis esse insania? At naturalis est. An quidquam potest esse*

esse secundum naturam,&c. In libro peruetere: *An naturalem hanc quidquam esse secundum naturam,quod sit repugnante ratione.* Nondum tamen rectè. Rectius fortasse sic interpungas: *Potest vtilis esse insania ac naturalis? aut quidquam esse secundum naturam, quod sit repugnante ratione. Aut* etiam alibi in Cic. pro *An*, reperias vel inuitis literatoribus: vt in antiq. libris lib. XV. ep. 21. ad Famil.

LIB. V. Tuscul.

VI. *Caue enim putes, vllam in Philosophia vocem emissam clariorem.* Malim, quod est in membranis, *à Philosophia.* Statim: *Item beatam vitam, etiamsi ex aliqua parte claudicaret, tamen ex multo maiore parte obtinere nomen suum.* In vetustiss. codice integrè erat *claudere*, teste doctiss. Scioppio, *clauderet*: quam vocem asserit ipse Notis ad Symmachi Epistolas, post I. Lipsium; repugnante licet Ios. Castalione in Variis.

Infrà de Archimedis sepulcro à se inuento Syracusis gloriatur Orator, quam à capite narrationem arcessit, altiusque repetit, vt de Philænis fratribus in Iugurthino bello Sallustius, vt obseruat Victorius lib. X. Variar. Lect. cap. 23. *Est*, inquit Cic. *ad portas Agragianas magna frequentia sepulcrorum.* In nostris libris ita legitur: *Est enim à porta sagra Agragianas.* Verum quanta hic scripturæ varietas, colligit in Præmessis Iac. Schegkius, quem adi. Extremo lib. de Homero cæco, ac cæcitate disserens: *Quid ergo Homero ad delectationem, aut voluptatem, cuiquam docto defuisse vnquam arbitramur?* Sic in vett. libris breuius quam vulgatur, atque concinnius. Et mox: *Epicurei nostri Græcè fari nesciunt*, melius inibi, *Græcè fere nesciunt.* Et in Tusculanas quidem hactenus.

Quantiuis. Tamen, *pro tandem.* Fama, *pro infamia.* Consolidare: *consolidatæ rationes.* Lucellum. IN EPISTOLAS CIC. *ad Familiares disquisitum, & à Manutio dissensio. Terentio lux. Sallust. correctus. Glossema sublatum.*

CAPVT XVIII.

BEne de M. Tullio, omniq̃ue adeo re literaria Manutiorum tribus ordine doctissimis hominibus clara familia merita est, si quæ alia ad hanc diem vnquam; optimè vero Paulus, Aldi maioris F. qui & Commentariis Ciceronem doctis iuxtà ac laboriosis sic illustrauit, nihil vt posteris reliquum fecisse videatur, potissimum verò eas quæ ad Familiares sunt Cic. Epistolas ingenti labore explanauit: in quibus tamen, rarius tamen, dum euoluo, discedere ab eo, modestè tamen, cogerer, iudicium aliis permittendo. Libro VI. Epist. XX. Cic. Toranio:

I. *Ne illud quidem non, quamuis subito, cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci.* Mendo vacare locum Paulus pronunciat; ego verò planiorem hanc in membranis lectionem, vt ad acumina, singulariaque Oratoris confugere nihil sit necesse, repperi: ne illud quidem, *non quantiuis*, subito cum certi aliquid audieris, vt τὸ *precii*, vt alias sæpius, exaudias, nec *quamuis* hic aut *nec non* opus est.

LIB. VII. Epist. XXXI.

II. *Veni igitur, quæso, ne tantum semen vrbanitatis vna cum Rep. intereat.* Manutius *tantum* reposuit. In meo *tamen* repperi scriptum, aliique idem confirmant. Probum nihilominus, iustæque monetæ. Sallustius eius æqualis sic *tamen* pro *tandem*, & Cic. fortasse in iis scriptis quæ interciderunt, adhibuerunt. Sic enim lib. III. Historiarum apud Nonium Marcellum & Arusianum Messium: *Nam qui enare conati fuerant, icti sæpe ferramentis nauium, aut vulnerati à suis, aut adflicti alueos vndarum vi, multato fœdè corpore, postremo tamen periere.* Vbi, vt παρόδως moneam, τὸ *alueos*, quod à Nonio abest, intrusumque videatur in *alias* mutabam. Terentius in Andria Act. 4. Sc. 1.

Quibus modo in denegando pudor est paulum,
Post vbi est tempus promissa perfici,
Tum coacti necessario se aperiunt & timent
Et tamen res eos cogit denegare. Idem:
Perfice vt hæream aliqua in parte tamen apud te.

LIB. VIII. Epist. vlt.

III. *Quod vtinam aut Ap. Claudius in ista parte, aut C. Curio: cuius amicitia me paulatim in hanc partem causam imposuit.* Locum deprauatum vidit Manutius, & desperabundus de emendatione asteriscum adiicit, aliisque eius curationem mandat, appositis & variis loci Scripturis membranarum. Conabor sanare ope libri perantiqui, in quo ita scriptum: *Quod vtinam, vt Appius Claudius, in ista parte C. Curio, cuius amicitia me paulatim in hanc [partem causæ] imposuit.* Et rectè quidem, nisi quod glossema illud, furcillis pellendum, *partem causæ*, vel certè *causæ:* ex ora alicuius intrusum, locum adhuc inquinet: Duas reddit Cælius causas cur partes Cæsaris fuerit secutus. Vnam, amorem Curionis, quem optat ad Cn. Pompeii partem, sicut Appius fecerit, transiisse. Alteram, quod sibi Cicero nihil consilii impartitus fuerit. Addit: *Tum tu porro:* id est, adhæc, insuper. Suspicor, *partem, al. causam* à librariis scriptum fuisse, &, vt fit, vtrumque in contextum receptum locum mirè conturbasse.

LIB. IX. Epist. XVI. Papirio Pæto.

IV. *Effugere autem si velim nonnullorum acute aut facete dictorum offensionem, fama ingenii mihi est abiicienda.* Vetus noster liber melioris notæ præfert: *aut facete di-*

cete dictorum famam, fama ingenii mihi est abiicienda. Quomodo & alios in suis repperisse Codd. refert Manutius, sed *offensionem* mordicus tuetur. Ego verò antiquam amplector scripturam, itaque interpretor, se, vt maximè velit, famam illam acute dictorum effugere non posse, cum subito animaduertat C. Cæsar, quid verè, à Cicerone sit profectum. Dicax enim habitus, dictusque ab æqualibus Orator est, vt in Vindiciis Ciceronianis cap. V. disserui.

LIB. V. Epist. XX. Rufo.

V. *Illud quidem certe factum est, &c. quoniam ita necesse erat, rationes confectas & consolutas deponeremus.* Ita quidem & in vet. lib. & in editis. Lambinus *confectas & consolidatas* se in suis, haud scio an manuscriptis, repperisse testatur: sed quoniam vocis insolentia offenditur Manutius, age, Asconio Pædiano bono Latinitatis auctori etiam familiarem fuisse ostendamus. Sic enim in III. Verrinam: *Quadrarint, solida facta fuerint, vt neq; plus quidquam, neq; minus inueniatur in summa. Vbi enim ratio sine fraude est, difficile est sexcenta detractis quadringentis quadrari, vel solida fieri, quia minus aut plus aliquid reperiatur.* Est ergo *solidare*, aut *consolidare rationes*, quod vulgò Itali dicunt, *Soldar il conto.* Vt est à clariss. Scioppio animaduersum notatumque, ne sua quenquam fraudasse laude videamur. In eadem Epist. *Nam de Logico est ita actum.* Ios. Scaliger ingeniose, vt omnia diuinauit: *nam de Lucello*, cuius vestigia in nostro Cod. *de Lucretio.* Et statim: *Sed si quid est, cum delegero, Lucello* idem felici coniectura reponebat.

IN reliquos Epist. ad Famil. libros. T. Ampius belli tuba ciuilis. Vetustas. Andabatæ. De Giaro, pro E X, sic De Ponto *Ouidius. Postridie Ludos.*

CAPVT XIX.

FVNEM reduco, & librorum priusquam de manibus depono, spicas denuo lego. Fauete linguis.

LIB. II. Epist. XVI. Cælio Ædili Cur.

I. *Non enim te celaui. Sed nonne tum prouidisti, quam abhorrerem ab Vrbe relinquenda?* Vetus Cod. quo & Scioppius V. Cl. est vsus sic legit: *Non enim te celaui sermonem T. Ampii. Vidisti quam abh. ab Vr. rel.* Rectè vt opinor. Nam hunc Ampium *tubam belli ciuilis* appellatum fuisse infra scribit lib. VI. Epist. 12.

LIB. III. Epist. VIII. extrema.

II. *Si quid egero, scribam ad te. Neq; domum vnquam ad meos literas mittam, quin adiungam eas quas tibi reddi velim.* In antiquo lib. *ad me literas mittam* rectis-

rectiſſime & priſce, *ad me*, pro domum meam. Et epiſt. X. extrema: *Atque hac*, multa hic deſiderari apparet.

LIB. V. Epiſt. XV.

III. *Vetuſtas, amor, conſuetudo, ſtudia paria.* Huc pertinet locus ille ex Orat. extrema pro Archia poëta, vt M. Ant. Muretus in Variis reſtituendum cenſuit: *Quare conſeruate, Iudices, hominem pudore eo, quem amicorum videtis comprobari tam dignitate, quam etiam vetuſtate.* Qua de re pluribus nos in his Nodis Ciceronianis lib. I. cap. IX. & lib. II. cap. XIII.

LIB. VII. Epiſt. X. Trebatio I.C.

IV. *Neque ſpectare eſſedarios: Quem antea ne andabata quidem defraudare poteramus.* Sic è membranis leg. cenſeo pro *andabatam.* Mirari ſic ait, quo pacto Trebatius eſſedarios ſpectare noluerit, qui Romæ ægrè andabatarum ſpectaculo temperare ſolitus fuiſſet. De Eſſedariis autem atque andabatis, ſeu anabatis I. Lipſius noſter Belgii ocellus lib. II. Saturnalium Sermonum cap. XII. & in Adagiis Chiliaſtes Batauus.

Epiſt. XVI. eidem Trebatio.

V. *Nunc in hibernis incertus mihi videris.* Lambinus in ſuis codd. *inuectus* repperit, legitque *vinctus.* Meus liber antiq. *intectus*, rectè fortaſſe, pro *non tectus.*

Epiſt. XVIII. extrema.

Cura vt valeas, VI. Id. April. de Pomptino. Sic alibi Tullius, *de Giaro* pro *ex Giaro* dixit. Non rectè itaque Iul. Cæſar Scaliger, reprehendendi antiquos ſtudioſior, Ouidium reprehendendo notat, qui libros *De Ponto*, quam *Ex Ponto* inſcribere maluerit. Ciceronis tuta auctoritas.

LIB. VIII. M. Cælius Ciceroni, Epiſt. II.

VI. *Quod poſtridie eius abſolutionis in theatrum Curionis Hortenſius introijt.* In noſtris eſt poſtr. *abſolutionem* quomodo Cæſar lib. I. belli Gallici *Poſtridie Ludos* dixit, pro Ludorum. Infra Epiſt. VIII. *Sempronium Rufum, Rufum mel, ac delicias tuas.* Sic Valerius Catullus:

Cæli, Lesbia noſtra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus amat.

Lautio. *Epicurei*, Barones *qui. In reliquos Epiſtolarum Cicer. ad Famil. libros anquiritur.*

CAPVT. XX.

LIB. IX. Epiſt. II. extrema.

IN *literis atque libris, vt doctiſſimi veteres fecerunt, nauare Rempubl.* Ita in duobus libris ſuis legi teſtatur Manutius, & quidem, vt ipſe putat, mendoſe. At in pluri-

pluribus ita legitur & probum esse nullus dubito. Nam & apud Corn. Tacitum *Bellum alicui nauare*, & apud Agellium in vet. cod. scriptum, *Nauare Philosophiam*. Epist. V. extr. *Ante te certiorem faciam, vt lauatio parata sit*. In codd. quibusdam, *vt lautio parata sit*, id est, αἱ ἐνδομενίαι, siue supellex, vt Carisius Sosipater exponit. Probabunt, spero, hanc eruditi coniecturam: cupio quidem certè. Epist. VI. *Est igitur aduentus in exspectatione*. Ita v. cod. omisso *Cæsaris* nomine, vt alias lib. V. epist. 14. & hic rursum ep. 17.

Epist. XXVI.

Cœnam te quærere à mane dixeris? Fortè *amarè*, id est, falsè. Subiicit. *Ille Baro te putabat quæsiturum, vnum cœlum esset, an innumerabilia*. Rectè Epicureos vocat *Barones* Cicero & hîc, & ad Atticum. Nam in vetere Glossario *Baro* exponitur Σάκηλος, id est, interpretibus Suida & Hesychio, fatuus simul & effœminatus. Vt ex Phrynicho quoque de Atticis vocibus docuimus in Vitis parallelis Demosth. & Aristot. & de Varronis voce Pet. Pithæus in Subsecìuis. Quare frustra sunt, qui hic *Varro* substituerunt.

LIB. XV. Epist. XVI.

Iocatur cum Cassio Epicureo de Epicureorum opinionibus. *His*, ait, *spectris, etiamsi oculi possent feriri, quod velis ipsa currunt*. Torquent hæc Victorium & Manutios. Lego rectè in vet. cod. notæ melioris: *quod vel iis ipsa occurrunt*.

FINIS.



CAROLI LANGII GANDENSIS, CANONICI LEODIENSIS IN CICERONEM ANNOTATIONES:

Quibus lectiora eiusdem Carmina accedunt.



ANNO M·DC XV.

ſummo delectu emendata, edere potuiſſet (Mors enim immatura, heu, medio in curſu, conatus abrupit!) eorum nemini, qui *Ciceronem* integrum mendis ac gloſſematis vtcunque purgarunt, *Victorio, Manutiis, Lambino*, eorumque aſſeclis *Mich. Bruto, ac Dionyſio Gottofredo*, palmam conceſſiſſet. Tam acer enim in perſpiciendis mendis veraque lectione conſtituenda exſtitit, vt olim Andr. Papius, ingenioſus Poeta, ad Martialis de Perſeo imitationem diſtichon hoc codici *Officiorum* inſcribendum putarit:

Sæpius in libro placeat mihi LANGIVS *vno,*
Lambinus toto quam Cicerone ſuo.

Et verò Lambinus, cætera doctiſſimus, quoties ſolenne illud ſuum in Ciceronianis Notis ingeminat: *Inuitis, ac repugnantibus libris omnibus* (ignoſcant mihi Manes illius, quos non ſollicito) contingit fere labi, errare, ac decipi. Sed ad *Langium* noſtrum redeo. Gandaui Flandrorum metropoli, vaſta & ampla in vrbe, honeſtaque familia natus, hauſtis Latinæ linguæ rudimentis, hæſit adoleſcens in contubernio viri doctiſſimi, cuius me nomen fugit: à quo vtrâque imbutus linguâ æquales omnes eruditione in Belgio ſuperauit. Italiâ adhæc luſtratâ, Iuris vtriuſque laureâ ſummæ doctrinæ cauſa eſt ornatus, & Leodienſis Eccleſiæ ad S. Lambertum opimum ſacerdotium adeptus, aſſiduè in ſtudiis acquieſcebat, cum Læuino Torrentio ciue ſuo, qui mox etiam ob ſingularem doctrinæ coniunctam probitatem Antuerpienſium eſt Epiſcopus renuntiatus. In ſtudiis Antiquitatis ſic vterque verſabatur, nullus vt Latinus ſcriptor exſtaret, quem non cum membranis notæ melioris compararent, inſtaurarentque. In his *Langius Ciceronem* ipſum ad ſcriptos codices contulit; quæ ſcripturæ varietates penes nos ſunt, quas & Suffridus editionem meditans olim deſcripſerat, & ex eius codice Ianus Guilelmius, qui, vt audio, Saxonicos etiam veteres adhibuit: & Biturigis iuuenis extinctus eſt. Cæterum *in Officia Ciceronis*, eiuſque libellos comites, *Catonem maiorem, Lælium, Paradoxa, & Scipionis Somnium, Annotationes*, quas nunc damus, Langius con-

ſcripſit, doctas ſanè & laborioſas: vt ex vngue, quod aiunt, Leonem liceat exiſtimare, ſi integrum *Ciceronem* edolaſſet. Inchoauit & Commentarium in Suetonii Cæſares, quem Torrentius abſoluit geminata etiam editione. Carmina etiam luſit, laudeſque Auguſtæ Eburonum, hoc eſt, Leodienſis vrbis, quem Panegyricum nunc addimus, cætera Plantinus Torrentii ſacro Poemati olim adiecerat.

His nunc fruere, & per Te alii, atque Aſconii Pædiani, & *Car. Langii* exemplo, Ciceronem legi & intelligi in his vltimis terris doceamus. Feliciter.

Nunc, quod omnium inſtar ſit futurum, Lipſii noſtri Elogium audiamus, qui ſic *Langium* lib. *de Conſtantia* (vbi differentem doctè inducit, conſiliaque iuueni ſuggerentem) prædicat: CAROLVS LANGIVS, vir, ſine *fraude, aut ambitione dicam, optimus, doctiſſimusq; Belgarum: cum hoſpitio me excepiſſet Viennam Auſtriæ per Eburonum vrbem cogitantem, non omni ſolùm comitate & beneuolentia id temperauit, ſed eo genere ſermonum, qui vtiles, imo ſalutares mihi in omne æuum eſſent. Ille enim fuit, ille vir, qui oculos mihi aperiret, deterſa vulgarium aliquot opinionum nube: ille, qui viam oſtenderet, qua ſine ambage peruenirem, vt cum Lucretio loquar, ad illa*

Edita doctrinâ ſapientum templa ſerenâ.

Obiit Leodici LANGIVS An. Salutis CIↃ.IↃ.LXXIII. A. D. IV. Kal. Sextil. ibidemque conditus.



Historiam atque antiqua tenes, doctiſſime LANGI,
Perſpicuè ipſe doces nunc CICERONA legi.

CARO-



CAROLI LANGII GANDENSIS, CANONICI LEODIENSIS,

IN M. TVLLII CICERONIS

LIBROS ALIQVOT A SE EMENDATOS

Annotationes.



IBROS *M. Ciceronis de Officiis* ac nonnullos præterea, si non quales ab ipso scripti sunt (quis enim hoc speret?) at certè quam proximè licuit, amice Lector, tibi nunc exhibeo. Quibus emaculandis eo studium promtius collocaui, quo illos ad communem vitam tuendam opportunissimos semper iudicaui: sunt enim scripti familiariter, vt etiam à populo intelligi possint, id quod in Aristotele desiderare quosdam video. Neque vero hic opellam rriduanam posui, quod plerique hodie dum faciunt, Deus quas lucubrationes iactitant, quos sudores, quam frigide detergunt! sed plusminus quindenûm mensûm: neque ingenio dumtaxat, quod exiguum mihi artogo, sed variis eisque vetustissimis ad hoc exemplaribus vsus sum, ea sumsi cum ex Gallia atque aliunde, tum præcipuè de Abbatiis Benedictinorum huius ferè prouinciæ. His inquam fretus & multis recentioribus, mendarum haud minus M.M. sustuli. Nam cum tererentur in primis à scholarum magistris, factum est vt plurima ex eorum dictatis in contextum ipsum irreperent, quòd librarii ea à legitimis discernere nequirent, ipsi quoque magistri persæpe quæ non intelligebant, mutarunt, falsa pro veris substituentes, ex quo tot locis erasi veteres libri, suppositis aliis aliquando dictionibus, aliquando totis sententiis, accessit vltimum malum quod omnes bonos scriptores inuasit, audacia etiam doctorum virorum, qui pro suo arbitratu nihil non

hil non ausi sunt in alienis lucubrationibus, vel defecti vetustis exemplaribus, vel, quod sæpius, quia tanti eis non erat. Satis ducebant, si pæne dormitantibus iam oculis, librum percurrerent, hic illic lituras ducerent, ibi verbum demerent, alibi duo infarcirent: addebatur titulus, & Epistola ad principem aliquem virum, qui vel armata manu tueretur veterem-nouum scriptorem: mane remittebant Typographo in proximas nundinas, ita enim ille postulauerat. Sic nouo titulo, tanquam hedera adornatus in Italiam, in Gallias, quo non? emittitur Cicero. Terentius, Liuius, aliique, qui, miror, sese ipsi si nossent, vt asinus ille in Milesiis. Tu verò, bone Lector, quamuis sæpè istiusmodi imposturis lusus, tamen periculum facito, tibique persuadeto me ne apicem quidem vspiam mutasse, præter fidem antiquorum librorum, quod non hisce *Annotationibus* indicarim, quas non alia gratia edimus. Quinimmo, si quando quid ex aliis auctoribus allegauero secus ac vulgò scribatur; sanctè assero id nulla mea temeritate, sed veterum exemplariorum auctoritate fecisse. Possem addere non pauca ad locorum obscuriorum explicationem, sed id esset maioris operis. Hic enim emendationum mearum causam tantummodo dico. Hæc si placebunt, eandem operam in aliis quoque *Ciceronis* aliquot libris, non inuitus ponam. Vale.

IN LIBRVM PRIMVM DE OFFICIIS.

1. *Qvi iam se illis ferè æquarunt.*] Veteres aliquot libri habent: *qui iam illis ferè æquarunt*.

2. *Contempsit alterum.*] Aristoteles videlicet Oratorium dicendi genus, Isocrates Philosophicum contempsit. Neque enim ad æmulationem quæ nulla inter eos fuit, istud referendum est, vt male quidam hic annotarunt. [Reprehendit, dissentiens Lambinus.]

3. *Tum aut anquirunt.*] Quidam libri, *inquirunt*, alii *acquirunt*: Sed boni *anquirunt* cum hic tum centum aliis locis elegans & antiquum verbum seruauerunt, vt Tusculanarum V. *Studiose ab his siderum magnitudines & internalla anquirebantur*. Iterum: *Vera illa honestas, quam vnam maxime natura anquirit*. Et de aruspicum Resp. *Atq. in eum, quid agat, quemadmodum viuat, anquiritur*. Varro libro V. de lingua Lat. citat M. Sergii M. F. Quæstoris vetus commentarium *anquisitionis*, qui capitis accusauit T. Quinctium Trogum. Sallust. in Iug. *& quasi dolens eius casum, anquirere cœpit, quem exitum tantis malis sperarent*. Sic apud Liuium, *capite anquirere; pecunia anquirere*. Et libro I. *ne semper armis opes anquirerentur*. Meminit verbi Sex. Pompeius & Victorinus de Orthographia. Est autem *anquirere*, quasi *am*, id est circumquaque *quærere*.

4. *Progressus, & quasi.*] Libri manusc. habent: *Sed similitudines comparat*. Totus

locus ex II. de Finibus, fiet clarior: *Homines, inquit, etsi multis aliis, tamen hoc uno plurimum differunt, quod rationem habeant à natura datam, mentemq; & acrem & vigetem, celerrimeq; multa simul agitantem, &, vt ita dicam, sagacem; quæ & causas rerum & consecutiones videat, & similitudines transferat, & disiuncta coniungat, & cum præsentibus futura copulet, omnemq; complectatur vitæ consequentis statum.*

5. *Et esse & à se obiri velit.*] Hic locus eleganter restitutus est de duobus m. s. exemplar. Per *cætus* (quod vocabulum à *coeundo* venit, vnde *cætus Lunæ* à Chalcidio vocatur *coitus lunæ*) quosuis conuentus significat: celebrationes τὰς πανηγύρεις interpretatur, quibus spectacula ludique solennes ad alliciendos conciliandosque vicinos populos, exhibebantur: quo nomine valde eas commendat Isocrates. Tusculan. V. *Item nos quasi in mercatus quandam celebritatem de vrbe aliqua, in hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios gloriæ seruire, alios pecuniæ.* Pro P. Sull. *Quæ domus? quæ celebratio? quæ familiaris dignitas? quæ studia amicorũ?*

6. *Beneficentia.*] In antiquis libris *Beneficientia* fere scribitur, quo modo *Beneficientissimus* in Lælio & *beneficientior* in Senecæ m. s. exemplaribus, quod est secundum analogiam. Diceretur enim *beneficiens*. Sic *despicientia* dixit infra, & *prospicientia* in VII. Philipp. vbi scioli *prouidentia* reposuerunt.

7. *Si qui sibi appetit.*] *Appetere*, est amplius petere. Demum vehementer velle, atque etiam vi inuadere, vt *appetere regnum*. *Homo appetens*, pro auido, contra Rullum, *animus appetens*, de Oratore. Sic infrà, *ne cupide quid agerent, neue appeterent.* Liuius libro I. *Crescebat interim vrbs munitionibus alia atque alia appetendo loca*: quam verbi istius proprietatem, qui non expenderant, corruperunt hunc locum. Hoc vult enim dicere, ex eo quod alterius sit, neminem appetere sine iniuria posse. Nam plus velle, vel plus quærere, quam teneas, sit non iustum, dum id fiat nullo dolo malo? vt puta occupatione vacui, iusto bello, alioue non illicito modo?

8. *Partem parentes.*] Has dictiones in libro vet. nullo repperi: vt fortassis ex Platone à studioso aliquo ad marginem primum ascriptæ, postea irrepserint in literam. In II. de Finibus contractius extulit: *Atq; vt ad Archytam scripsit Plato, non sibi soli se natum meminerit, sed patriæ, sed suis: vt perexigua pars ipsi relinquatur.*

9. *Nonnulli aggrediuntur.*] Vox, *nonnulli* à sciolis ascripta erat, contra bona exemplar. Estque hic familiarissimus omnibus veteribus loquendi modus, cum de hominibus loquatur infinitè in tertia plurali. Sed indocti ferè adiecerunt, nunc *plerique*, nunc *homines*, nunc quid simile. Sic infra, *aut inimicitias suscipere nolunt.* Iterum: *Ex quo fit, vt neq; disceptatione vinci se nec vllo publico ac legum iure patiantur.* Rursus: *Domitoribus tradere solent*: [etsi Hotmanus *domini domitorib.* prætermittendum censuit.] Et in Lælio: *vt ne nimis cito diligere incipiant.*

10. *In Philosophos.*] *In* ad laudem spectat, I. de Legib. *quod item ad contrariam laudem in virtutem dici potest.* Et III. de Diuinat. *Dilexit municipem tuum Rustium, in quem etiam illud est eius, &c.* & in Bruto, *in legem Cæpionis.* Locus est apud Plato. in VI.

in VI. de Rep. Sed optimè in III. de Finibus à Catone explicatur, cur Dialectica & Rhetorica *virtutum* appellatione veniant Stoicis.

11. *Non inferunda iniuria, &c.*] Hic vet. libri admodum variant, duo alioqui optimi: *Nam alterum iustitiæ genus assequuntur in inferunda iniuria, ne cui noceant: in alterum incidunt.* Tres alii: *nam cum alterum iustitiæ genus assequuntur in inferunda, ne cui noceant, iniuria, in alterum incidunt.* Sed exemplar Abbatiæ Parcensis, *nam cum alt. iustitiæ genus ass. in non inferunda iniuria ne cui noceant, in alterum iniustitiæ incidunt. Incidimus* in vitia, non in virtutes.

12. *Vt reddere depositum.*] Hic nihil adiuuerunt manuscripti libri, itaque coniectura tres has voces expunxi, *etiamne furioso?* quod eas ab aliquo studioso crederem ad marginem additas per modum quæstionis, deinde exceptas à librariis: Quanquam fuit cum legerem: *vel reddere depositum ensem furioso, facere promissum.* Vt infra lib. III. *Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens; reddere peccatum sit; officium non reddere.* Verbum *Migrare* in omnibus vet. libris repperi scriptum: id significat secedere, transgredi, modesta significatione, quod infra etiam *declinare* dixit, alibi *proficisci.* Sic III. de Finibus: *Quoniamq; ea natura esset hominis, vt cum genere humano, quasi ciuile ius intercederet: qui id conseruaret, eum iustum; qui migraret, iniustum fore.* Vsus est etiam sic in I. de Diuinatione, & III. de Legib. & ante eum Plautus. Paullò infrà duo alioqui opt. libri habent, *contra officium maius est anteponere minori.*

13. *Cum triginta dierum.*] Ephorus apud Strabonem Thracum commentum dicit, aduersus Bæotos. Vide Prouerb. Θρᾴκεια παρεύρεσις.

14. *Ne quid tale posthac.*] Verbum *committas*, quod sic ante legebatur, abest à bonis libris. Rectè, sunt enim vtiles in præceptis Orationes præcisæ. Sic alibi: *ne quid temerè, ne quid crudeliter.* Est autem ex formula illa, qua delicta liberi deprecari solent apud parentes. Terent. in Phorm. *Ad precatorem abeam, credo qui mihi sic oret: nunc amitte quæso hunc, cæterum posthac si quicquam, nihil precor.* Et pro Ligario: *Causas Cæsar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certè nunquam hoc modo, ignoscite iudices, errauit, lapsus est, non putauit, si vnquam posthac; ad parentem sic agi solet: Ad iudices, non fecit, non cogitauit, falsi testes, fictum crimen.* Vtitur & Plautus, extrema Casina.

15. *Credo aliquid secutos.*] *Aliquid*, hic aduerbii loco est: vt pro Deiotaro; *non enim iam metuo, vt illi tu succenseas; illud vero, ne illum tibi succensere aliquid suspicere.* Terent. *subtristis visus esse aliquid.* Græcis id est frequentius.

16. *M. Popillius Imp.*] M. Popillius Lænas Cos. Liguriam sortitus prouinciam, ibi res bene gessit. Liuius. Id factum est quarto anno antequam ad bellum Macedonicum Paullus Æmilius Cos. II. profectus est, quod eo bello M. Catonis filius tiro militauerit, ex hoc loco coniicere quis possit. Nam alibi non memini legere. Certè bello Macedonico eum adolescentem militasse hic Cicero testatur, & à Plutarcho repetitum est cum in Catone, tum in Æmilio, cuius

 postea

postea filiam Tertiam nomine vxorem duxit, vt idem refert Plutarch. exque ea suscepit C. Catonem, de quo Cicero in Bruto. Diu me torsit hic locus, nec adhuc in eo mihi placeo. Nam in Liguria hæc accidisse non possunt videri, alioqui eadem & in Macedonia euenisse dicendum esset. Itaque suspicatus aliquando sum, si pro, *Popillius*, *Paulus Æmilius* scribi deberet, nam M. prænomen in veteribus libris aliquot non repperi. Sed ne hic quidem consisto, qui Macedoniam sciam XX. demum anno post bellum Persicum, prouinciæ nomen adeptam, deuicto per Q. Metellum, qui inde Macedonicus dictus est. Andrisco, cum tamen prouinciam tenuisse dicat. Videndum quoque esset, an Paullus, qui tam paucis mensibus bellum illud confecit, vllam legionem interea potuerit dimittere. Scio etiam *M. Popillium* eundem illum & iam consularem, Tribunum militum fuisse Paullo Æmilio in Macedonia: id enim nouum non fuit, nam & L. Albinus etiam consularis ibi Tribunatu mil. functus est, vtrunque testante Liuio. Sed iterum obstat Cicero, quo minus hic locus de *M. Popillio* in Macedonia Tribunum agente, intelligatur. Nam non modo prouinciam tenuisse, sed etiam *Imperatorem* fuisse scribit, igitur vel Cicero non est exactè secutus historiam, vel vocabulis militaribus abusus est, quod non libenter concesserim. Hæc volui monere, alius meliora afferat, vel de ingenio vel de exemplaribus.

17. *Eum missum factum.*] quid. libri, *dimissum factum.*

18. *Secundo autem Punico.*] Quæ hoc signo [includuntur, in vnico Parcensi libro repperi. Germani certè hic inseruerunt. An Ciceronis sint, non contendo, referuntur libro III. fere eadem.

19. *Qui peierassent.*] Liber script. *quod peierassent.*

20. *Vt Mercenariis.*] Huic loco suus nitor est redditus. *Prabendi* verbũ ad annonam spectat: maximè dum capitatim sua cuique portio tribuitur, vt in exercitu, in familia, in annonæ caritate: quæ portio *prabendorum* appellatione venit Liuio & aliis, diuisores ipsi vocantur *prabitores*. Ab eodem vsu *prabere* ad cœnas relatum est: antiqua enim parsimonia sua cuique conuiuæ portio præbebatur, eaque pro ratione instituti conuiuii vel prolixa vel tenuis. Horat. in Serm. *preter eum qui prabet.*

21. *Visum iri.*] In antiquissimo libro *visu iri*, de qua locutione Petrus Victorius in Catonem. Sed nos aliquando alia.

22. *Abest ab officio.*] Vet. *id autem tantum abest officio.*

23. *Quibus præclarè agitur.*] Quidam libri *quibuscum*, alii *cum quibus*, alii quo modo edidi, notandum quoque in melioribus libris, *planeque* per primam vocalem scribi.

24. *Nec sapiente.*] Duæ hæ voces, *nec sapiente*, in m. s. Gallico exemplari absunt, & credo ex præcedentibus hic assutas.

25. *An imitari agros.*] Elegans affirmandi modus per interrogationem, & Ciceroni

ceroni familiaris, in primis verò Iureconsultis, quod eorum interpretes qui id non obseruarunt, sæpè fefellit.

26. *Nihilominus ipsi lucet.*] Plerique libri: *nihilo minus ipsi luceat, cum illi accenderit*, alii *lucet*, quos sum secutus, ratio enim redditur hoc versu comparationis. Nam nihilominus inquit, ipsi lucet. Nihil igitur ipsi abest, sicut nec tunc cum erranti etiam ignoto viam comiter monstrat. Hic est enim finis Ennii, vt sine eius qui faciat incommodo, fiat officium.

27. *Infinita societas.*](Sic enim in bonis lib. scribitur) illa est qua genus humanum inter se deuinctum est, quo modo reliquæ quæque inter se eiusdem generis animantes. Quod sequitur *interius est*, legitur in nonnullis libris, *interior est*: Sic II. de Oratore in vet. exemplari, *item timor incutitur aut ex ipsorum periculis, aut ex communibus: interior est ille; sed hic quoque ad eandem similitudinem est perducendus: par atque vna ratio est spei atque lætitiæ; sed haud sciam, an acerrimus longè sit omnium metus inuidiæ.*

28. *Vltimum in amicitia.*] Hunc locum quomodo restitui, sic legendum esse, ex Nonio Marcello clarum est. *Vltimus*, inquit, id est *primus*. Virgil.—— *Tu sanguinis vltimus auctor*. Cicero de Off. *I. Efficiturq́; id quod Pythagoras vltimum in amicitia putauit, vt vnus fiat ex pluribus*. Hactenus ille. Certè *vls* dicebant prisci illi opici, pro vltra, inde *vlterior*, & *vltimus*, qui longissimè à nobis abest. Liuius lib. I. *ibi Tarquinius maledicta ab vltima stirpe orsus*. Et Nepos in Attico, *stirpem vltimam*, pro vetustissima dixit. Itaque cum quæ extrema sunt, summa sint; *vltimum* pro summo dixerunt, eodem modo quo Græci τὸ τέλειον hoc est, omnibus numeris absolutum. In III. de Finibus: *Eorum dico, qui summum bonum, quod vltimum appellant, in animo ponerent*. Et lib. V. *Ex quo intelligi debet, homini id esse in bonis vltimum, secundum naturam viuere.*

29. *Vltro & citro, datis acceptisq́;*] Quidam libri *datis acceptisq́;*, alii *datis & acceptis*, fortassis à Cicerone scriptum sit, *vltro citro datis acceptis*, vt *sursum deorsum: terra mari*. In II. inuectiua: *factis dictis*, Philipp. III. *dextra sinistra*, Sallust. *præsente absente*. Terent. *prima postrema*. Liuius: *velit nolit: iusta iniusta*, & mille talia, quæ librarii ferè corruperunt.

30. *Nullo est gratior.*] Quid. lib. *nulla est grauior, nulla carior.*

31. *Ducendoq́;*] In omnibus libris, *ducendo*, scriptum fuit, quod verbum ad rationes spectat VI. ad Att.

32. *Ex quo aptum est officium.*] *Aptum* à verbo *apo, is, it.* quod erat vincio, iungo: ex quo *Apiscor*, quo Lucret. Manilius, & sæpè Iurisconsulti vsi sunt, ex quo *adipiscor & indipiscor*. Pacuuius Hermiona. *Quod ego in acie celebri obiectans vitam bellando aptus sum.* Cicero *aptum* dicit pro eo quod vulgò *adaptatus*, compositus, exornatus. Vt de Finibus II. *Aptum ex tribus illis*. Vide Festum in verbo *Apex*.

33. *Leuctris, Strato.*] Libri manuscripti, quotquot videre mihi datum fuit, sic

 habent,

habent, *Leuctris Stereocles hinc Decij*, *&c.* nec ignoro *Stratoclem* contra Philippum strenuè pugnasse pro libertate Græciæ ad Chæroneã, qua de re Æschin. κτ' Κτησιφῶν. Verum quia hic loca tantum nobilia in quibus Athenienses victoria potiti sunt, celebrat; verisimile est *Strato* fuisse scriptum: ad quam vrbem Athenienses feliciter pugnarunt. Vide Thucyd. lib. II. Scio quosdam hic *Citheris* reponere: ea est Laconicæ insula, in qua Nicias Spartanos multis cladibus afflixit, vt à Plutarcho est relatum, & Diogene in Chilone. Sed longiùs abest à vestigiis veteris scripturæ.

34. *Quamobrem & hæc vitanda.*] Vet. libri, *Quamobrem & hæc videnda:* nam *videre* est cauere, est & deliberare, id quod dubitantium est, vt II. de Finibus: *Si te amicus tuus moriens rogauerit, vt hereditatem reddas suæ filiæ, neq; vsquam id scripserit, nec cuiquam dixerit, quid facies? Tu quidem reddes, ipse Epicurus fortasse videret.* Sic infrà hoc opere: *Sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet.*

35. *Mores ferre potuerunt.*] Liber Parcensis, *ferre potentes* pro, *ferre potuerunt:* quod nescio quo modo mollius videtur, si exstaret exemplum eiusmodi participii. Nam quod Ouidius dixit in VIII. Metamorph. *voti argumenta potentis*, est à *potior:* vt eodem libro: *Nam pereant potius sperata cubilia, quam sim proditione potens.*

36. *Quem sæpè dico, & tranq.*] Q. l. *rerum humanarum, & ea quam sæpè dico, tranquillitas animi*, quæ lectio haud displicet.

37. *Et Themistocles quidem.*] Sic omnes vet. libri, demto Parcensi, in quo hoc modo est: *& Themistocles quidem nihil dixerit, in quo Areopagum adiuuerit; at ille verum est adiutum esse Themistoclem.* Obseruandum quoque in opt. libris *Areopagetas* scribi. Item nec prætereundum, Aristotelem scribere in II. Politicon, Solonem cum alia pleraque Atheniensium instituta abrogasset; Areopagi senatum, quod is popularis esset, retinuisse, id quod sic etiam Cicero indicat, dum constitutum eum senatum dicit à Solone, hoc est enim *constituere*, confirmare, stabilire, vt in Lucullo: *In eo tanta prudentia fuit, constituendis temperandisq; ciuitatibus; vt hodie stet Asia Luculli institutis seruandis.* Sic III. VIRI R. P. C. Eadem fere significatione *condere* dictum est à Pompeio Trogo libro XIX. *Mago*, inquit, *Carthaginiensium Imperator, cum primus omnium ordinata disciplina militari imperium Pœnorum condidisset, viresq; ciuitatis, non minus bellandi arte quàm virtute firmasset; defungitur.* Fuit enim ante Solonem concilium Areopagi, cum ab eo Cephalum Deionii filium, qui Minois Cretensis temporibus vixit, damnatum scribat Apollodorus libro III. Bibliothecæ. Vide & Pausan. quæ ideo prolixiùs recensui, quia Pet. Victorium lib. VI. Variar. c. V. video non considerasse huius verbi vim, dum credit *Areopagitas* primum à Solone institutos Ciceronem hic tradere: quanquam & in ea sententia quosdam olim fuisse Plutarchus referat in Solone.

38. *Dilatatum putatur.*] Dictio, *dilatatum*, in tribus alioqui optimis libris, abest, facit-

facitque ea certè anhelosam orationem: nec tamen video vt amitti possit; nisi *putatur* ea ferè significatione dictum interpretemur, quo *censendi* verbum, de quo Budæus in Pandectas. Pro *parentiores*, in plerisque libris *paratiores*, repperi scriptum, quo modo infrà: *Promtiores igitur debemus esse, ad nostra pericula, quam ad communia; dimicareque paratius de honore & gloria.*

39. *Maius otium*] non, *odium* in omnibus libris repperi. Sed annotauit etiam illud Victorius lib. VII. Variar. cap. XIII. Periculosissimæ enim sunt conspirationes dum in vtramque aurem dormitatur; maximè verò, id quod hic accidit, populo velut respirante à longis bellis ciuilibus, armisque quodammodo proiectis, id quod in Ilii excidio Homerus expressit. *Otium* enim non tam cessationem significat, quàm securitatem quandam, Terentio, in Andria; & alibi.

40. *Quam decertandi fortitudo.*] Sic prius legebatur: sed postrema vox à grammatista aliquo adiecta erat.

41. *Idque est viri magni.*] Vet. libri, *idque est viri, magnis rebus agitatis*, sed mendosè: neque interpretes intellexerunt: Vult enim Cicero virum magnum non temere ad puniendum ruere, sed expensa demum & in animo diligenter volutata causa: Nam hoc est *agitare*: à quo *cogitare*, quasi *coagitare*, vt *cogo*, pro *coago*. Sall. in Iug. *quæ cum præcepta parentis mei agitarem.* Et paullò pòst: *Nam callidus id modo festinabat, Bocchi pacem imminuere, ne mox agitando, aliud quàm bellum mallet.* Sic Cicero in II. de Finibus, & alibi eo verbo vtitur: nam quæ in deliberationem reuocamus, ea nunc huc, nunc illuc tanquam mouemus, vnde Translatio verbi.

42. *Calida consilia.*] i. Extemporanea & temeraria, qualia mulierum & sunt & appellantur. Ita capit Terent. in Eunucho, ita *calidum mendacium* Plautus, *calidam liberalitatem* Nepos in Attico. Et *calidum & impatientem* ducem Annibalem vocat Eutropius, ita enim malo quàm *callidum* eo loci legere. Quanquam fuit in eo cum hoc feruore animi, mirabilis & vere Pœnica calliditas coniuncta. Eodem modo Græci τὸ θερμὸν accipiunt. Notandum autem hic omnes manusc. libros habere, *calida consilia & quietis & cogitationis, splendidiora & meliora videri.*

43. *Quam addubitata.*] Credidi aliquando *adducta* pro *addubitata* legi posse, q. d. *re explicata*, hoc est confecta quouis modo, quàm *adducta*. i. contracta & reuocata in deliberationem, vt in vtroque verbo eadem seruetur metaphora: quomodo Liuius lib. XXIII. *re laxata postero die per minorem trepidationem retinuerunt Optimateis*: id est, dilata & in alteram consultationem reiecta. Sed cum libri veteres nihil varient, & sic verbum *addubitare* videatur accepisse in libro I. de Diuinat. nihil ausus sum mutare. Sanè verò vt periculosum est aureo hamo piscari, ita palam damnosum argenteo vomere arare, vt Thucy. loquitur. Nam hic certum est detrimentum. Sæpenumero longè inferius est id quod quærimus, quàm ipsa belli impensa: mitto quod Mars communis. Sapientis igitur est, ortam iam tempestatem, quauis ratione sedare, vel consilio repentino, si res exigit, vel matura deliberatione, si secus: dum tamen prius boni consequatur ea sedata, quàm manente sequeretur mali.

44. *Non*

44. *Non ponebat enim.*] Vet. omnes libri, *non enim ponebat*, demto Parisiensi, qui, *Non hic ponebat.*

45. *Qui punitur aliquem.*] Ex Marcello *punitur* reposui, nisi quis *pænitur* malit, vt habet vetustiss. vnum exemplar cum hic, tum Tusculana I. *Cum multi inimicos etiam mortuos pæniuntur.* Et Philipp. VIII. *Clarissimorum hominum crudelissimam pæniretur necem.* Sic *vetari*, *queri*, pro *vetare*, *quærere* dixit de Legibus.

46. *Et quasi quidam.*] q. l. *in qua verecundia quasi quidam ornatus vitæ.* Est enim me hercule *Verecundia* in vita humana tanquam flos quidam, sed rectiùs ad *Temperantiam* refertur. Sequitur enim Platonem, cuius sunt hæc verba: *κόσμος τίς ἡ σωφροσύνη ἐστὶ, καὶ ἡδονῶν τινῶν καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια, ὥς φασι.*

47. *Sicut somno, & cateris.*] In lib. Parcensi, *quietis cateris*, scriptum est: *Quietes* enim plurali numero poëticum quiddam sonat. Varro III. rerum rusticarum: *Nam ibi vidi greges magnos anserum, gruum, pauonum, nec non glirium, piscium, aprorum, & cætera venationis.* Ad quietem autem præter somnium spectant deambulatio mollis, gestatio, lauatio, ludi, ioci, alia id genus. Varro II. rer. rust. *In luto*, inquit, *suum requies est, vt lauatio hominum.* Sed cum in admirandæ vetustatis exemplari quod in Abbatia Diui Laurentii apud nos asseruatur, verum plus dimidia parte truncatum, neque *quietis*, neque *quietibus* repperissem, nihil dubitaui vtrunque, vt superfluum, repudiare: nam in omni re modus optimus est.

48. *Vt ne nimis profundamur.*] In omnibus exempl. vet. quæ ego quidem viderim, ita scriptum offendi: *vt ne nimis omnia profundamus.* Quando autem hic non de pecuniæ profusione agitur, alio enim loco de prodigis tractat (ne de ludis quidem illis in quibus victori præmium pecuniæ aliquod obtingat, cuiusmodi ludos nemo vnquam laudauit, & ipse Cicero improbum quæstum appellat eum qui è ludo talario redit) ex *profundamur*, existimo factum *profundamus*, librariis vim verbi non capientibus, deinde ab aliis *omnia* adiectum: nisi malis pro, *omnia*, scribere *animo.* *Profusum iocum* paullò antè in vitium dixerat: sic *profusam hilaritatem.* Tuscul. IV. & pro Cælio: *Voluptates quæ cum inclusæ diutius, & prima ætate compressæ & constrictæ fuerunt, subito se nonnunquam profundunt, atque eiicìunt vniuersæ.*

49. *Inueniendi officii.*] Pro *inueniendi* liber S. Laurentii habet *muniendi.*

50. *Alium quidem quamuis.*] Omnes veteres libri, *alium quemque, quamuis.* Paullò pòst, pro *Mancia*, quod habent libri m. s. Interpretes legunt, *Numantinus*, & suo more nugas nugantur. *AElii Manciæ* mentio est Valerio Max. lib. V.

51. *Quod est cuiusque maxime suum.*] Quidam libri *quod est cuiusque maxime. Suum igitur, &c.* alii quomodo edidi. Nam *suum*, pro *proprio* vel pueris receptum est. Hinc ille Terentii locus elegantissimus in Eunucho explicatur: *Viden' os suum & cibus quid facit alienus*, quanquam Bembus *ossum* legerit, alii *otium*, vtrumque *ἀπροσδιόνυσον.*

52. Hic

52. *Hoc Herculi Iouis satu edito.*] Tres m.s.libri & item Petri Victorii: *hoc Herculi Iouis sato potuit fort.cont.* quod posset retineri, vel certè ex eo fieri, *Ioue sato.* Non displicet tamen communis lectio. Voluit enim ex veteri aliquo Tragico tumorem addere Orationi, non sine Sarcasmo.

53. *Sensim dissuere.*] Eleganter & acutè *dissuere*: Vet. tamen libri omnes habent *diluere*: quod hic est extenuare, sic colores, sic vina diluimus, sic vnguenta lacrimis diluere Ouidius dixit, auctoritatem diluere Seneca: sed maximè ad hunc locum pertinet, quod Gellius priscorum vocabulorum præcipuus sectator libro XII.cap.I. *Vinculum*, inquit, *coagulumq. animi atq. amoris, quo parentes cum filiis natura consociat, interscindunt, aut certè quidem diluunt, deteruntq.*, vbi *deterunt* eadem metaphora, nempe à pictoribus colores terentibus, vt Horatius, *culpa deterere ingenii*, id est imminuere.

54. *Inscientia.*] Et hoc loco & centum aliis cum Ciceronis, tum Cæsaris *inscitia*, pro *inscientia*, edidêre typographi, cum *Inscitia* sit ruditas & inelegantia, vt I.de Legibus: *Ecce autem successere huic belli Clodius, Asellio: Nihil ad Cælium, sed potius ad antiquorum languorem & inscitiam.* Sic & in Bruto accipit: quanquam non ignoro Horatium, *inscitiam* pro *inscientia* id est ignorantia dixisse. Philipp. II. *Implicata inscitia, impudentia est.* Quo loco concursu vocalium fugato, librarii, *inscitia*, reposuerunt, contra vet. librorum fidem.

55. *Si in eiusmodi rebus.*] Vet. quatuor libri habent, *hi in eiusmodi quidem rebus*, sed ego Parcensem secutus sum.

56. *Scanicorum.*] *Scæna* cum æ scribi Priscian. libro I. testis est, & ita non semel in marmoribus Romæ obseruaui incisum: ita etiam in vet. libris scribitur. Vide Varro. de lingua Latina. Græci tamen σκηνὴ scribunt. Et Victorium lib. XVII. Var.c.23.

57. *Vtcunq. aderunt.*] Sic in omnibus vet. lib. habetur: id est, *cuicuimodi homines*: aduerbium loco nominis. Terent. *Sic homo est, ita homo est.*

58. *Vt ea facere videamur irati.*] Cum prius legeretur, *vt ne ea facere videamur irati*, de vet. duobus exempl. particulam, *ne*, expunxi: nam simulata ira maximè animos adolescentium percellit, magisque si à viro aliquo graui procedat. Sic Menedemus Asclepiadis amici filium luxuriosum & dissolutum excludens à schola nec alloquens, sobrium reddidit, vt refert Plutarch. Si ita hunc locum non interpretemur, postea idem repetatur, his verbis: *sed tamen ita procul absit*, id est, ne vere irascamur. Quod subditur, *magnam autem partem*: ita dictum est, vt supra, *Maximam partem aggrediuntur*, & apud Cæsarem IV. de bello Gallico, *Magnam partem lacte atq. pecore viuunt.*

59. *Accessionem adiunxit.*] Libri scripti vel *accensionem* vel *ascensionem* habent.

60. *Non repulsam solum sed ignominiam.*] Talis locutio est in Verrem de signis: *Mamertina ciuitas improba antea non erat, etiam erat inimica improborum.*

Et I. de Legibus : *O rem dignam in qua non modo docti, etiam agrestes erubescant.*

61. *Heu, quam dispari.*] q. l. pro, *heu*, habent *&*, meliores neutrum: Omnes, *quam dispari dominare domino?* And. Alciatus legit: *O domus Anci quàm dispari domino dominare.* Vt liquescente litera f. hexameter versus exeat de vrbe Roma prolatus. Sed videtur de priuata aliqua domo in scæna carmen pronuntiatum, quod sequitur: *Quod quidem his temporibus in multis licet dicere*, in elegantissimo illo libro Laurentiano absunt duæ hæ dictiones *in multis.*

62. *Horum autem trium.*] Vet. omnes: *horum tamen trium.*

63. *Vt si quid dedeceat.*] Potior pars librorum m. s. habet *vt si quid non deceat in illis.* Sic *non-dignus, non-idoneus* sæpè; *indignus, inidoneus* raro in m. s. s. libris Ciceronis inuenitur.

64. *Et verò etiam Poeta.*] *Et verò*, affirmantis est, vt de Clar. Orat. *Et verò maximus ille Scipio vehemens fuit.* Et de Diuinat. *Dicitur istud quidem à Cotta, & verò sæpius.* Ineptè interpretes, *veri poetæ* legunt. *Quid peccati*, eadem figura dixit, qua *quid explorati, quid acti*, VIII. ad Att. *Quid ad eam est parati?*

65. *Nihil homine, nihil libero dignius.*] In tribus opt. libris scriptum est, *nihil libero dignius. Hominem* enim ferè appellat eum qui sapientiæ præceptis informatus sit, *liberum* modo qui seruus non sit, IV. ad Att. *Sed si vis homo esse, recipe te ad nos.* Terent. (quem Cicero vbique exprimit) in Adelph. *Et tu illum tuum, si homo esses, sineres nunc facere.* Magis ad nostrum propositum, quod supra de iocis: *Alter si tempore fit, vt si remisso animo, homine dignus, alter ne libero quidem.* Et in Lælio: *Quæ non modo amico, sed ne libero quidem digna sunt.*

66. *Princepsq́; omnium Virtutum.*] Verbum *est*, vet. libri non habent, refertur enim ad ea, quæ mox sequuntur, *Illa autem sapientia*: modo loquendi non infrequenti apud Ciceronem, vt supra hoc libro cum de *modestia*, quam εὐταξίαν interpretatur, agit.

67. *Lysis.*] In vnico libro, *Lysis*, rectè erat. *Lysias* enim Rhetor, nihil ad hunc locum. *Lysis* Tarentinus Pythagoræ auditor Thebas confugit, & Epaminondæ ibi factus præceptor est, Diogenes, Pausanias & Plutarchus de Musica. Nepos quoque Cornelius, seu quis alius, in Epaminonda; *Carmina*, inquit, *cantare tibiis ab Olympiodoro. Saltare à Calliphrone: ac Philosophiæ præceptorem habuit Lysin Tarentinum: cui quidem sic fuit deditus, vt adolescens tristem & seuerum senem omnibus æqualibus suis in familiaritate antepofuerit.*

68. *Virgula diuina, vt aiunt, suppeditarent.*] Sic & suprà & in Bruto, aliasque sæpè dixit, *suppeditare*, pro ad pedes, & in promtu esse, Rutil. Lupus Rhetor: *Aristoteles*, inquit, *dicitur dixisse, eius esse vitam beatissimam, cuius & fortuna sapientia, & sapientia fortuna suppeditaret.* Sic Liuius, sic alii locuti sunt.

69. *Partim ita flagit.*] *Partim* non semper geminatur, vt II. de Legibus: *Quorum scelere religiones tum prostratæ, afflictæq́; sunt, partim ex illis distracti ac dissipati iacent:*

cent: Qui vero ex iis, &c. Salluſt. in Oratione C. Cottæ: *Quorum alia tolerant, partim repuli Deorum auxiliis & virtute mea.*

IN SECVNDVM LIBRVM DE OFFICIIS.

1. *Qvid vtile, quid inutile.*] Cum libri hactenus editi, omnes ſic habeant, *ſequitur vt hæc officiorum genera perſequar, quæ pertinent ad vitæ cultum, & ad earum rerum quibus vtuntur homines, facultatem, ad opes, ad copias: in quo tum quæri dixi, quid vtile, quid inutile, tum ex vtilibus quid vtilius, aut quid maxime vtile*: in manuſcripto vetere exemplari nullo hæc poſtrema leguntur: *Tum ex vtilibus, &c.* neque in recens editis eodem modo habentur. Itaque ſemper mihi perſuaſi à Lectore ad marginem adſcripta ex locis duobus libri ſuperioris, deinde recepta à librariis, nam de lectione agetur libro tertio. Imò verò etiam vehementer metuo, ne tota hæc ſententia: *In quo tum quæri dixi, &c.* eodem mòdo irrepſerit: Nam ſi eam continues, cum his dictionibus: *ſatis explicatum arbitror libro ſuperiore, In quo tum quæri dixi, &c.* Superuacanea illa mihi videatur repetitio hoc quidem loco, cum, vt dixi, libro tertio de electione acturus ſit, igitur vel eiicienda tota, vel, *in quo*, id eſt, *in qua re, in qua deliberatione*, exponas neceſſe eſt, non, *in quo libro.* Vide extremum hunc librum.

2. *Honeſtiſſime poſſe deponi.*] Vulgò legebatur, *moleſtias poſſe deponi,* contra vet. lib. Nam verbum *deponi*, ad hæc præcedentia ſpectat, *tantum operæ & temporis.*

3. *Niſi ex vtraq; parte.*] Vet. ille liber Laurentianus, dictionem, *parte*, non habet, facitque ea anheloſam Orationem. Videor in Terentio ſimilem elocutionem obſeruaſſe. Cur verò nō? *vt hactenus, eatenus, quatenus, tuta ire, recta progredi.*

4. *Ad eam ſpeciem*] Q. libri *ſpem* pro *ſpēm*, ſed mihi non placet. *Inanimus*, & *Animal*, pro *inanimatus & animatus*, ſcribitur ſemper in vet. Ciceronis exemplaribus, cum horum tum aliorum eius operum.

5. *Non putant, his exceptis.*] Hic duas voculas, *his exceptis, &c.* verum ludimagiſtrorum lucernam redolentes, eraſi.

6. *Subueniri.*] In vnico exemplari ſcriptum fuit, malim *ſubmuniri.* Sed ne hoc quidem placet. Agit enim de ædificiis ipſis ruinoſis ſuffulciendis & inſtaurandis.

7. *Solum quem armis.*] Duo alioqui vetuſtiſſ. exempl. habent: *vnum quidem, quem armis oppreſſa pert. ciuitas, apparet cuius maximè oportuit interitus declarat*, alterum; *Quem armis opp. pert. ciuitas apparet, cuius maximè opportunè interitus declarat.* Fortaſſis ita legi poſſit: *apparet, cuius maximè oportuit, interitu, quantum, &c.*

8. *Tremefacta libertas.*] q. l. *timefacta.*

9. *Stigmatiam.*] Sic ex Nonio repoſui, cui aſſentiuntur vet. libri. Varro quoq; *Stigmatiam fabulam Latinam* citat. Strabo lib. IV. *Thraces & Illurios ſtigmatias* com-

memorat. Imò verò apud eos generosum erat, id quod hodieque Arabes quidam vsurpant: Cicero tamen ad ignominiam refert, vereor ne non satis considerate. Vide quæ ex Phanocle apud Stobæum leguntur: facit autem huc & magis quidem ad rem, quod Hesychius: τράλλεις, inquit, οὕτως ἐκαλοῦντο μισθοφόροι Θρᾶκες τοῖς βασιλεῦσιν, οἱ τὰς φονικὰς χρείας πληροῦντες.

10. *Nec eum fefellit.*] Sic ad Attic. XIV. *Sed nos, ni me fallit, iacebimus*, & in Oratore: sic Varro II. de re rust. Sic Tacitus: *Per speciem officij manum complexus, pulsum venarum attigit, nec eum fefellit*, malè typographi adiecerant *opinio*.

11. *P. Sulla, cum vibrasset.*] P. Sullæ, pro quo exstat ipsius Oratio, auaritiam notat, qui L. Sulla Dictatore proscriptionibus præfuerit: quibus velut imbutus sexto & trigesimo postea anno C. Cæsaris partes secutus sit, non multo humaniorem animum in Rempub. præ se ferentis. Sueton. scribit suspicionem fuisse, quod Cæsar antequam iniret Ædilitatem, cum M. Crasso, P. Sulla, L. Autronio conspirasset in Remp.

12. *Alius quidem aditus.*] q. l. *Sed est alius quidam quoq; aditus.*

13. *Carpitur beneficiis.*] *Carpere fructus* in paradox. *carpere corpus*, alibi, sic *carpere lanam* mulieres dicimus.

14 *Quasi perlucet.*] In duobus m. s. *prolucet*, scribitur, id quod non displicet: in tertio neutrum horum.

15. *Qui nec sibi, nec alteri.*] Sic ferè Prouerbiales sententiæ efferuntur, quasi vulgò vel à primo verbo notæ.

16. *Hunc dignum spectatu.*] Tres vet. libri, *hunc igni spectatum arbitrantur*, q. d. omnibus numeris perfectum, aurum enim igni examinamus si probum est, sic dicimur *aliquem spectare ex censu, ex voce, ex moribus*, vt pro Roscio Comœdo: *Nemo enim illum ex trunco corporis spectabat.* Sed magis placet recepta scriptura, vt in Lælio: *vir maximus & spectatus.* Et alibi, *fœmina spectatissima.* Nec Cicero ferè huiusmodi translationibus tam longè quæsitis vtitur, nisi cum Præfatione: *Vt sic dicam, vt aiunt, tanquam, quasi*, & id genus aliis.

17. *Pari iure pertinebat.*] Sic repperi scriptum in omnibus libris. Vt de natura Deorum: *Deus pertinens per naturam cuiusque rei, per terras Ceres, per maria Neptunus, &c.* Sic Varro, sic Liuius loquuntur.

18. *Adiuncto vero.*] Locutio elegans & vsitata. Sallust. V. Historiarum apud Priscian. *At Lucullus audito Marcium Regem Procos, per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.* Et iterum: *Legiones Valerianæ comperto lege Gabinia Bithyniam & Pontum consuli datum.*

19. *Perpetuos sumtus supped.*] Dictio *sumtus* in antiquiss. libro non est.

20. *Et collocanda ratione.*] Traiectense exempl. *colenda.*

21. *Nomen obtinent.*] Alii *numerum obtinent*. Emendatissime scriptus; *numero ptinent*, mihi placet horum librorum scriptura.

22. *Cum laude meditari.*] Locus erat corruptissimus. *Meditari* est exercere, & tam

tam ad corpus, quam ad animum pertinet. *Domi* igitur *meditari*, hoc est, periclitari & declamatorio genere exercere. Intelligit autem nobilem illam Carbonis accusationem, de qua ipse in Bruto, & Tacit. de Oratorib. *L. Crassus*, inquit, *an. ætatis nonodecimo C. Carbonem accusauit, vno de vicesimo Cæs. Dolabellam*, ex quo loco emendandus Cicero in III. de Oratore, *annos natus vnum & viginti Carbonem accusauit*, scribendumque *vnum de viginti*.

23. *Ea sæpè vniuersam.*] Liber vnus m. s. habebat; *ea sæpè vniuersam excitat turbam vel gloriam*, ex quo facilè coniicio, dictionem hanc *gloriam*, ab indocto glossematio irrepsisse, quid verò sit, *vniuersam excitare gloriam?* refertur itaque ad *multitudinem*.

24. *Vt iis quos ante dixi.*] Has septem dictiones, *vt ii quos ante dixi: aut vlciscendi*, ex libro Gallico inserui: quas suspicari licet homines Christianos tanquam vltionem approbantes, eiecisse. Intelligit autem M. & L. Lucullos fratres, qui Seruilium Augurem accusarunt, quo accusatore L. Lucullus illorum pater damnatus fuerat repetundarum, vt Plutarchus refert. Et ipse Cicero in Lucullo, & de prouinciis cons. *Quæ fuerunt inimicitiæ in ciuitate grauiores quam Lucullorum atque Seruiliorum, quas in viris fortissimis non solum exstinxit Reip. dignitas, sed etiam ad amicitiam consuetudinemque traduxit.* Non negauerim tamen etiam receptam scripturam retineri posse. Nam & Reip. causam in Seruilii accusatione prætexuêre Luculli.

25. *In Albutium Iulius.*] T. Albutius homo Epicureus pro Pr. in Sardinia piratas superauit: inde se gessit insolentius & velut triumphi ibi speciem duxit, etiam supplicationem petiuit à Senatu, quæ non modo petitio repudiata, sed ipse Albutius à C. Iulio L. F. Strabone, Sardis id eum rogantibus, accusatus & damnatus est: Hæc ferè Cicero in Diuinat. in Pisonem, & de prouinc. consul. Orationis huius meminit & Sueton. in Iulio. Quis igitur non videt hic non, pro *M. Albutio*, sicut habent omnia exemplaria etiam manu exarata, sed, *in Albutium*, legi debere? Agit enim Cicero de accusationibus. Mox. *M. Aquillium* L. Fufius accusauit, vt ex Bruto apparet. Quanquam ibi vulgò *M. Aquillius* scribatur, minus tamen corruptè, quàm hic *M. Manilius*, vt ante nos legebatur.

26. *Item*] significat *similiter*: apud Varron. Ciceron. Sallust. aliosque, pro quo sæpè typographi, *ita* vel *iterum*, edunt.

27. *Tamen altera ex Virtute.*] Cum in libro Abbatiæ Vallis D. Lamberti, hæ tres voculæ, *altera ex arca*, non legerentur, desii eas, vt antea, suspectas habere: imò vt subdititias reieci.

28. *Quod sordidum Regi.*] Sic omnes libri. Et infra libro III. *Ei senatus est assensus*: *Turpe imperio*, & paullò suprà hoc lib. *Id cum periculosum est, tum etiam sordidum ad famam.* Sunt autem Cicer. verba non Philippi: quod arguunt ista sequentia: *Melius etiam, &c.* Demosthenes tamen Olynthiaca I. Philippum & re-

gem, & ducem & ταμίαν, hoc est *prabitorem* fuisse scribit. Quidam hic pro *prabitorem*, scribunt *diribitorem*, vocabulo proprio illo quidem, sed quod in nullo exemplarium meorum legitur.

29. *Diligenter.*] Hic significat, cum delectu, & cum ingenio, vt Iurisconf. loquitur, à *dilego*, pro quo longè diuersa significatione *deligo*, scribunt. Tractantur hæc in IV. Nicomachicon, ad quem locum Cicero videtur spectare.

30. *Non admiremur.*] Videtur Cicero in hac sententia exprimenda nonnihil laborare, id quod alias quoque ei contingit, dum Græca vertit, vt bene ab Hieronymo in Præfatione Eusebii notatum est. Duo hæc verba, *nos reprehendit*, vt adulterina, ejeci: Est enim Oratio præcisa, vt sæpè his libris Philosophicis: & verba intelliguntur vel illa ipsa, vel *quaritur, admiratur, expostulat*, aut simile quid, quod manifestum fieret si Aristotelis ea sententia Græcè extaret. Nam in iis libris qui supersunt, nihil tale offendo. In quarto enim Nicomachicon (quos tamen libros Cicero de Finibus III. & Diogenes in Eudoxo videntur ad Nicomachum Aristotelis F. auctorem referre) non improbantur sumtus, qui in ludos & talia alia fiant. Obscuritatem huic loco facit mutatio personarum in verbis *admiremur, & attenderint*, cuiusmodi non infrequens est in Cicerone & aliis bonis scriptoribus: deinde eadem repetita sententia, ibi, *Qui non admiremur*, &, *In his immanibus*: tum etiam insolens significatio verbi *admirari*, quod propriè est intueri acrius, ac magni ducere, id quod negant Stoici, nisi in ea quæ per se pulchra & expetenda sunt, cadere. Hoc verò loco est alienum & absurdum existimare, vt & infra libro III. *Homo autem iustus*, inquir, *isq; quem sentimus virum bonum, nihil cuiquam quod ad se transferat, detrahet; hoc qui admiratur, is se, qui sit vir bonus, nescire fateatur.* Id quod subiicit: *Cum præsertim*, ἀνακεφαλαίωσις est ad confirmationem & explicationem Aristotelicæ sententiæ. Quanto, inquit, verius Aristoteles nobiscum expostulat, qui tantopere obstupescamus; si eum qui obsessus ab hoste sit, audimus immenso comparasse commeatum, in tanta quidem necessitate: contrà verò nihil admirabile, nihil stupendum nobis videatur, si pecuniam innumerabilem ad plebeculam duntaxat oblectandam, proiici videamus: eo verò magis, quod nulla inde plebi vtilitas, nulla præbenti dignitas quæritur. Nam postea subiicit duobus his casibus huiusmodi largitiones fieri posse in populi egestate, & cum per eas maius aliquod emolumentum vel Reip. vel etiam tibi acquiras. Sanè immensa patrimonia in nonnullorum ædilitiis muneribus exhausta fuisse constat.

31. *Ad breue exiguumq; tempus.*] Ita omnes libri: & in Catone Maiore, *Iam sensus moriundi, si aliquis esse potest, is ad exiguum tempus, præsertim seni.* Sueton. in Tiber. *Prægrandibus oculis, & qui quod mirum esset, noctu etiam & in tenebris viderent,*

sed ad

sed ad breue. Quod sequitur, *in quo tamen ipso*, scil. leuissimo quoque intellige, nam Interpretes hic excutiunt.

32. *Quamquam intelligo.*] Verbum *intelligo* ab exemp Vallis D. Lamberti abest, in altero legitur quidem, sed transpositum: in Parcensi, *intelligam*, pro eo scribitur. Ego cum bona Grammaticorum venia si liceret, ipsum eraderem, tota hæc Oratio erat mendosissima.

33. *Diuitissimus.*] Hic scriptum repperi, vt *diuitior* dixit Terent. & ipse in Paradox. Haud scio an hic est Mamercus Æmilius Lepidus, qui Cos. fuit cum D. Bruto, anno DCLXXV. *Decimam* verò *Herculis* intelligit, quàm Plautus *partem Herculaneam* vocat. Ea in semitis persoluebatur, quia ille itineribus præest: Sex. Pomp. vbi de *Sango*. Vide Varro. in V. de lingua Lat. Persoluebatur autem potissimè à mercatoribus, si quid euenerat ex voto, nam & Thesauris eum præponebant: De qua re ex Persio Satyrico.

34. *M. Seio vitio datum.*] In vno libro *M. Sergio* erat, corruptè, vt puto. Nam Plin. lib. XV. *Anno*, inquit, *DCXXC. M. Seius L. F. AEd cur. olei denas libras singulis assibus præstitit populo R. per totum annum*, quo tamen loco, manuscriptus liber meus *M. Seruio* habet. *Seruio* autem pro *Sergio* & contra per sæpe occurrit. Meminit eiusdem Cicero pro Plancio.

35. *Dicebat idem C. Curio.*] In duobus exemplaribus, *Curio*, non legitur. In alio perquam antiquo; *dicebat autem Quotta Curio.* Cum autem tres ea tempestate *Cottæ* consulates fuerint, C. M. L. vt Ascon. recenset, non debuit sine prænomine *Cottam* nominare. Itaque nonnunquam putaui legendum *C. Cotta.* Nam & in fronte Verrinarum veteris libri, *in Curium Verrem*, inueni scriptum, pro, *in C. Verrem.* Sed magis placet *C. Curio* vt puta *C. Scribonius Curio* Orator bonus & perpetuus improborum hostis, Cic. in Vatin. Verr. II. pro Lege Manilia, pro Rabirio. Is Cos. fuit cum Cn. Octauio anno DCLXXII. de quo puto loqui Valerium libro IX, dum *Curionem omnibus honoribus abundantem* appellat. Scio alios, *Cotta, Curio*, sic interpungere: Sed viderint illi.

36. *Et tum ipsa.*] Peruetere duo libri habent, *tum ipsum*, pro *tum ipsa*, vno accentu, & specie aduerbii, non admodum aliena ab illa, de qua in Paradox. *aliquid magni.* Quæ non ideò adnotaui quia probem, (nondum enim constitui) sed vt aliis obseruandi occasionem præbeam, multa enim hodie sæpè reiicimus, quæ maximè probare debeamus, & è diuerso, ignoratione antiquitatis.

37. *Qui omnes superiores.*] *Ser. Sulpicium* vult dicere, de quo ipse libro de claris Orat. non verò *C. Cæsarem* quamuis & ipsum Iurisconsultum.

38. *Est in toga dignitatis.*] Cùm antea legeretur, nullo sensu, *in tota dignitate*, de exemplari Vallis sancti Lamberti locum restitui. Cicero *togæ* appellatione libenter pro pace & otio publico abutitur. Quod sequitur, *gratuito defendentis*, id est gratis: sic enim Ciceronem fecit

fecisse Plutarch. scribit: & ipse Crassum in Paradox. notat, vt mercedes patrociniorum paciscentem.

39. *Aut consuluntur, aut*] *Consuluntur* Iurisconsulti, Oratores *defendunt*.

40. *Et qui retulerit, habere.*] q. l. *& qui reddiderit, non habere: & qui habuerit retulisse*. Vide Orationem pro Plancio, & Gellium.

41. *Potentior sane sit.*] Vnus liber pro *potentior* habet *opulentior*, alii I I I. *vtentior*, coniiciant docti.

42. *C. Gracchi.*] Cum legeretur *C. Helii T. Gracci*, scripsi quod in vet. lib. inueni, causam mendi prodidit exemplar illud quod Maguncia excusum est à principe Typographiæ anno M. CCCCLXV. in quod tantum *C. Gracci* legitur: Itaque ex C. factum est *Cælius*, deinde *C. Elius*. Nota est historia *C. Gracci, & M. Octauii* ex Liuio.

43. *Ne illi multa sæcula.*] Legebatur prius, *nec illi quidem multa sæcula exspectandum fuit*. Sed cum particula, *quidem*, in vet. nullo exempl. exstaret, reposui *ne*. Quanquam à C. Pontii morte vsque ad Marcium Censorinum & M. Manilium Cos. (quo anno L. Piso Tr. Pl. fuit) anni sunt non plus CXLI. ad Hirtii & Pansæ consulatum (post quem libri de Officiis scripti sunt) anni CCXXVII. tantum intercesserunt, quo spatio paullò plus duobus sæculis continetur: siquidem *sæculum* C. annis definimus. Pontius enim à Q. Fabio Gurgite securi percussus est, anno ab V. C. sexagesimo secundo post quadringentesimum, vt omnes tradunt. Sed & in Bruto, si rectè memini, spatium minus CCC. annorum, *multa sæcula* appellat. Interim Plutarchus emendandus in Parall. & vbi *Marius Lamargus* Pontium vicisse scribitur, *Fabius* reponendum. Item locus in Bruto restituendus, vbi de hoc *L. Pisone* agit; *Quæstiones*, inquit, *P. repetundarum hoc adolescente constitutæ sunt, quæ antea nullæ fuerunt*. Sic enim legendum, non, *quæstiones perpetuæ*. Error autem natus ex notis his *p. rep*. videtur. Quod subdit *proximæ quæque duriores*, ideo est, quod primæ illæ caput non deminuerent: nam L. Lentulus repetundarum damnatus, anno sequente censor fuit, posteriores exsilium irrogarunt. Pædian. in diuinationem, quod P. Rutilii. C. Catonis, C. Verris exemplis constat, quos exsilio damnatos Cicero pro Balbo, & Velleius testantur.

44. *Præter memoriam.*] Meliores libri *memoriam præter*, vt alibi, *quos inter*.

45. *Vrbem est potitus.*] *Potior* accusandi vel auferendi casum sortitur. Tuscul. II. *Ego doleam si ad decem milia annorum aliquem gentem nostram vrbem potituram putem?* & II. Rhetoricon, *si eum portum, quem conspicerent, potiti essent*.

46. *Nicoclem.*] q. l. *Metoclen* alii *Metodeum*. Sed Plutarchus in Arato *Nicoclem* vocat.

47. *Prouidendum est.*] Hic locus alioqui elegantissimus, pessimè fuerat attrectatus, hoc autem dicit: Videndum in primis ne sit æs alienum, quod Reip. officiat: sin verò iam sit contractum, non per leges agrarias, non per nouas tabu-

las, quæ

las, quærenda ratio illius diſſoluendi, vt ſcilicet creditores, quia locupletes ſint, ſuum non conſequantur; debitores, quia inopes, lucrentur alienum, hanc enim viam eſſe iniquam, tum etiam Reip. damnoſam, ita enim futurum, vt ſocietas omnis tollatur, ſi rerum contrahendarum nulla fides ſit, in ſumma, alieni rapiendi, ſui perdendi libido augeatur deſidioſis & improbis: itaque aliâ ad hoc ingrediendum, &c.

48. *Hic noſter victor, tunc.*] Libri omnes manuſc. *At vero hic nunc victor, tunc quidem victus, quæ cogitaret, tum ea perfecit, cum eius iam nihil intereſſet:* ſic & Maguntiacenſis, niſi quod pro, *nunc*, habet *noſter:* & contra pro *tunc*, habet *nunc*, C. Cæſar paucos dies antequam iniret ædilitatem in ſuſpicionem venit coniurationis cum P. Sulla. M. Craſſo L. Autronio, quod Plutarchus & Suetonius apertè referunt, Cicero hic indicat, vt ſup. monui num. 11. Salſe igitur hic noſter victor, & inuidioſe in mortuum: tunc quidem victus, nempe detecta coniuratione, & auctoribus partim cæſis, partim ſpe ſua fruſtratis. Nam æs alienum cauſa fuit & illius & Catilinariç conſpirationis, vt ex Salluſt. patet. Refertur autem à Suetonio & Plutarcho, anno poſt motus Catilinarios Cæſarem in Hiſpaniam procoſ. profecturum, à creditoribus fuiſſe retentum, ac M. Craſſum DCCC. XV. talentorum pro eo ſpopondiſſe. Quod ſubditur *ea perfecit*, nempe, ſe ac Bibulo Coſ. dum agros publicos egentibus largiebatur, atque inuito ſenatu & collega ſuo omnia pro libidine agebat; dominationem, quam poſtea perfecit, inde auſpicatus: *Tunc verò illius nihil intererat* æs alienum donari, nouas tabulas concedi, cui quantum luberet, de publico licebat ſumere, ſeſe ære alieno liberare. Sed *tanta fuit*, inquit, *in eo libido peccandi.* Sunt enim nonnulli adeò naturæ vitio impotentes, ſuperbi, importuni, vt quod ſemel libuit, vel cum iactura & periculo, aliquando perficere velint: quaſi verò indignum ſit ab errore decedere: quo genere hominum nulla peſtis maior ab natura nouerca edita eſt. Si accedunt opes, ſi genus, ſi demum dignitas: iam Siculum regnum exſpectes. His ego Brutum aliquem vel Ahalam libenter obiecerim, immò verò ſim etiam. Si legas, *nunc quidem victus*, ad Cæſaris necem referre debeas, & ſit frigidè dictum. Cicero enim vbique nobilem illum ſuum conſulatum inculcat.

49. *Propter imbecillitatem.*] Vet. libri omnes, *propter humilitatem*, id quod placet.

50. *Et obſeruat, quæ res.*] Familiare eſt Ciceroni nominibus conſtructionem verbi ſui dare. Sic ſupra, *ſpe, ſibi id vtile futurum.*

51. *Bene veſtire.*] Interpretes legunt *vitire*, & ita repperi in vno vet. exempl. nam Cato in agro comparando primum locum vineæ tribuit. Sed melius *veſtire*: vt non de vineis tantum, ſed de omnibus tam fructiferis quàm arbuſtiuis loquatur, ex quibus redit fenus maximum & nulla opera. In Tuſcul. V. *Sepulcrum veſtitum vepribus.* Alibi, *montes veſtiti atque ſilueſtres.* Salluſt. in Iug. *Collis*

 veſti-

vestitus oleastro & murtetis. Columell. *agrum vineis vestire* , omnia iucunda translatione.

52. *Vellem etiam de.*] Vet. vnus liber, *vellem etiam de vtenda*, quod maximoperè placet, neque enim de vsu pecuniæ, à fœneratoribus traditur: quod si æquè fieret, atque de ea vel quærenda vel occupanda, magnus, me hercule, fructus ex ea schola rediret ad Remp. *Optimos viros, εἰρωνικῶς* dictum est: nec aliter licebat ea tempestate, principibus ciuitatis fenori operam nauantibus.

IN TERTIVM LIBRVM DE OFFICIIS.

1. R*Vra peragrantes.*] Dictio, *rura*, in optimo libro abest, vt fortassis, *peregrinantes*, scriptum fuerit. Nam *Peregrinari* est ab vrbe abesse, quasi peragrare, Tusc. V. *Cui cum peregrinanti comitibus non secutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum illo pane iucundius.* Quo loco vulgò contra omnes manuscr. libros, *peragranti AEgyptum*, legitur.

2. *Atq; in oculis ciuium.*] Liber optimus non habet, *ciuium.* Est autem elegans, *in oculis esse*, pro obseruari, admirationi esse. Postea, *vixerimus*, in omnibus m.s.

3. *Nulla tamen eius ing.*] Pro *tamen*, in IV. m.s. exempl. *enim* reperio: & paullò pòst, *debeat*, pro *debet.*

4. *Ad mercaturam.*] Quidam libri *mercatum.* Sic Plaut. & ipse in Tuscul. V. vocat cœtum & conuentum mercatorum. Sed Nonii tempore, *mercaturam*, legebatur.

5. *Testis locupletis.*] Ex Nonio *locupletis* restitui.

6. *Ita legere.*] Sic infra, *legere voluptates*, & IV. de Finibus: *Illa autem, morbum, egestatem, dolorem, non appello mala, sed si lubet, reiectanea: itaque non dico illa me expetere, sed legere, nec optare, sed sumere, contraria autem non fugere, sed quasi secernere.* Diuersum est *negligere*, hoc est, prætermittere, quod vel data opera fit, vt in Adelph.

Fortunne factum existumetis, an locum
Reprehensum, qui præteritus negligentia est?

id est, volente, sciente auctore, paullò suprà; *Etenim quod summum à Stoicis dicitur*, Veteres aliquot libri habent.

7. *Officia compareant.*] Al. *comparantur*, quod placet.

8. *Cum vtilu repugnantia comp.*] Aliquot libri vet. *cum vtilitatis repugnantia comp.*

9. *Ab eis differuntur.*] Vet. *differentur.*

10. *Quid cum eo differas.*] In duobus vet. *edifferas.* Sic Cornificius ad Herennium: *deinde in coniecturalem trahetur controuersiam, & edisseretur, num consulto factum sit.*

11. Hu-

11. *Humana consortio.*] *Consortio* legit Nonius, & ita habent vet. libri, sic pro Flacco, *consortes mendicitatis* vocat.

12. *Consilium peremisset.*] Sic *reditum perimere* pro Plancio, vide Sex. Pompeium.

13. *Arripiunt, & secernunt.*] In duobus vetustiss. libris, scriptum fuit, figuratè. Sic III. de Legib. *Tamen libertatem istam largior populo, vt & auctoritate valeant & vtantur bonis.* Aliquanto ante, in exempl. Vallis D. Lamberti erat: *Tum non vtilitas relinquenda est:* fortassis, *tantum non vtilitas relinquenda est*, legas.

14. *Quas sapè perrumpunt.*] Vet. omnes, *quam sapè perrumpunt:* vt ad *pœnam* spectet, quam nunc gratia, nunc muneribus, nunc potentia effugiant. Sed quia ad vetus illud videtur respicere, aranearum telis leges esse similes, & in I. de Legib. *leges perrumpere* dixit, nihil mutaui.

15. *Vt ferunt fabulæ.*] Hæc tria verba ab quopiam nugatore addita sunt. Sunt enim adulterina, quamuis in omnibus libris reperiantur.

16. Dictio, *vsus*, non est in Parcensi.

17. *Muri causam opposuit.*] q. l. *apposuit*. Est autem hic *causa*, occasio quæsita & prætextus, quo modo & supra est vsus.

18. *Pace vel Quirini, vel Romuli.*] Ex ritu supplicantium, nam ne in nomine errarent, plura solent enuntiare. Horat. *Siue tu Lucina probas vocari, seu Genitalis*, & illud:

> *Luna, Deûm quæ sola vides periuria volgi,*
> *Seu Cretæa magis, seu tu Dictynna vocaris.*
> *Huc descende.* Post mortem *Quirinus* est vocatus.

19. *Vt vincat supplantare.*] Idas tamen, apud Statium, Parthenopæum arreptum capillis prostrauit, & ita cursu vicit.

20. *Qui classe valebant.*] Al. *quia classe*. Ælianus in Variis corruptè historiam refert lib. II. cap. IX.

21. *Pennus apud patr.*] Corruptè typographi, *Penius*, corruptius alii *Petronius* ediderunt, à quibus docti viri quidam decepti non desinent quærere à quo sit *lex Petronia* appellata. M. Iunius Pennus Tr. Pl. Lepido & Oreste Cos. hoc est anno P. V. C. DCXXVI. legem *de peregrinis* tulit, de qua Festus in *Respublicas: C. Graccus*, inquit, *in ea quam scripsit de lege Penni de Peregrinis*, quibus verbis Cicero explicatur in Bruto; *C. Graccum tuus, Brute, gentilis* (inquit) *M. Pennus face agitauit in tribunatu, Paullum ætate antecedens.* Fuit enim M. Lepido & L. Oreste Coss. Quæstor Graccus, Tribunus Pennus, illius M. F. qui cum Q. Ælio Cos. fuit. Cotta & Torquato Cos. id est, biennio ante Ciceronem consulem. Iacente *Iunia*, lex alia ab C. Papio, Tr. Pl. lata est, ne quis omnino peregrinus in vrbe habitaret, exceptis iis qui eam, quæ dicitur Italia, incolerent, vt refert Dion. meminit Cicero pro Archia, & alibi. L. verò Licinius Crassus & Q. Scæuula Cos. legem rogarunt, vt quisque in suæ ciuitatis ius redigeretur, quæ dicta est

Mucia Licinia: multi enim, cum ciues non essent, pro ciuibus se gerebant, quæ lex indignantibus principibus populi Italici, causa belli Italici fuit. *Iunia* ergò & *Papia* hæc, *de vrbe* fuerunt; *Mucia Licinia, de ciuitate*, quanquam & alia *Papia* de ciuitate multo antiquior fuisse videtur, qua M. Perpernam damnatum refert Valer. & haud scio an de ea intelligendus Cic. sit in Corneliana. De vrbe etiam peregrinos Lycurgus lege lata eiecit, vt refert Thucydides, caute: ne externis se populus oblineret moribus: id quod & Pennum mouisse existimo, vt illo sæculo: vel certè ob pericula factionum, tot intra mœnia receptis, quibus susque deque esset, benè an malè res irent. Nos hic nuper non peregrinos modo non exterminauimus, sed à sacris nostris auersos, id est, hostes publicos, Iudæos, periurii damnatos, monetarios etiam ciuitate impertiebamur. Adeò, si Diis placet, Spartanis Romanisque humaniores sumus.

22. *Cyrsolum quendam.*] Sic appellatur à Demosthene περὶ στεφάνου: qui hoc plus dicit, vxorem eius ab Atheniensium mulieribus fuisse trucidatam, alii *Licidam* vocant.

23. *Quid agis?*] m.s.lib. *Quid ais?*

24. *Tritici vilitas.*] m.s. libri *Vtilitas*: Sed mihi non placet. Quæstio est enim de ignoratione vilitatis tritici.

25. *Pro se quisque.*] *Pro se*.i. pro sua virili. Virg. *Pro se quisque viri*. Cæs. I I. de bello Gall. *Cum pro se quisque in conspectu Imperatoris operam nauare cuperet*. Liu. I I. *Cum hostes adessent, pro se quisque in vrbem ex agris demigrauit*. Sic ille persæpe loquitur. Attulerant secum pisces, nec falso igitur Pythius dixit; ibi esse, Syracusis quidquid esset piscium: Sed fraus fuit in demonstratione: non enim *ibi*, id est, in ea piscatione, vt ipse vocabat: sed *ibi*, id est, in illis scaphis aut cumbis. Meminit huius *Canij* & in II. de Oratore.

26. *Lege Latoria.*] Corruptè vel *plætoria*, vel *platoria*, vel *lectoria* legebatur. Sueton. lib. IV. Prætorum: *Latoria*, inquit, *quæ vetat minores XXV. annis stipulari*, id est, stipulatione teneri, vt Priscian. notauit.

27. *Emptor apponet.*] Sic lib. VII. epistolarum loquitur. Et III. Verrinarum: *Si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam prædam esse*. Sic alibi dixit: *calumniatores & accusatores apponere*.

28. *Prodesse nequiret.*] Quidam libri, *non curet*: alii, *non quiret*: alii, *non quæreret*: vide Victorium in Variis lib. XVI. cap. 8. Ennii versus qui & hic, & in Epistola quadam fractus & emollitus est à Cicerone, huiusmodi erat ex Medea,

Qui ipsus sibi
Sapiens prodesse non quit, nec-quicquam sapit.

29. *Quos de Officiis scripsit.*] Liber Vallis D. Lamberti & Maguncicensis *de Officio*. Verisimile est enim περὶ καθήκοντος inscriptos, nam sextum hoc ipso libro, adducet Cicero: quo tamen loco omnes libri *de Officiis*.

30. *Huic Scau. factum.*] Duo m.s. exempl. habent: *Huius factum, de quo, &c.* alii, *huius*

huius Scæuolæ factum, &c. Et postea in eisdem scribitur: *Etenim omninò tantum se negat, &c.*

31. *Ti. Claudium Centumalum.*] *Ti.* prænomen frequens in gente *Claudia. Centumalus* autem cognomen Fuluiorum fuit, nescio an & Claudiorum. Nam apud Pomponium I. C. lego App. Claudium, eum qui de Pyrrho dixit sententiam, *Centumanum* cognominatum: si non & hic ita legi debet. L. autem Florus libro II. agens de Viriatho: *Claudium vnimanum*, inquit, *ad internecionem cecidit*, id quod eodem modo narratur in lib. de Vir. Ill. Videndum an non *Centho*, pro *Centumalus* legendum sit: nam & in Liuio alicubi *C. Claudius Centumalus* pro *C. Claudius Centho* scribi, videor meminisse.

32. *P. Calpurnius Lanarius.*] An hic est *Calpurnius Lanarius*, qui Liuium Salinatorem, Sertorii legatum, in Hispania dolo interfecit? quod refert in Sertorio Plutarch.

33. *Arbitrum illum adegit.*] Sic pro Roscio Comœdo: *Cum non arbitrum pro socio adegeris.* Et in Topicis: *Adigere arbitrum finibus reg. & aqua arcenda.* Sæpe veteres præponendam nomini ademtam, verbo addiderunt lib. I. ad Att. *Hic tibi rostra Cato aduolat.* Corn. Tacitus, *aduolui genua: assidere mœnia. Arbiter* autem antique pro *Prætore*: Vide Festum, & Nonium Marcellum. Valer. Max. lib. VIII. cap. II. vbi hanc historiam narrat, mendosissimus est: Ego sic restituerim: *Catonis patrem arbitrum Claudio addixit, QVICQVID sibi dare facere oporteret ex fide bona.*

34. *Emtori damnum præstare oportere.*] Hic locus apud Nonium Marcellum sic vulgò legitur: *Auctorem indemnem damno præstare oportere.* Fortassis *emtorem indemnem damno præst. oport.* Vel, *auctorem emtori damnum præst. oport.*

35. *Si rectè dijudic.*] Vet. libri, *iudicauit.*

36. *M. Marius Gratidianus.*] In duobus libris *C. Marius* scribitur mendose. Hic est *M. Marius* M. Gratidii Arpinatis natura filius, qui cum prætor esset, Sullana proscriptione, manu Catilinæ trucidatus est: auctor Q. Tullius de petit. consul. Valerius Max. lib. IX. Asc. in toga candida. Plutarch. in Sulla, & Florus lib. IV. Sed ascribenda verba Senecæ ex III. de ira. *M. Mario*, inquit, *cui vicatim populus statuas posuerat, cui ture & vino pop. R. supplicabat, L. Sulla perfringi crura, erui oculos, amputari manus iussit, & quasi totiens occideret quotiens vulnerabat, paulatim & per singulos artus lacerabat: Quis erat huius imperii minister? Quis nisi Catilina iam omne facinus manu exercens: sic illum ante bustum Q. Catuli carpebat, grauissimus mitissimi viri cineribus, supra quos vir mali exempli, popularis tamen & non tamen immerito, quam nimis amatus, per stillicidia sanguinem dabat.* Quod eum Cicero appellat *propinquum*, ex III. de Legibus intelligitur: *Auus quidem noster*, inquit, *singulari virtute, in hoc municipio, quoad vixit, restitit M. Gratidio, cuius in matrimonio sororem auiam nostram habebat, ferenti legem tabellariam. Excitabat enim fluctus in simpulo, vt dicitur, Gratidius, quos postea filius eius Marius in Ægæo excitauit mari,* ac no-

ac nostro quidem. Ita Cicero, quem locum hic noster reddit illustriorem. Significat enim *Gratidianum*, hominem, vt Asconius ait, summe popularem Romæ ea ausum, quæ pater ante suus Arpini humili municipio, fuit bis pr. sperauit & consulatum, vt Cicero postea dicit, & Plinius indicat libro XXXIII. sed morte occupatus est. Errant enim Interpretes, & quidam docti viri, qui eum *Consulem* factum credunt, id enim de C. Marii septies consulis natura filio, debet capi. Ille in magistratu Præneste se interfecit, eiusque caput Romam perlatum & pro rostris positum est: *Gratidianus*, vt dixi, Romæ interfectus, sed & caput huius pro rostris figi Sulla voluit, vt refert Plutarch. & Appian. Haud scio an huius *Gratidiani* filius fuerit is ad quem Ciceronis exstant epistolæ. Notandum quoque à L. Floro scribi hunc Marcum, C. Marii Iunioris fratrem fuisse: quod nescio quo modo est. Nam scribitur à Cicerone in Bruto eum à C. Fimbria fuisse adoptatum: qui locus sanè quam mihi suspectus est. *M. Marii* mentio est in Gracci Oratione apud Gellium: is fortassis *C. Marii* septies Cos. patruus fuerit, huius *Gratidiani* pater adoptiuus. Sed hæc quia neque cum Floro, neque cum illo in Bruto, loco, conueniunt, coniecturæ sint, mihi satis erit fortassis viam aperuisse aliis.

37. *Quod vitii venditor.*] Sic dicimus, *id morum, id loci.* Alii, *Quod vitium.*

38. *Quatenus res tenere.*] Corruptè hic inserta erat dictio, *res.* Sic in Bruto: *Cum indicia mortis se comperisse manifesto, & manu tenere diceret.*

39. *Mala bonis anteponit.*] In vett. V. exempl. *ponit ante*, repperi scriptum. Sic Terent. *Ipræ, sequar.*

40. *Pugnare videantur.*] Pro *videantur*, quidam lib. manuscr. habent, *dicantur.*

41. *Heredes secum.*] Hæ duæ voces, *heredes secum* à quibusdam m. s. libris absunt, nisi fallor, non malè.

42. *Cum Basilus M. Satrium.*] Malè *Basilius* legebatur. Est enim *Basilus Minuciorum* cognomentum, quod cum ex hoc loco, tum ex III. Appiani de bello ciuili apparet, quo scribitur *Minucium Basilum* Prætorium vnum de Cæsaris percussoribus fuisse, qui sesquianno post Cæsarem interemtum à seruo suo occisus sit. Meminit & Florus libro IV. & Dion. Videndum an hic ipse *L. Basilus* sit, quem Sullæ præfectum Plutarch. tradit fuisse, cum vrbem occuparet. Iuuenal. *Quot Basilus socios, quot circumscripserit Hirrus Pupillos.* Exstant Ciceronis epistolæ ad hunc ipsum *Basilum*, qui cum Bruto in Cæsarem coniurauit. Malè item *M. Satirium*, pro *M. Satrium* vt habent vet. libri, legebatur. *Satria* familia Romana est, quam T. Pomponium Atticum aliquo modo attigisse ex Suetonio de claris Grammaticis coniicias. Vt fortassis hic Cicero nonnihil priuatim offensus sit propter Atticum, de cuius gente hic ipse *Satrius* fuerit. Huc etiam fortè spectet quod Cicero scribit I. ad Att. Cæcilium Attici auunculum à Caninio Satrio in nescio qua hereditate fraudatum: quanquam locus

cus

cus mendo non careat. Nam vel *Caninio*, vel *C. Annio Satrieno*, vel *C. Satrio* legendum videtur ex ratione nominum Romanorum. *Satrieni* nescio cuius mentio est in* veteri R.

43. *Hunc ait dico patronum.*] Quidam vet. libri habent: *Hunc dico patronum*: alii, *hunc ait, dico patronum*: quos secutus sum. Sunt enim verba ex Minucii testamento. *Patronus* autem honoris dumtaxat appellatio est & ad clientelas pertinens. Hic supra libro I. *Et ii, qui ciuitates aut nationes bello deuictas in fidem recepissent, eorum patroni essent more maiorum.* Liuius lib. IX. *Antiatibus quoque, qui se sine legibus certis, sine magistratibus, agere querebantur, dati ab Senatu ad iura statuenda ipsius Coloniæ patroni.* Et in antiquis monumentis sæpè legitur Tibure, Interamnæ, Patauii: PATRONO MVNICIPI. Tridenti, & alibi PATRONO COLONIÆ. Sic *Tullii* Locrensium, iidem & *Marcelli* Siculorum fuere patroni. Sic *M. Bruti* clientes *Transpadanos* vocat libro XII. epist. & ad Att. libro VI. *M. Cato*, inquit, *Cypriorum patronus more maiorum.*

44. *Non veritate quæsita.*] Rectè in libris vet. *quæsita*. Nam *acquirere*, augere est, vt II. Catilinaria. *Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus sis, & dubites de possessione detrahere, acquirere ad fidem?* Sic *Allaborare* dixit Horatius, pro eo quod est *nouo labore adiicere.* Cùm autem hic legeretur, *non veritate sed simulatione acquisita*, expunxi duas voces penultimas, vt adulterinas, contra tamen vet. libros. Audacior aliquis etiam duas proximè præcedentes lege Papia expelleret. Dubitaui quoque an pro *vera*, rectiùs *verò* legeretur aduerbium.

45. *Fons est fraudium.*] Sic Philipp. II. *mearum laudium.*

46. *At dares hanc vim.*] Quidam libri, *adderes*, alii *At dares*: vtrumque elegans. Quod autem sequitur, *In foro, mihi crede, saltaret*, hoc est, rem viro graui etiam indignissimam faceret, & vtile quouis decoro præponeret. Nam de saltatione histrionica vel artificiosa loquitur quæ ad cantum fit: id quod ex sequentibus palam fiet, vbi de controuersiis Stoicorum disputat. Hoc volui monere, ne quis *saltare*, pro *gaudio exsultare*, capiat, vt video doctissimum virum fecisse.

47. *Posse conuertere.*] Quidam lib. *conuerrere*, vt in re odiosa verbo mihi vsus videatur. Sed malo *conuertere*, propter consequentia. Vult enim eum quibusdam velut præstigiis, in testamenta irrepere ea, in quibus verè scriptus non fit.

48. *Ab eo Imperatore suo.*] Metuo ne ista, *Imperatore suo*, adulterina sint, satis enim constabat. Post aliqua, quidam libri habent, *In inuidiam adduxerit falso crimine.* Item: *Tribuni plebi*, quo modo Sallustius & Varro, aliique Vett. locuti sunt: alii *plebii*, eadem ratione qua *pernicii* ab Cicerone dictum esse notat Gellius.

49. *Constitueretur.*] Vulgò hic inseritur huiusmodi sententia: *Iactabatur n. temporibus*

poribus illis nummus, sic vt nemo sciret, quid haberet: quam in omnibus exemplaribus cum antiquis, tum recentioribus ita perscriptam repperi. Iouem tamen lapidem deierauerim, non esse ab homine Romano prolatam, à coquo potius Sorboniano. Itaque totam ad ius ciuitatis suæ lege *Mucia Licinia* (de qua sup. Annotat. 21.) relego. Millia talia passim obuia sunt in bonis scriptoribus, vt infrà, *omnibus vicis statuæ factæ sunt*, præterquam quod duas voculas vltimas, libri m.s. non habent, quis vnquam *statuam facere* dictus nisi statuarius? populus *statuam statuit, ponit, collocat, donat*.

50. *In ea specie, forma.*] Legendum, *specie*, casu sexto, significat enim factum illud huius vel illius Marii, quod prius recensuerat.

51. *Se conferat quis.*] *Conferre* in opt. lib. erat. Et ita alibi Cicero dixit, *conferre se in bestias*. Vt Ouid. lib. XII. Metamorph. *corpus Deus æquoris albam Contulit in volucrem*.

52. *Gloriosam putat.*] Al. *gloriam putat*.

53. *Coner auertere.*] Vet. omnes libri, *auellere*, demto vno in quo *absoluere*.

54. *Vnum sonare.*] *Sonare*, idem est quod *significare*, II. de Finibus: *Epicurum non intelligere interdum, quid sonet hæc vox Voluptas*, id est quæ vis huic voci subiiciatur.

55. *Sibine vter rapiat.*] Ante nullus erat sensus, *Vter*, id est, vteruis. Vt pro Sestio: *Horum vtro vti volueris, altero est carendum*. Sic & infra in Paradox. Inde *neuter*, quasi *ne vter*.

56. *Aut micando victus.*] Liber Vallis D. Lamberti, *micando*, rectè habuit. *Micatione digitorum* decidi controuersias solere, præter hunc locum, probat Edictum Turcii Aproniani P. V. quod exstat. Sic quoque lego in Suetonii Augusto: *Patrem & filium, pro vita rogantes, sortiri, aut micare iussisse*, vbi vulgò *dimicare*, ridiculè. De *micatione digitorum*, qualem ludum Græci ἀρτιάζειν, hoc est, *par impar*, videntur appellasse, meminit supra Cicero, & de Diuinat. ac de Finibus. Varro quoque, & alii.

57. *Pios ciues in parentes.*] Traiectense exemplar peruetus hoc modo habebat, *sed ipsi patriæ conducit pios habere æquos in parentis*, alia verò, quo modo edidi. Fortassis, *pios æquos habere in par.* rectè legas.

58. *Quasi controuersa.*] Quidam lib. *hæ sunt quasi controuersia in iure Stoicorum*, alii, *hæc sunt quasi controuersa iura Stoicorum. Hæc*, nempe quæ consequuntur, nam præcedentia iam dissoluit. Locus erat omninò corruptus. Dicendane, inquit, vitia, non ea quæ nisi dixeris rediberi possit mancipium iure ciuili, vt seruum fugitiuum esse, equum Lunaticum, & talia, (hoc enim *inter Stoicos conuenire* ante dixerat) sed hæc, &c.

59. *Quod sit mille denariûm.*] In Maguncíacensi & altero typis impresso inueni, *quod sit millenarium*.

60. *Vt item eo liceat vti.*] Qu. lib. *vt eo iterum liceat vti*.

61. Promi-

61. *Promisisse nollem.*] Liber Parcensis, *promissione nollem*, malim, *promissionem nollem*, vt XIV. ad Att. *Tertulla abortum nollem*, id est, velim non abortisse, quomodo Terent. & Cicero sæpè loquuntur.

62. *In eisdem versabimur.*] Scripti libri, *versemur.*

63. *Nam apud optimum auctorem.*] *Homeri* nomen hic expunxi, faciebat enim elumbem & anhelantem Orationem. Accedit, quod in omnibus libris non eodem loco erat scriptum, quæ res semper mihi suspecta est. Monendum interim Ciceronem hic negligere, (id quod ab Aristot. in Poeticis traditum est) non omnia à Poëta referri debere, cum enim Homerus laudes Vlyssis celebret, extra rem faciat, si vitia eius enarret. Quanquam dum odium inter Palamedem & Vlyssem commemorat, potest eo respexisse videri.

64. *Ne coiret institit.*] Rectiùs sic quàm quod quidam ediderunt, *ne quo iret.* Nam illud ἐν τῷ ἀγορῷ, hoc est, *in concilio principum Græciæ, actum est.* Aristot. in poëticis.

65. *Fides sacrata.*] Quid. lib. *Fides sacratæ*, vt sit vet. genitiuus, alii *fide sacrata.* Versus sunt ex Iudicio armorum Pacuuii.

66. *Sed dimittamus.*] Vet. libri, *omittamus.*

67. *Falsam iudicauit.*] Priùs legebatur, *iudicauit, quæ erat talis, manere, &c.* Sed tres voculas, tanquam à grammatista assutas, licet repugnantibus omnibus libris, detraxi, quin libenter sic legerim, *vtilitatis speciem videbat, sed vt res declarat, falsam. Manere, &c.*

68. *Domui suæ cum vxore.*] Non hic tantum, sed etiam in Philippicis, *domui suæ*: & in Tuscul. *domui alienæ* scribitur in vetustiss. membranis.

69. *Quem censes?*] Elegans locutio. Terent. And. act. V. Scen. II.

70. *Vtilitatem præueniret.*] Optimi duo libri hic, *præueniret*, hoc est, occuparet, vt supra de Panætio, *nisi aliquis casus consilium eius præuenisset*, quanquam ibi meliores libri, *peremisset.* Posset & *præuerteret* legi.

71. *Nam quod aiunt.*] Liber ille Maguntiacensis habet hunc in modum: *Nam qui aiunt, Minima de malis, hi, vt turpiter potius, quam calamitose*, quæ scriptura sanè mihi non displicet.

72. *Cum hoste seruanda.*] Sic Plautus: *nonne ego te vidi osculantem cum ancilla & amplexantem?*

73. *Falsum iurare peierare est.*] Omnes libri m. s. *periurare* & hoc loco & in aliis scriptoribus persæpe. Vide Priscian. paullò pòst; *sed quod ex animi tui sententia iuraueris*; corruptè quidam libri *ex animi tui scientia.* Est enim sollemnis locutio, vt in Academ. *Quam rationem etiam maiorum comprobat diligentia, qui primum iurare ex sui animi sententia quemque voluerunt: deinde ita teneri, si sciens falleret.* Liuius XXII. *Ex mei animi sententia iuro, vt ego Remp. non deseram, nec alium ciuem deserere patiar.* Vide Gell. lib. IV. cap. vlt. Et I. Lipsium lib. I. c. 1. Variar. lect.

74. *Ti. Numicius, Q. Malius.*] Libri m. s. atque etiam typis impressi, habent

Tiberius Minucius, Q. Aemilius, corruptè proculdubio, quomodo Q. Æmilius patricius, Tr. plebis? neque enim memini de gente *Aemilia* quenquam ad plebem transisse. *Minucij* & ipsi patricii, existimantur tamen transisse. Nam & Tribunos plebis fuisse ex Liuio colligunt: sed ego illis locis cum Carolo Sigonio sentio, *Numicius* legi debere, neque mihi persuadere possum ea tempestate tam vulgò nobiles ad plebem desciuisse: quod qua difficultate in Clodio, inclinantibus iam tum rebus Rom. obtentum sit, norunt docti. Liuius certè libro IX. dum hanc historiam latè persequitur *L. Liuium, Q. Malium* appellat hos Tribb. Ego de Liuii loco ampliandum censeo: hic nihil cunctabor *Tib. Numicius, Q. Malius* scribere. Nam *Tiberius Numicius, Q. Aemilius* in exemp. Maguntiacensi integrè exstat. Fortassis in *L. Liuii* nomine alios auctores Liuius secutus sit, vt alias non semel.

75. *Notationes Censorum.*] Omnes libri m.s. *notiones*, pro *notationes*.

76. *Quod illum iratum.*] Duo opt. libri, *qui illum iratum:* Ciceronianè.

77. *Ad Anienem.*] Quid. lib. *Anienum*, & ita in Nonio aduocatur hic locus. In Europii etiam manusc. exemp. *Anienum* obseruaui.

78. *Ad Veserim.*] Al. *ad Verserim.*

79. *Sic decem illi.*] In vetustissimo & alioqui optimè exarato Traiectensi cod. ad hunc modum legitur hic locus: *Sic decem illi quos post Cannensem pugnam iuratus ad senatum in castra redituros ea quorum erant ... titi Poeni.*

80. *Fraus enim distringit.*] Cum dolus astringat contractus, non dissoluat, existimaui quandoque, *astringit* legi debere, vt in Parcensi exempl. scribitur, vel certè *astrinxit*, nam *distrinxit* in alio est. Nisi *destringit* quis malit, vt in vno libro repperi, quomodo *deamo, depereo.*

81. *Acilius, qui Graecè.*] Puto *Atilius* legendum. Nam ita constanter habent vet. exempl. vno excepto, in quo *Acilius*, & ita in Liuio, ac II. de Legib. restituerim. In Dionysii libro IV. est Κα(ι)ος Ακυίλιος, quod est *C. Aquilius*. Caii praenomen in gente *Acilia* rariusculum est.

82. *Viris equisque.*] Libri m.s. quidam, *veris aquisque*, alii *veripedisque*. Sed *viris equisque* videtur legendum. *Vir* industriae, *equus* virium & celeritatis symbolum. Ad Q. fratrem libro III. *Cursu corrigam tarditatem tuam cum equis, tum viris.* Philipp. VIII. *Equis, viris D. Bruto subueniemus.* Vtitur & ιχλ(?)ιαῶς epistola quadam ad Varronem: *Nunc vbi confecta omnia, dubitandum non est, quin equis viris.* Vtitur nonnunquam Liuius, & Florus libro II. *Terris omnia equis virisq. quatiebat.* Absurdum erat *vela equis* coniungere, quanquam Horatius dixerit *nauibus atq. quadrigis.* Si quis tamen malit *veris aquisque*, quod ferè in duobus libris legi dixi, non pugnauero. Nam sic Terent. Phor. act. III. Antiph. *Miseritum est.* Phaed. *hei veris vincor.*

83. *Sicut hic dicis.*] Vetustiss. duo libri, *sicut id dicit, satis fortiter*, quam puto scripturam non reiiciendam.

IN

IN CATONEM MAIOREM.

1. *Siquid ego adiûro.*] In vetustiss. libro *adiuuero* erat scriptum: itaque vel *adiûro*, sicut *admôro*, *curâro*, vel certè *adiuero* legendum est: quod & apud Terent. exstat, ea forma qua à *Posiui* (quo Cato & Catullus vsus est) *posui* factum est, *leuasso* & ipsum est futurum.

2. *Et quid erit præmi.*] Multi libri habent, *Et quid erit pretii. Pretium* enim prisce pro *præmio*, inde *Operæ pretium*, *manu pretium*. Cato Oratione apud equites. *Maiores seorsum atque diuorsum pretium parauere bonis atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas, aliosq. honores.* Alii habent, *& quid erit premi?* ex qua varietate contextus atque confictus est hic versus pentameter, qui cum mihi versus neque elegans neque satis ex dignitate T. Quinctii clariss. viri pronuntiatus esse videretur, dubitaui primum subesset ne aliquid vitii, donec tandem hunc mihi scrupulum soluit exemplar Cœnobii D. Iacobi, in quo est ad hunc modum elegantissimè:

Quæ nunc te coquit & versat in pectore fixa,
Et quid erit præmi?

Quid enim stolidius, quàm, quem laudare velis, immò debeas, *deprimi curis* dicere? Totum verò istud exordium erat maculatissimum.

3. *Flamininus.*] Quod hic rectè habent m. s. libri, Quinctiorum est cognomen, qui patricii erant. *Flaminii*, familiæ nomen, sed plebeiæ ac sine cognomine. *Flaminini*, autem sunt cognominati à Sacerdotio, vt Minucii *Augurini* ab auguratu, *Censorini* à Censura.

4. *Fidêi.*] Bachius pes est, antiquè. Scribebant enim *fideii*, vt *Pompeii*, *Caii*, *reii*, *perniciei*, *dieii*, ex quibus detracto è *pernicii* apud Ciceronem, *dii* apud Virgilium, & alia apud priscos illos opicos. Nam *reii*, dactylus est apud Lucretium non vno loco. Idem libro V. ——*via qua munita fideii,*

Proxuma fert humanum in pectus, templaq. mentis.

Sic Paullinus Nolanus, Venantius Fortunatus, aliique ad veterum imitationem, *fidei*, productione secundæ syllabæ dixêrunt.

5. *Modicè.*] Ex lib. antiq. & Charisio, in qua significatione Latinum est, à *modo*, vt etiam *modestus*, *moderatus*. Nam *Modicus*, pro exiguus alienum est, à *modio* fortassis, quod eo pecuniam metiuntur, dum medimnum non possunt implere.

6. *Vteretur.*] In pulcherrimo & vetustiss. exemplari quod ad D. Trudonem seruatur, pro eo, *inhæretur* erat: docti coniiciant: nam & verbum *poterit*, quod proximè sequitur, in optimis libris deest, in aliis, transpositum tamen, legitur.

7. *Stultitia inconstantia*] *Stultitiam* appellat insipientiam: qua quid inconstantius? Locus erat valdè mendosus: nec Gaza intellexit, cuius conuersionem non lubet sæpè reprehendere. Est enim non optima secutus exemplaria.

Hhh 2 8. Gi-

8. *Gigantum modo.*] Sic Liuius *Latrocinij modo, pecudum modo*, pro more.

9. *Volumus quidem certè.*] Hæc clausula, *Speramus, &c.* qua aliquoties alibi vsus est, à sciolis inuersa & corrupta erat. *Velle* enim simplex & modestum verbum est, quo animi nostri quemuis motum explicemus: non vehementem illum quidem. *Cupere* sonat vitium. *Appetere*, desiderare, & hæc diuersa. Ita mox postea Scipio. *Volumus certè*, inquit, *nisi molestum est Cato*: hoc est, auemus.

10. *Quæ C. Salinator.*] Dictio *Quæ*, non tam ad nomen *querelas*, referenda, quam ad sententiam totam, quod Atticis est familiarius. Quæ sequuntur pænè ad verbum sunt ex de Repub. Platonis.

11. *Si ego Seriphius, nobilis.*] Omnia exempl. etiam manu exarata, habent in hunc modum: *Nec Hercle*, inquit, *si ego Serifius essem, ignobilis, nec tu, si Atheniensis, clarus vnquam fuisses.* Sed non rectè. Nam comparatio quam Cicero facit requirit, vt vel *nobilis* legamus, vel, quod magis placet, neutrum. Sic enim Plato extulit: Ἀλλὰ τὸ τοῦ Θεμιστοκλέους εὖ ἔχει, ὡς τῷ Σεριφίῳ λοιδορουμένῳ, καὶ λέγοντι, ὅτι οὐ δι' αὑτὸν, ἀλλὰ διὰ τὴν πόλιν εὐδοκιμοῖ, ἀπεκρίνατο, ὅτι οὔτ' ἂν αὐτὸς Σερίφιος ὤν, ὀνομαστὸς ἐγένετο, οὔτ' ἐκεῖνος Ἀθηναῖος. Quæ sententia à Ficino, eius interprete, intellecta non est. Similiter ferè à Plutarcho in Apophtheg. ἀλλ' οὔτ' ἂν ἐγὼ Σερίφιος ὢν ἔνδοξος, οὔτε σὺ Ἀθηναῖος. *Serifos* vna Sporadum, perexigua, gente non nisi Prouerbio ignobilitatis nobili, de quo Aristoph. in Acharn. & alludit hic Cicero, & de Nat. Deorum, I. Voluit igitur Themistocles non hominis modo ignobilitatem, sed totius gentis perstringere, quasi & ingenio & animo tam humiles sint, vt non solum ipsi etiam alibi, sed nec alii apud ipsos quamuis generosi euadere in viros claros possint.

12. *Mirificos efferunt fructus.*] *Efferre* ad fructus spectat. In Verr. *id perdere aratorem, quod agri segetesq; extulissent.* Et de clar. Orator. *Ager qui multos annos quieuisset, vberiores efferre fructus solet.* Sic sæpè.

13. *Quia nunquam.*] Aduerbium, *nunquam*, ab exemplari S. Trudonis rectè abest.

14. *Quæstor deinde quadriennio post f.*] Locus iste mendosissimus fuit, q; tamen hactenus à paucis obseruatum miror, neque quicquam auxilii vet. libri attulerunt. Eum qua ratione restituerim ex Catonis Historia detegam.

M. Porcius M. F. M. N. Cato natus est [An. P. V. C. DXIX.] Postumio & Caruilio Cos. id quod hic ipse testatur, nam ab his Cos. ad Philippum & Cæpionem Cos. Anni LXIV. intercedunt, quo mortuum esse Q. Fabium Maximum infrà prædicat, & à se latam Legem Voconiam.

Militare cœpit [An. P. V. C. DXXXIX.] Q. Fabio Maxumo IV. M. Marcello III. Cos. (id quoque hic fatetur, & apertè Cornelius Nepos in vita Catonis) natus annos plusminus XIX. quanquam in Nepote & Plutarcho legatur anno ætatis XVIII. militasse sub Fabio. Id quod ratio annorum qui inter Fabii primum & quartum consulatum sunt non patitur, quanquam non ignorem

rem Romanos tirocinia auspicari solitos anno ætatis septimo decimo, sumta iam toga pura, siue virili.

Militauit iterum quinquennio postea, [An.P.V.C.DXLIV.] sub Fabio V. Cos. cum Tarentum ille reciperet, id quod hic quoque dicit, annos natus plusminus XXIV. quæ ætas Quæsturæ nondum erat tempestiua.

Anno sequente Tr. militum in Sicilia fuit, atque inde reuersus C. Claudii Neronis, eius qui Asdrubalem fregit, castra secutus est, vt idem Nepos refert. Id accidit sub annum ab V.C.DXLVI. Liuius lib. XXVII.

Tertio postea anno [An.P.V·C. DXLIX.] Quæstor obtigit P. Scipioni Cos. ad bellum Africanum profecto. Nepos, & Liuius libro XXIX. Cicero in Bruto; *At hic Cethegus* (inquit) *Cos. cum P. Tuditano fuit bello Punico secundo, Quæstorq́; his Coss. M. Cato.* Et infra hoc ipso Dialogo: *Sodalitates autem* (inquit Cato) *me Quæstore constitutæ sunt sacris Idæis magnæ matris acceptis.* Nam Cethego & Tuditano Cos. matrem Deûm ex Asia Romam deportatam omnes tradunt.

Quadriennio post [P.V.C.DLIV.] Ædilis factus est cum C. Heluio. Nepos, & Liuius libro XXXII. Anno sequente [P.V.C.DLV.] Prætor cum eodem Heluio. Liuius eodem libro & Nepos.

Hæc omnia vt cum hoc Ciceronis loco aptè comparari possent, hæc verba abieceram: *Deinde AEdilis, quadriennio post factus sum Prætor*, quæ studiosum aliquem, qui cæteros Catonis magistratus indicare vellet, ad marginem annotasse, & librarios postea in contextum inseruisse suspicabar. Cato enim ea sic tantummodo enumerare vult, quæ ipsi sub Q. Maximo acciderunt, cuius laudes instituit. Quomodo verò se Prætore Q. Maximum *Legem Ciciam rogasse* dicat, qui IV. annis ante Catonis Præturam mortuus sit, vtputa [P.V.C. DLI.] Ti. Claudio, M. Seruilio Cos. vt à Liuio scriptum est libro XXX. Hæc cum sic annotassem, accidit vt cum Steph. Pighio, viro omnis Antiquitatis sine controuersia doctissimo, hunc locum conferrem, quem is ita in suis Annalibus restituisse se dixit: *Quæstor deinde quadriennio post factus sum, quem magistratum, &c.* paucioribus tantum verbis erasis. Quam emendationem vt tum maximè probaui, ita non dubito quin omnes studiosi laudaturi sint.

15. *Moliebatur.*] Cum in vet. vno libro *moliebat* reperissem, nihil dubitaui quin *moliebatur* à Cicerone fuisset scriptum. Id quod postea in libro Abbatiæ D. Iacobi sic inueni. A quo est enim proditum Annibalis ferociam esse mollitam cunctatione Fabii? Exasperatam potius, maximè secuta mox clade Cannensi, populis ad eum deficientibus. *Molitus* profectò est eum Fabius ab vrbe, cui totus imminebat, id enim Fabii tantum consilium erat. Est autem *moliri* cum difficultate quadam mouere loco. Liuius libro X. *Num montes moliri sede sua paramus?* Alibi, *Portas moliri, ancoras moliri.* [Dissentit Lamb. qui num. 13. *molliebat* tuetur.] In his Ennii versibus liber vnus sic habet:

Ergo magisq́; magisq́; viri nunc gloria claret.

 16. Sa-

16. *Salinatori.*] Arcis Tarentinæ præf. Polybius libro VIII. *C.Liuium* vocat, Liuius Patauinus *M. Liuium*. Mirum sanè quod eum Cicero *Salinatorem* cognominat. Nam *M.Liuius*, bis Cos.& Cens.qui *Salinator* primus cognominatus est, Tarento non præfuit. Secutus tamen est Ciceronem Plutarchus.
17. *Agrum Picentem & Gallicum.*] C. Flaminius Tr. Pl. Legem agrariam tulit inuito Senatu: Polybius libro VIII. Homo ingenio peruicaci. Nam malè, qui nuper scripserunt *agrum Picenum & Gallicum* à T. Quinctio Flaminino Tr. Pl. distributum, quem errorem miror Paullum Manutium esse secutum. Mendosius etiam qui Carisium Grammaticum ediderunt, in quo vulgò ita legitur. *Sp. Carbilio C. Flaminio Tr. Pl. quoad potuit restituit agrum Picentem & Gallicum contra Senat. auctoritatem diuidentibus.* De Gallico sic Varro I. rerum rust. *Ager Gallicus* (inquit) *Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus est. Picentes* certè in Campaniam translatos, & *Picentinos* appellatos Strabo scribit.
18. *Mortem filii tulit.*] Cum ante legeretur M. F. prænomen M. erasi, primum vt superuacuum, (satis enim fuerat adiecisse, *Consularis*, in historia non longe remota) deinde vt falsum. Nam Q. non M. prænomen ei fuisse omnes tradunt. Quin Oratio quoque ipsa hoc prænomine nescio quo modo retardatur. Est à Plutarcho proditum Maximum stantem in foro recitasse *laudationem filii*, eamque pòst edidisse. Sic vocatur funebris commendatio, & Græcis ἐπιτάφιος. Philipp. II. & de Oratore. Queritur Cicero in Bruto istiusmodi laudationibus historiam rerum Rom. esse factam mendosiorem. *Multa enim* (inquit) *scripta in eis sunt quæ facta non sunt, falsi triumphi, plures Consulatus, genera etiam falsa, & à ple'e transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus.* Hæc Cicero. Sed hæc hodie quam turpiter? Videas enim qui à nescio quibus regibus etiam genus longa serie comminiscantur, quorum aui suos omninò auos ipsi nominare non potuissent; alios qui suppresso suo nomine in alienum irrepant. Et fert tamen nobilitas, imò verò laudat, contra morem maiorum, quo quisque sua tuebatur nomina, etiam ad internecionem, nec sentit quanto malo Reip. Imò verò sentit, sed omnia tendunt ad æquationem, hoc est, omnium Rerump. ordinum, legum, institutorumque necem & exstirpationem: quam sequuntur latrocinia, cædes, demum regnum Vandalicum. Sed hæc obiter. Indignor enim, & turget stomachus, quoties in mores maiorum tam impudenter video peccari.
19. *Dementis sese flexere via.*] Quid. lib. *dementi sese flexere via?* alii, *dementes sese flexere viri?* optimus ille qui apud Centrones seruatur ad D. Trudonem *dementes sese flexere via?* vocis *ruina*, nulla vspiam vestigia, vt credam ab Erasmo, aut alio extemporario emendatore confictam ex Horatio, vt versum perficeret. Nam ille in Odis *dementem ruinam* dixit. Potuit autem versus Ennii in monosyllabum exire, quod Cato, velut nihil ad sententiam spectans, omiserit, quanquam etiam, *via*, expungi possit. [Lamb. *dementes* sese fl. viai.] In proxima linea dubi-

dubitaui aliquando si pro, *& tamen*, legi deberet, *Et tum*, sed quia & statim post,& alibi quoque,*& tamen*,pro *& certè*, vel *certè* video dixisse, nihil mutaui.

20. *Nihil igitur afferunt.*] Sic habent bona exempl. hic loco, *afferri*, vt ad Herennium IV. *Cum videtur* (inquit) *pro ratione afferi quod in expositione dictum est.* Nam ita habent eo loci quinque m. s. libri. *Afferri* tamen etiam rectè legas. [quod recepit Lamb.]

21. *Similesque sunt.*] Hæ dictiones neque in libro Centronum leguntur, neque mihi placent. Legendus hic Victorius lib. XXVII. Variar. cap. 15.

22. *Vt est in Næuii ludo.*] Ita in omnibus exempl. Marsus tamen *in Nouii Pracone posteriore* edid.t, alii, *libro posteriore*. Haud scio an *Næuii* libros ἐρωτοπαιγνίων intelligit, de quibus apud Gellium, & Charisium mentio est. Pro, *percunctanti*, in libr. omnibus vet. *percunctantur* est.

23. *Prudentia senectutis.*] Pro *senectutis*, in omnibus m. s. est *senescentis*. Agit enim de iis qui scribendis commentariis impediti per senectam non sunt. *Xenocrates* octogenario maior obiit, ait Laërtius. *Socrates* idiota conceditur fuisse, tantum abest vt aliquid scriberet. Ne *Homeri* quidem nomen hic suo loco est.

24. *Patribus.*] Marsus legit *patriis*, cur enim *patribus* potius quam adolescentibus, cum Lex de prodigis lata sit? quod vitium si in senem cadat, monstrum sit. Nisi forte *patribusfam.* scriptum sit. Nam quamdiu in manu patris sunt, sibi nihil quærunt, quo illis interdici possit. Paullò pòst mendose *Socrates* legebatur.

25. *Serit arbores.*] Non *serunt*, rectè est in vet. libris cum hic, tum in Tuscul. quod sequentia indicant, ibi: *Melius Cæcilius de sene alteri sæculo prospiciente, &c.*

26. *AEdepol.*] Et in Nonio & vet. libris hi versus leguntur per allocutionem ad senectam, in quorum tertio figuratè persona mutatur. Hi sunt ex Plotio Cæcilii, illi ex eiusdem Hephæstione. In extremo autem versu codices inter se discrepant, hi, *vnum sat est*, alii, *vnum vel satis est*, alii, *vnum id sat est*.

27. *Quod est, eo decet vti.*] Elegans dictum, in prioribus editionibus malè tractatum. Sic in Paradoxis, *satis esse putant, quod est, nihil appetunt*. Iterum: *cui nec satis est quod est.*

28. *Sed laterum etiam, & virium.*] Exempl. ad D. Trudonem sic habet, *sed laterum etiam virium*, alterum item peruetus: *Sed laterum etiam. Omnino, &c.* quæ lectio placet.

29. *Stipata studiis iuuentutis.*] Liber antedictus, *stipata stipendiis iuuentutis.*

30. *Amquireret.*] Liber ad D. Iacobum *acquiret*. Ego inde feci *amquireret*. [Non placet Lamb. qui *acquireret* omninò tuetur.]

31. *Aut loquax.*] Idem liber, *eloquax*, quod cur temerè scriptum esset non video. Interim & Catonem loqui memineris.

32. *Conuenire me voluit.*] Quidam libri, *Adhuc conuenire me potuit, quaminus fuerim occupatus*, alii, *voluit adhuc cõuenire, cui fuerim occupatus*, alii, *valuit*, pro *potuit*,

aut

aut *voluit*. Quo certè, pro *quoi*, id est, *cui*, sæpè obuium sit in m.ſ. libris. Sed credo ſcriptum fuiſſe à Cicerone, *quom minus fuerim occupatus.*

33. *Tempeſtiuitas.*] Liber ad D. Trudonem habet, *tempeſtuitas*. Nonius videtur *tempeſtas* legiſſe.

34. *Vt enim infirmitas.*] Omnes libri m. ſ. & quidem etiam alii habent: *vt & infirmitas puerorum & ferocitas iuuenum, & grauitas iam conſt. ætatis, & ſenect. maturitas, naturale quiddam habeat, quod ſuo tempore percipi debeat.*

35. *Hoſpes tuus auitus.*] Libri omnes habent, *hoſpes tuus habitus Maſſaniſa*, & ſic Gaza legit, qui νομιζόμενος interpretatur. Ego *auitus* lego, nam & Aphricani maioris hoſpes fuit, vt ex Scipionis Somnio videbis.

36. *Conficio orationes.*] Libri aliquot vet. *conficio rationes*. Ex quo feci, *conficio orationes*, meliore numero.

37. *Senſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit.*] Παρόμοιον etiam vocalium alluſione inſigne. In quo decorum ſeruat in Catonis perſona, nam ætas illa huiuſcemodi figuris delectabatur, vt eſt Ennii illud:

O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tuliſti.

Et eiuſdem ex Phœnice:

Stultus eſt qui cupita cupidus cupienter cupit.

Et Plauti in Menæchmis:

Non potui paucis plura plane proloqui.

Simile ex Euripidis Medea adfert Victor. lib. *36*. cap. *20*. Et Turn. è Cicerone lib. VII. Aduerſ. cap. *19*.

38. *Notandum putaui libidinem*] pro, *notandam*. Sic meliores libri hic, & in Tuſcul. *Iphigeniam Aulide duci immolandum iubet.*

39. *Caret inſomniis.*] Vett. libri, *caret ſomnis*. Quod ſi rectè eſt, non *inſomnia* intelligit, quæ ſolent crapula oneratos grauare, ſed ſomnolentiam. [Lamb. inuitis libris omnibus *inſomnia*, non placet Suffrido, qui *inſomniis* tuetur leg.]

40. *Modicis tamen conuiuiis.*] Cum in omnibus vet. exempl. dictio, *conuiuiis*, legatur, miror à quibuſdam eam eſſe reiectam. *Conuiuium* modeſtum eſt: *Epulæ*, ſplendidiores.

41. *Crebro funali.*] Quidam *cereo funali*, pro, *crebro funali*, repoſuerunt. Sic enim Valer. lib. III. *Ad funalem cereum praeunte tibicine, à cœna reuerti domum ſolitus eſt.* Et auctor Epitomarum Liuii: *Ob quam cauſam ei perpetuus honos habitus eſt, vt reuertenti à cœna tibicine canente funale præferretur.* Videtur tamen Cato dicere non vna face, ſed pluribus deduci Duilium voluiſſe. L. Florus: *Cum* (inquit) *Duilius Imperator non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi à cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere ſibi tibias iuſſit, quaſi cotidie triumpharet.*

42. *Me Quæſtore.*] M. Cato Quæſtor Africano fuit, Tuditano & Cethego Coſ. anno ab V. C. DXLIX. vt ſupra dictum eſt. *Sodalitates* verò τὰ συσσίτια vocat. Trogus libro XXXVII. de Mithridate: *Hieme*, inquit, *deinde imminente non*

in con-

in conuiuio, sed in campo, non in vacationibus, sed in exercitationibus, nec inter sodales, sed inter æquales aut equo, aut cursu, aut viribus contendebat. De *sodalitiariis cœnis* multa Aristot. in Politicis.

43. *Dii meliora.*] Locus est statim initio libri I. de Rep. quem si interpretatum Ciceronem dicimus, non, *Dii meliora*, sed *dic meliora*, legendum sit, vt Græcum verbum εὐφημεῖν exprimatur, quod Latini dicunt, *Bona verba dicere*, aliquando, *linguis fauere*. Sed & sic locutus est Philipp. X. *Ac permitto vt de tribus Antoniis eligas quem velis. Dij meliora, inquies.*

44. *Cum sex annis.*] In libris vett. VI. non VII. scriptum fuit. Nam à Centhone & Tuditano Coss. sexto anno Postumius & Caruilius inierunt, quo anno natus est Cato. Eadem ista repetuntur in Bruto, & in Tusculan. sed vtrobique mendosa.

45. *Occæcatum.*] Rectè sic in antiq. libris scribitur, quod & Victorius notauit, lib. III. Variar. lect. cap. XXIV. Rursum lib. XXIV. cap. XII.

46. *Culmoq.*] In Nonio habetur, *calamoq.*

47. *Spici.*] Sic est in opt. libris, & ita Nonii tempore legebatur. Sic vtitur & in Arato, & Varro lege Mænia: *Neque in bona segete nullum est spicum nequam, nec in mala non aliquod bonum.*

48. *Requietem.*] Ex Prisciano, & vet. libris restitui, qua locutione sæpè alibi vsus est Cicero.

49. *Vinaceo.*] Optimus liber, *Vinaceno*. Fortassis *vinacei* legendum. [Legendus Turnebus lib. XIII. Aduersarior. cap. VI.]

50. *Defendit ardores.*] Gaza non benè, *defugit* legit. Ennius Achille:

Serua ciues, hostes defende cum potes.

Vide Gellium de eo verbo lib. IX. Noct. Atticar. cap. I.

51. *Et eum stercorantem.*] Non stercorantem, ἀλλὰ λιστρεύοντα καὶ ἀμφιλαχαίνοντα τὸ φυτόν, hoc est *purgantem & ablaqueantem arbores*, inducit Laërten Homerus Odyss. ω. Memoriæ lapsus, nisi & seni, & Catoni, vt illo sæculo, concedamus non perfectam Græcæ linguæ cognitionem. Vel certè aliter in Homero lectum tum fuerit quam nostra nunc habent exemplaria. [Plura Pet. Victorius lib. XXVIII. Variar. lect. cap. IV.

52. *Occupatũ interemit.*] *Occupare* est præcipere, præuenire, lib. III. de Rep. *Quid si vita eius in periculum veniet, vt eum aliquando necesse sit aut occupare, aut mori?* Huiusmodi etiam protrita video annotanda esse, quia hoc qui ignorabant, locum corruperunt.

53. *Breui præcidam.*] Sic III. Academicarum: *Præcide* (inquit) *statue aliquando quod lubet*, & ad Attic. VIII. *Numquam reo cuiquam tam humili, tam sordido, tam nocenti, tàm alieno, tam præcisè negaui, quam hic mihi plane sine vlla exceptione præcidit.* Fortassis dictio *breui*, vt adulterina, expungi possit.

54. *Sibi habeant igitur arma.*] Hic locus pessimè tractatus erat. Exemplar ad D.

Iacobi sic habet: *Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastas, sibi pilam, sibi clauam, sibi natationes atq; cursus.* Quo modo si legas, *pilæ* appellatione harpasta, folles, & cætera genera pilarum accipienda erunt. Sin coniunctiuam interponas, vt cæteri libri habent, commodius erit *clauam & pilam* ad hoc genus ludi referre, quo Romani hodieque multi vtuntur, pilam ligneam malleo ferientes magnis viribus, nec sine dexteritate. [Aliter explicat, memini, doctiss. Turnebus lib. XIII Aduers. c. 6.]

55. *M. Valerium Coruum.*] A quo *Valerii Coruini* nomen habent. Consul primum fuit Anno CDV. P. V. C. Inde anno XLIX. sextum Consulatum iniit. *Perducere* simpliciter, pro *producere*, etiam in Lælio dixit, vbi de adolescentium tractat amicitiis.

56. *In quem illud elogium vnicum.*] Sic omnes libri habent, sed quo sensu? itaque Gaza, *vnicum*, ad *virum*, non ad *elogium* retulit, [vt & Lambinus.] Ego *Vno ore*, ex libro de Finibus altero, reposui: *Non elogia monumentorum id*, inquit, *significant? velut ad portam,*

Vno ore plurimæ consentiunt gentes
Primarium populi fuisse virum.

Idne consensisse de Calatino plurimas gentes arbitramur, primarium populi fuisse, quod præstantissimus fuisset in conficiundis voluptatibus? Et in Lælio: *Vna est enim amicitia in rebus humanis, de cuius vtilitate omnes vno ore consentiunt?* Terent. Phor.

Nam cæteri quidem Hercle amici omnes modo
Vno ore auctores fuêre.

57. *Arripere.*] Sic in omnibus libris scribitur, id quod vehementius est. Gaza, vt vulgò, *afferre*, habuit.

58. *Diritas.*] ex Nonio ita reposui, quem vide, & Victorium lib. III. Variar. cap. vlt. [*Duritas*, tuetur Lamb.]

59. *Qui octoginta regnauit.*] Aliquot libri m. s. *qui LXXX. regnarit annos, CXX. vixerit.*

60. *Iam sensus moriundi.*] Ineptè quidam hic infarciuerant verbum *permanet*, alii *durat*, alii *est*, de hac locutione adnotaui in lib. de Off.

61. *Quo ab ea propius abes.*] Sic I. ad Att. *Illam manum tu mihi cura vt præstes, quoniam tu propior abes, Pompei nostri.* Alibi: *loca quæ à Brundisio propius absunt, quam tu, biduum, aut triduum.* Plin. XIV. *Tam prope ab origine rerum sumus.*

62. *Prudentia.*] Est in vet. libris, & ita olim legi solere testis est Nonius. Sic VI. de Repub. *Totam igitur exspectas prudentiam rectoris, quæ ipsum nomen hoc nacta est à prouidendo.*

63. *Quoniam remisi.*] Pro *quom*, scripsi *quoniam*, quod in vet. libris scribitur hoc compendio *quõm* vel *qm̃*. Ita autem legi debere Xenophontis ipsius verba ostendunt.

64. *Sic me colitote, vt Deum.*] Sapientissimus rex Cyrus, dum multa cum filiis de re-

de regni administratione egisset, eos ad perpetuam inter se pacem concordiamque cohortatus, tandem rogat vti vel animum ipsius, tanquam immortalem, reuereri, ea omnia quæ admonuerat obseruarent. Et vt ad se etiam vita defunctum, eam rem pertinere ostenderet, animorum immortalitatem eis persuadet, αἰδεῖσθαι autem, quo verbo vsus est Xenophon, *venerari* est, & *honore afficere*. Quis autem Cyro tribuat tam de se barbaram opinionem, vt se velit pro Deo coli, atque eo loco esse, quo qui hominibus summa omnia dare potest. Sed hic ita Cicero locutus est vt in Somnio Scipionis; *Deum te igitur scito esse*: hoc est, immortalem. [Aliter scio Franc. Luisinum tentasse cap. 1. Parergon è Xenophonte.]

65. *Tanquam Peliam receperit*] Laborauit in hoc loco restituendo Pet. Victorius lib. V. Variar. c. 6. & Muretus VI. c. 10. Sed ii mihi nondum videntur extremam manum apposuisse. In vno exemplarium meorum sic legitur: *Nec tanquam pilam recoxerit*, vel, *detorserit*: in alio, *Ne si tanquam Peliam recoxerit*, quam probaui. Hoc enim mihi videtur velle Cato dicere, Non facilè passurum se, vbi de vita migrandum sit, vt se quisquam de via reprehendat atque reducat, etiamsi iuuentutem redditum iri cauerit, sed si etiam ad infantiam quis velit reuocare; valde repugnaturum. *Tanquam* pro quemadmodum frequens est, vt in Lælio: *Vt, tanquam in herbis non fallacibus, fructus appareat*, & iterum: *Amicos, tanquam pecudes, eos potissimum diligunt, &c.* Et de clar. Oratorib. *Aetatis illius ista fuit laus, tanquam innocentia, sic latine loquendi.* Ergo, *tanquam Peliam*, id est, quemadmodum Pelias fuit recoctus. Fabulam refert Diodorus lib IV. *Non admodum* diuersa est & de Æsone, Iasonis patre, quem Medea herbarum decocto iuuentuti reddidit. Ab his *recoctos* pro veteratoribus & callidis dicimus.

66. *Non habitandi dedit.*] *Locum* vt glossam expunxi. Liber qui est ad D. Iacobi hunc ad modum est scriptus: *Commorandi enim natura diuersorium dedit, habitandi non dedit*, quod mihi sanè quam eleganter videtur esse dictum. Cæteri habent vt edidi.

67. *Quod contra decuit, ab illo meum.*] Idem liber habet: *cuius corpus à me crematum, quod contra decuit ab illo*, sine pronomine, *meum*, quem sum secutus. Item paullò pòst pro *non molesta*, habet, *nec molesta*, antiquè.

IN LÆLIVM.

1. QVi tum erat Consul, dissideret.] In libro qui est ad D. Iacobi, *discederet*. Sanè *discidium* in manuscr. membranis centies inueni, nunquam *dissidium*. Est enim *discedere* in diuersas partes ire.

2. *Sunt ista vera Læli.*] Elegantiss. illud exemplar ad D. Trudonis ita habet. *Sunt ista Læli*, quib. verbis eadem vt videtur manu tenuiore tantum litera, superscriptũ est, *s. vt dicis vera*: alter, *sunt ista C. Læli*. Tertiꝰ *sunt ista Læli, vt dicis*. Verbũ *est* affirmãdi vim obtinere, nemo Latinè doctus ignorat, Acad. I. *Tũc ego: sunt, inquã,*

ista Varro: nam nos in nostra vrbe, &c. Plaut. Pseudolo: *Nam quanto satius est adire blandis verbis atq; exquirere, sint illa nec ne sint, quæ tibi renuntiant.*

3. *Existumare debes.*] In omnibus huius dialogi & item Catonis maioris exemplaribus, paullum modo antiquioribus, constanter scribitur. *Existumo, volt, volgus, auos* casu nominandi, *optumus, maxumus, amicissumus, emundum, faciundum* & alia eiusmodi, quæ eo modo veteres pronuntiasse constat, quanquam nonnulla istorum à Victorino Grammatico damnantur, quia tamen his libris Cato & Lælius loqui videntur, non potui fidem vetustorum librorum repudiare: eò minùs, quod à Quinctiliano scriptum est Cæsarem primum *optimus, maximus* scripsisse, inde cæteros secutos auctoritatem.

4. *Scimus L. Atilium.*] Nonnulli libri *Acilius*, alii *Actilius* corruptè, vt *Lectorius, Octacilius, Luctatius, Cocta, Actius*, pro *Latorius, Otacilius, Lutatius, Cota vel Cotta, Attius*, meliores verò integrè habent *Atilius*. Q. Pomponius in titulo de orig. Iuris scribit *L. Atilium* primum apud Ro. vocatum esse sapientem, meminit & Cicero de Legibus: sed & ibi mendose *Acilius* scribitur.

5. *Inualetudinem causæ.*] Ita vet. libri, Varro III. rust. *Hic enim sonus harum fuga solet esse.* Philip. VIII. *Cui legatio ipsa morti fuisset*, de Orat. II. *cum ille se custodia in castris duceret remansisse*, ad Att. IX. *cum eius saluti, qui mihi fuerat, fuisset*, & mille aliis locis, quibus typographi adiecerunt, *causa*, vel simile quid. *Inualetudo*, vel vt libri m. s. *inualitudo* legitur bis ad Att. lib. VII. & in Catone maiore. Trogus lib. XIII. *Ptolomæus*, inquit, *recusat regem Aridæum, non propter maternas modo sordes, sed etiam propter inualetudinem maiorem, quàm patiebatur.*

6. *Intermissio fiat.*] Optimus alioqui lib. pro *intermissio*, habet *intercessio.*

7. *Videram Gallum.*] Hunc locum cum librarii non intelligerent, quisque pro suo captu descripsit, quidam, *Videram Caium, sed hi non comparantur Catoni perfecto & spectato viro*: alii, *Videram Caium, sed hi ne comparentur quidem Catoni p. & sp. v.* Exemplar ad D. Iacobi hac in parte erasum est, & supposita ea quæ iam dixi. Quartus, cuius mihi inspiciendi copiam fecit Iacobus Susius, vir humanissimus, & doctissimus, sine vlla macula hoc habuit quod edidi, *sed hi in pueris: Cato, &c.* L. Paulus Macedonicus cum duos filios haberet, prætextatos eos perdidit, vnum paucis diebus antequam de Perse triumpharet, alterum paucioribus post. Refert Liuius libro XLV. & idem quanto animo mortem eorum tulit. Eadem ferè ætate filium, C. Sulpicius Gallus vir consularis & triumphalis amisit, vt hic indicatur & libro IV. epistolarum ad Ser. Sulpicium. *Nam & Q. Maximus*, inquit, *qui filium consularem clarum virum, & magnis rebus gestis amisit, & L. Paullus, qui duos septem diebus, & noster Gallus, & M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, vt eos, tum ipsorum dignitas consolaretur ea quam ex R.P. consequebantur* Hic est *Gallus* quem in I. de off. studiosum Astrologiæ scripsit: fuit autem Lælii familiaris & quidem natu maior, vt postea dicetur, & ex Suet. constat lib. de Poetis. Lælius igitur *Paullum & Gallum* hoc æquio-

æquiore animo tulisse mortem filiorum interpretatur; quod etiam dum pueri erant & nondum vtiles ad R. P. capessendam *Cato* autem filio est priuatus iam Pr. designato & maxima spe: cum etiam fortissimi & nobilissimi viri L. Paulli filiam duxisset vxorem, in ipso videlicet limine honorum.

8. *Immortalitas.*] Hic *consecrationem* significat, qualis Romuli & postea Cæsaris, deinde Augustorum & cæterorum fuit. Nam *animorum immortalitatem* nusquam non Cicero astruit.

9. *Consul factus est bis.*] *P. Cornelius Scipio* iuuenis auita virtute, primum in Africa Tr. mil. deinde legatus in Hispania, egregium sui specimen ediderat: itaque cœpit in oculis esse. Demum Punico bello tertio, ignauia Imperatorum extracto, agens annum XXXVI. Ædilitatem petens [An. DCVI. P. V. C.] suo quidem tempore, consul renuntiatus est non suo. Nam curulem magistratum cum ante annum XXXVI. ætatis gerere non liceret Lege Annali, & gradatim magistratus peterentur, lege Cornelia, essetque necesse biennium minimum, inter singulos intercedere: quæ omnia ex Oratione pro lege Manilia, & Philip. V. colliguntur; etiamsi tum ædilis factus esset, & triennio post prætor, non tamen poterat ante annum XLII. Consulatum petere. Contracta iterum per Mancini fœdus graui populo R. ignominia, dum Quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabio fratris sui filio in campum descendisset; eum populus iterum Consulem reduxit, inquit Val. Max. *Consul* igitur *factus* [An. DCXIX. P. V. C.] *est bis, & quidem absens*, id est, non candidatus: primum facta gratia ætatis; *iterum sibi quidem suo tempore*, hoc est, sine vllo priuilegio, interiectis plus XII. annis à priore consulatu, nam cautum erat Lege Cornelia ne quis eundem magistratum ante X. annos caperet, de quo Liuius libro VII. *Rei vero publ. pæne sero*, propter Numantinum dedecus. Hæc retuli eò prolixiùs, quod ea videam non hodie modo, sed nec olim ab omnibus benè fuisse intellecta. De morte eius vide Paterculum, & Iul. Maternum.

10. *Senatu dimisso.*] Opt. ille liber *senato dimisso*, vt Sallust. *Senati consulta*: & ita Ciceronem esse locutum testis est Sosipater, vide Nonium.

11. *Ad superos videatur potius.*] Libri vet. quotquot vidi: *Ad superos videatur Deos potius quàm ad inferos peruenisse.*

12. *Me conuenisses.*] Ferè libri m. s. habent; *mecum venisses*. Sed cum domus eadem esset Scipionis & Lælii, idem victus, isque communis, vt extremo hoc libro dicetur, per officium fortè ad Lælium tum aduenisse Scæuolam verisimilius est.

13. *Quasi in quiete.*] Al. *quasi in quiete viso ab Africano audisse dicebat*, fortasse *in quiete* ex scholio irrepserit.

14. *Hoc eius euentum.*] Sic ad Herennium in bonis libris: *Facile ex aliorum euentis possunt suis rationibus consulere.*

15. *Voluntatum.*] Boni libri *voluntatium*, vt alibi *hereditatium, voluptatium* scriptum inueni & rectè ex Prisciano.

16. *Fama delectat.*] Cum in omnibus exempl. etiam m. s. haberetur: *fama, falsa præsertim*; nihil sum veritus duabus postremis vocibus, vt adulterinis, Aristarchium pugionem imprimere. Cum enim dicat, non tam delectat; attamen delectari se significat: tum verò etiam, quis non delectetur fama & opinione sapientiæ? Imò *sapiens* & fuit, & ideo quia fuit, appellatus est Lælius, vide Plutarch. in Scipione. Paulò pòst, vetustiss. exempl. vnum habet: *Nam & præclarè est, & sumus, vt dixit Fannius, otiosi*, quæ lectio mihi non displicet.

17. *Vt iis ponatur, de quo.*] Sic Tuscul. I. in bonis exempl. *Ponere iubebam de quo quis audire vellet.* Et I. de Oratore: *sed quanquam satis iis qui aderant, ad id quod erat positum, dictum videbatur.*

18. *Qui potest esse vita.*] Vet. III. libri, *quæ.*

19. *Non aqua, non igni.*] Hactenus legebatur, *non aqua, non igni, non aere.* Sed duæ extremæ voculæ, adulterinæ sunt: nec in vet. codicibus habentur, & sunt contra formam Prouerbii. *Ignis* autem superiora elementa, *aqua* inferiora comprehendit: vnde quidam tantum duo rerum principia hæc constituerunt.

20. *Pauci nominantur.*] Al. *numerantur.*

21. *Bona spe prælucet.*] Omnes libri m. s. habent: *Bonam spem prælucet.*

22. *Beneuol. coniunctionem.*] Veteres libri: *Beneuolentia vinctionem*: Vsus est eo verbo & Varro in IV. de lingua Lat.

23. *Dissipare.*] *Dissupare* ex Sex. Pompeio scribendum est, in verbo *supare*, tum ex antiquis membranis. De hac autem Empedoclis sententia prolixè Simplicius in librum I. de Physica auditione. Attigit etiam obiter auctor Nicomachicon libro VIII. ἐκ τῶν διαφερόντων φυσὶ καλλίστην ἁρμονίαν καὶ πάντα κατ᾽ ἔριν γίνεσθαι. Post aliqua, vetustiss. liber habet, *maxumis præferat laudibus*: non malè vt puto, pro *efferat.*

24. *Potissime dixisse.*] In omnibus antiquis libris inueni *potuisse dicere*: contra in libris de Inuentione, pro *potuisse dicere, potissime dicere.*

25. *Vnacum prætexta toga.*] ad differentiam *Virilis & puræ*, quæ sumebatur anno ætatis XVII. Nam ineptè prius legebatur, *toga atque prætexta.*

26. *Contentione luxuria.*] Quidam libri: *contentione vel luxuriosa conditionis*; alii; *contentione luxuria conditionis*: alii, *contentione luxuria vel commodi alicuius*, omisso verbo *conditionis*: Sed ego illud in omnibus libris offendi. *Luxuria* autem est morum solutio, ait Festus.

27. *Odia gigni maxima atq. sempiterna.*] Has duas voces, *maxima atque*, in nullo libro m. s. repperi.

28. *Viscelinum.*] Quidam libri, *Viscelinus*, alii *Vulselinus*, alii aliter. In Dionysio ὐισκελῖνος, sed corruptè, vt puto, pro οὐισκελῖνος, In Dione βιτελλῖνος. Est autem *Cassiorum* cognomen, quod cum hinc, tum ex Xiphilino lib. LIX. constat. *Sp.*

Cas-

Cassius Viscelinus post tertium Consulatum affectati regni damnatus de saxo Tarpeio datus est.

29. *At C.Blosius.*] Libri m. l. habent *C.Bissius*, in Plutarcho βλάςος, corruptè, pro βλώσιος aut βλόσιος. Nam cæteri *Blosium* vocant. Fuit Antipatri Tarsensis discipulus: Elapsus quæstiones de Ti. Gracci amicis habitas, ad Aristonicum Eumenis filium Pergami regem fugit, cuius rebus afflictis mortem sibi conciuit: Cicero in Rullum. Hic notandum *Nasica* id à Plutarcho attribui, quod Lælius se narrat fecisse. Ciceronem sequitur Valerius lib.IV. cum ait: *Senatus Rupilio & Lenati Cos. mandasset, vt in eos qui cum Gracco consenserant, more maiorum animaduerterent; & ad Lælium cuius præcipuè consilio Cos. vtebantur, pro se C. Blosius deprecatum venisset, &c.* Ex quo loco apparet hic *Lenati* legendum casu tertio.

30. *Papum AEmilium.*] *Q. AEmilius Papus* Cos. cum C.Fabricio Luscino anno CDLXXI. ab V.C. quarto postea anno collega eius in Censura.

31. *Tunc quidem Caius frater, nunc idem acerrimus*] Libri hic vehementer variabant. Sed omninò legendum vt scripsi, *C.Graccus* fuente legibus agrariis fratre Tiberio, ad Numantiã militauit, agens annum ferè vicesimum: erat enim nouẽ annis minor Tiberio, qui an. XXX. ætatis suæ est interfectus, auctore Plutarcho. Absens tamen C. cum Ap. Claudio III. Vir Agris diuidundis à fratre creatus est. Interfecto Ti. ita negotiis forensib. abstinere visus est, vt vulgi sermonib. fratris necati causam negligere incesseretur, vt refert Cicero ex Cœlio, lib.I. de Diuinat. Sed & ipse quadã Orat. scripsit, Tiberium fratrem dum ad bellũ Numantinum iret Hostilio Mancino Quæstor, videretq; agros à barbaris & peregrinis coli tum primũ ad funestam ipsis actionem & mille malorum causam animum attendisse: vt Plutarch. refert. Interim C. Papirius Carbo, qui à Tiberii partibus semper steterat, non desiit causam agrariã, quæ in populi animis penitus insidebat, agitare: quam etiã confecit, senatu nec magnopere resistente, ad populũ mitigandũ: In Scipiones aliosq; Ti. aduersarios partim insidiis, partim vi Tribunicia inuadere, aliaq; talia agere, quæ Cai causa fieri nonnulli interpretabantur, à qua tamẽ suspicione reuersus de Sardinia, vbi Quæstor Oresti Cos. fuerat, se purgauit ad populũ. Biẽnio postquã est reuersus, irritatus iam ab Optimatib. quibus metui erat & acre ipsius ingeniũ & summa eloquentia, cœpit sese erigere, palã causam fratris agere, mortẽ eius apud populum deplorare. Trib. itaq; pl. factus est, an. DCXXX. P. V. C. quo anno hic sermo habitus fingitur ab Lælio. Dicit igitur ꝙ tunc fratrem suum non sit secutus Caius, vel per ætatem res non tam altè inspicientem, vel metu inimicorum, vel certè inuidiæ illis contrahendæ causa; postea verò eas partes acerrimè propugnasse. De Tribunatu eius, qui successus futurus, an similis fraterno, quamuis metueret, nolle tamen augurari. Egisse quidem eum causam fratris etiam initio, constat ex ipsius Oratione, qua Papiriam rogationem de reficiendis Trib. pl. suasit: item ex altera in Popillium. Sed videtur non perseuerasse. Et hæc est vera huius loci

loci ſententia; quem interpretes non perceperunt: Nam dictio *inimicus*, aut *hoſtis*, ab eis inſerta, nuſquam extat in libris vetuſtioribus. Occiſus eſt autem *Caius* iam Tribunicius, cum tertii Tribunatus repulſam paſſus eſſet, anno ætatis XXXIII. Errant enim non parum qui *Tribunum* eum interfectum ſcripſere. vt ex Paterculo docemur. De *C. Catone*, quo modo ille Tiberii partes ſecutus ſit, explorati nihil habeo. Sane cum *Porcia gens* domeſtica quadam ſeueritate, nobilium impotentiæ ſeſe ſemper obiecerit, & velut ſufflamen quoddam, effrenatæ eorum libidini iniecerit, non alienum ſit, C. Catonem tum annos natum fere quinq; & viginti, ſecutum Graccos potius quam Scipiones, totis niſibus legi agrariæ obſtantes, quamuis ſanguine iunctos: (natus enim fuit hic ipſe Cato ex Æmiliani ſorore, vt Cicero & Velleius teſtantur, Pauli ſcilicet Macedonici filia, vt ſupra quoq; dictum eſt) nam & Cenſorius, huius auus, contentiones cum Africano habuerat, quas eum etiam ſenem in Æmilianum extendiſſe, Corn. Nepos in vita Catonis docet. *C. Carbo* vir eloquentiſſimus, at ſeditioſus, qui & viui & mortui Tiberii factionem perpetuo ſecutus fuerat, interfecto Caio à L. Opimio non modo iure cæſum eum dixit, ſed etiam Opimium ad populum defendit: ad Optimateis reuerſus eſt. Conſul etiam factus eſt. Cicero de Oratore.

32. *Quid in P. Naſicam effecerint.*] Quidam libri: *Quid in P. Naſicam Scipionem, alii quid in P. Naſicam:* quos ſum ſecutus. P. Cornelius Naſica Serapio priuatus Ti. Graccum occidit: & de ſociis eius quæſiuit, ſi Plutarcho credimus: quo nomine in vincula eſt coniectus à P. Curiatio Tr. Pl. Cicero in bruto & III. de legib. Tandem libera legatione in Aſiam conceſſa Pergami obiit. Paullo ſuperius, in antiquiſs. exempl. ad D. Iacobi ſcriptum eſt hoc modo: *Nunquid ſimile, Scipio, huius P. R. audierat aut viderat?* certe Ti. Graccus non primus appetiuit Regnum Romæ: idem fecerat. Sp. Mælius &c.

33. *Nam Carbonem.*] Eſt apud me perantiquum exemplar Lælii, in quo ita eſt ſcriptum: *nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter &c.* quam omnino ſinceram ſcripturam exiſtimo. Fruſtra enim dicat, *quem modo poſuimus*, cum & notiſſimus eſſet, & etiam tum, vt dixi, viueret.

34. *Serpit deinde res.*] Reſumit, quod cœperat ibi: *deflexit iam aliquantulum* &c. & capta occaſione in leges tabellarias, quibus vbique infenſus eſt inuehitur.

35. *In exſilium miſſus eſſet.*] Omnes libri manuſcripti, quos videre mihi contigit. habent: *in exſilium expulſus eſſet.* ego libenter legerim, *in exſilium iſſet.* nam *expellendi* verbum duriuſculum eſt in Athenienſium oſtraciſmo: maxime, cum tradant nonnulli voluntarium exſilium obiiſſe Themiſtoclem: niſi mauelis; *in exſilium pulſus iſſet.*

36. *Quam ii qui putantur.*] Hæc III. verba, *ii qui putantur*, ſemper iudicaui à ſciolo quopiam noſtræ Religionis interpolata, auxitque opinionem antiquus liber, qui apud me eſt, in quo ita legitur, *quam hi qui videntur beati.*

37. Sed

37. *Sed reabse in multis.*] *Reabse* in tribus m.f. libris legi, verbum vetus & Lælio dignum: quo vsum esse Ciceronem, Seneca notauit, vtitur certè & in Legibus, & in V. de Finibus.

38. *Si cadit in sapientem dolor.*] Vetustiss. liber habet, *Quamobrem si cadit in sapientem amici dolor*, quam lectionem non repudio.

39. *Vt & bonis amici.*] Sic est in omnibus m.f. Estque familiaris Ciceroni elocutio, vt homines inter se *bonis amici*, id est, amico obuenientibus *diffundantur*, id est, præ gaudio quasi effundantur animo.

40. *Neq; immunis.*] Sex. Pompeius. *Immunis* inquit, *aliquando improbus.* Plautus: *immune est facinus*, ita ille, nam Cicero, vt decorum in persona seruet, Catonis, Lælii, & aliorum. His dialogis nonnihil aliquando inspergit antiqui sermonis: quanquam hoc quidem loci non tam asperam esse huius verbi significationem, ea quæ proximè sequuntur, verba declarant, ibi: *si à caritate volgi abhorreret.*

41. *Si cum studio.*] Hæ dictiones, *cum amore*, in vet. nullo exemplari leguntur. Sed & paulò pòst, ibi: *maximeq; virtute praditi, in qua, &c.* rectè abest dictio, *praditi*, ab eisdem libris, quæ est locutio recepta: vt infra, *quamquam miror illa superbia, &c.* Terent. Eunucho: *Eam si credit esse, vt est dementia.*

42. *Nihil vmquam omn. deesse amicis*] Vet. liber, qui apud me est, sic habet: *nihil vmquam indigere amicos*: vetuste, at ita tamen, vt nulla asperitate offendat aures. *Indigere* certè cum casu accusandi, Plautus, & Varro, aliique dixerunt.

43. *Tum exsulantem se.*] Quidam libri: *Ferunt cum exsulem esse se intellexisset.* alii: *Ferunt cum vere exsulantem se intell.* meliores, *ferunt, tum exsulantem se intellexisse.*

44. *Itaque efferantur.*] Vetustissimus liber, *efferantur*, non tamen displicet *efferuntur.*

45. *Vestem egregiam.*] Quidam edunt *& gloriam.* Loco huic sine omni exceptione malæ tractationis actio danda erat: Nam dignitates, titulos, honores multi: *gloriam* verò quis emit vnquam?

46. *Sua cuique permanet.*] Parcense exemplar habet, *nam amicitiarum sua cuique pertinet stabilis &c.*

47. *Caput agatur, aut.*] Vtrumque dicitur Latinè, *caput eius, de capite eius agitur*: prius in vetustioribus libris habetur, & item in A. Gellii m. f. exemplari lib. I.

48. *Sane.*] Castigantis est, vt III. de Legibus: *Quæ res cum sapientissimè modestissimeq; constituta esset à maioribus, nihil habui, sanè non multum, quod putarem nouandum in legibus.*

49. *Equis tentatis*] Quidam *aquis tentatis* legunt, contra omnium vet. exemp. auctoritatem: quanquam non magnopere pugno. *Equum* certè *tentamus*, id est, ad cursum & alia summittimus, ac periclitamur, si sessorem patitur, si ore con-

tumaci non est, si succussor non est, si versuras faciles præbet, si valet cursu? & alia eiusmodi, quibus cognitis, vel eo vtamur, vel repudiemus: sic amicorum mores periclitandi.

50. *Obscuratum iri arbitr.*] In nonnullis libris, *obscurari*: in pluribus, *obscuratum iri* legitur q. d. emolumenti magnitudinem facile obtentui futuram neglectæ amicitiæ.

51. *Non est facile inventu*] Sic scripti libri habent: & Sallust. lib. III. hist. ita quoque est locutus: *Non tu scis, si quas adis ignis carpit acriter, haud facile sunt defensu, quin & comburantur proxuma*: quanquam, vt obiter hoc moneam, timeo ne Sallustii non sint. Sunt Tetrametri versus: vt fortassis apud Carisium lib. II. Grammaticæ qui eos adducit, verba desunt Sallustii, ac nomen auctoris horum versuum.

52. *Amicus certus in re incerta cern.*] Vet. libri fere habent. *in re certa*: nam rebus medio loco stantibus, & donec spes est etiam meliores fore, nemo non vult amicus videri: lapsis & afflictis, qui ex animo amicus sit, cernitur. Plautus tamen dicit: *in re dubia cognosce amicum*: Sed & *dubia res* sæpe vocantur tantum non desperatæ.

53. *Plerosq. conuincunt*] In optimo libro, *pleros*: verbum priscum, & non indignum Lælio: nam, vt dixi, Cicero in his libellis, sicut & in libris de Repub. non adhorruit ab elocutionibus veterum, sed data opera inspersit, ita tamen diligenter, vt nulla scabricie aures offenderentur, quod haud scio an non diligentius à Virgilio cautum est.

54. *Et qui rebus iisdem*] Vett. libri: *Et consentientem, id est, qui* &c.

55. *Habet illa quidem grau.*] Hic locus suo nitori restitutus est: *Seueritas* inquit, cum omni in re habeat grauitatem, in amicitia tamen debet esse remissior.

56. *Rerum satietates*] Fere libri m. s. habent *societates*, pro *satietates*.

57. *Montuosis etiam Siluest.*] Emphasis & gratia orationi restituta est.

58. *Propter ignorantiam*] Ex Nonio reposui, *ignorationem*.

59. *Queruntur semper aliquid*] In vetustiss. exempl. *querunt* pro *queruntur* scriptum inueni. Totus autem locus erat mendosus.

60. *Quamuis licet excelleas*] *Excelleas* in duobus exempl. legebatur, & ita in Oratore ad Brutum duobus locis habet liber meus m. s. *In oratoribus vero Græcis quidem*, inquit, *admirabile est, quantum inter omneis, vnus excelleat*. Et iterum: *Non quod sola ornent, sed excelleant*. *Excello* certe & *Excelleo* dici Priscianus probat.

61. *Alio quodammodo est*] Omnes libri m. s. sic habent; & postea: *Sed nescio quo modo hoc est, quod in Andria familiaris meus*, &c. Nam verbum, *est*, id notat, quasi dicas, *verum est*. Et quod sequitur: *Aliter amicitia* &c. respicit præcedentem illam sententiam: *Omnino amicitiæ* &c. cui Cicero suo more periodum hanc interseruit: *Nec si qui ineunte ætate*, &c.

62. Tro-

62. *Troiam Neoptolemus*] Quod de *Neoptolemo* ait Lælius, omnes de *Achille* referunt: Itaque vel errat Cicero per memoriam, vel, quod potius credo, de industria, Lælio, at illa ætate, Græcanicarum fabellarum ignorantiam concedit. *Desiderium* significat absentiam, vt Philip. *11*. *Quod desiderium tui ferre non posset*: quo loco male vulgo scribitur, *desiderium tui dissidii*. Quid sit enim *desiderium dissidii*, vel *discidii*, vt alii libri habent.

63. *Quasi quadam calamitas*.] Dictio, *quasi* à m.s. libris abest.

64. *Oratio nostra dilabitur*] Quidam libri, *delabitur*: sed optimus, *elabitur*.

65. *Eluunda*,]in vet. omnibus. Quod sequitur, *dissuunda magis quàm discindunda*: ita quidem hic omnes libri habent: vno demto, in quo *discutiunda*, pro *discindunda*: contra in libris de Officiis, veteres omnes habent, *diluunda*. vt ibi notaui.

66. *Scipio collega Metelli*] Q. Cæcilius Macedonicus, cum Q. Pompeio Rufo inimicitias acerrimas gessit. Rebus itaq; in Hispania pæne à se confectis, cum audisset Q. Pompeium successorem sibi mitti, victoriæ iam propemodum adeptæ palmam atque gloriam sibi præcepturum: omneis commeatum missionemque petenteis dimisit, nec caussis excussis: horreis custodes ademit, arcus Cretenses frangi abiicique iussit, elefantis cibaria dari vetuit, inquit Valer. Id factum Scipionem, opinor, offendit R. P. studiosissimum, quòd priuatam simultatem in necem R. P. deriuasset. A Pompeii vero amicitia recessit Lælii gratia, vt hic dicitur: Cum esset enim Scipionis familiaris Metellus, eique promisisset, pro Lælio consulatus candidato, se prensaturum, pro se ipse prensauit. refert Plutarchus in Apophth. Id Scipionem ægrè habuit, vt est simile veri. *Collegam* autem & Scipionis, & suum vocat *Metellum*, quia Augurem.

67. *Neue non dignos*] *Non dignus, non idoneus*: semper in scriptis libris Ciceronis. *Indignus, inidoneus* nescio si vsquam. Male *incipiamus*, pro *incipiant*, suppositum fuit à Criticis. Est enim locutio Ciceroni, & cæteris antiquis vsitata, vt etiam alibi monui, vt in tertia plurali nomen omittant, cum de vniuersitate loquantur, Varro. IV. de ling. Lat. *Maximum ædificium est oppidum, ab ope dictum, quod munitur opis caussa, vbi sint*. Iterum *Carcer, à coërcendo, quòd exire prohibentur*.

68. *Sit omni ex parte perf.*] Expunxi hæc verba, *in suo genere*, etiam aduersantibus omnibus libris. Sunt enim notha & insita ab ipsis qui se Philosophos vocant: idem facturus in 1. de Oratore ad Q. fr. Vbi cum vulgo legatur: *agerent enim tecum primum omnes Pythagorei atque Democritici, cæterique in suo genere Physici vindicarent*: ego, sed de veteri libro, *ceterique suo iure Physici vindicarent*.

69. *Naturali carent.*] In elegantissimo illo Centronum exemplari *naturabili* fuit scriptum, & idem in margine repetitum: ita enim notarius qui volumen illud descripserat, vbi quæ dictio vel elocutio rara insuetaque occurrebat, vbique fecerat. Sic *spiritabilis, lamentabilis*, idem Cic. dixit alibi.

70. *Est enim is qui est.*] In vno libro est ad hunc modum: *Est enim is quidem tanquam alter idem.* Quæ sequuntur, erant mendosissima.

71. *Colent inter se atque diligent.*] Elegans est, *amare inter se, amplexari inter se.*

72. *Tam maxime necessaria.*] Sic in Heautontimor. *Quàm in minuma spe situs erit, tam facillume patris pacem in leges conficiet suas,* & alibi: *Quàm vos facillume agitis, quam estis maxume Potentes, dites, fortunati, nobiles; Tam maxume vos æquo animo æqua noscere oportet.* Varro in rust. *Quam paucissumos reliqueris, tam optume in alendo fiunt.*

73. *Conceditur.*] Sic habebat liber ille ad D. Trudonis oppido Centronum, & eadem manu, litera dumtaxat minutione erat super-ascriptum, *id est, esse dicitur*: Sic supra, vbi *anquirit* erat in ipso illo exemplari, ibi ad marginem adscripserat notarius eadem manu *anquirit, id est, anxiè quærit*: liber verò qui apud me est & ipse peruetus, non *anquirit*, sed *anxiè quærit* in contextum assumsit. Id autem sæpenumero contingit, vt glossemata etiam frigidissima à notariis recipiantur pro litera, quòd arbitrantur, notas seu emendationes esse, non interpretationes, maxime si in litera ipsa, dictio scripta sit, quam ipsi non intelligant, eo existimantes mendosam esse. Sed ad rem: plus est, *conceditur*, quàm, *esse dicitur*, q. d eo iam morum vitio peruentum est, vt virtus non modo ostentatio appelletur, concedatur etiam: virtutes enim qui oderunt, proximis vitiorum nominibus vocitant, vt alicubi à Plutarcho pulchrè disputatum memini, ita & in Catone verbum, *conceditur*, vsurpauit: *Quanquam est id quidem, senile*, inquit, *ætatiq́ nostræ conceditur.* Alia est huius verbi vis in I. de Orato. *Tenenda præterea est*, inquit, *omnis antiquitas, exemplorumq́ vis; neque legum aut iuris ciuilis scientia concedenda est*, ita enim habet liber vet. eo loco: *concedenda non est*, id est, condonanda non est, gratia eius facienda non est: seu, ferendum non est, vt ius ciuile ignoret.

74. *Terent. v. luculenter.*] Sic liber ille ad Trudonis, alii *lubenter*, quo verbo vsum Lælium, nescio an possim credere, cum *obsequij* significatio fuerit obscena, Ouid. VI. Fast. *Arserat obsequio Semele Iouis*, vide Donat. in Terent. eodem modo & *Officium* de quo Seneca in IV. Controuersiarum seu Declamationum. Hoc interim monere volo, libros, qui *Declamationes* vulgò inscribuntur, à Seneca non esse editos, sed ab non docto aliquo homine facta *Epitome* est *Controuersiarum* Senecæ: idque ieiune, & misere: id cum res ipsa, tum manusc. exemplar, quod habeo, luculentissime probat.

75. *Obiurgatione*] Vet. libri *correptione*, quo vocabulo Latini multi scriptores sæpè vsi sunt, ea significatione, alii etiam *correctione.*

76. Vt

76. *Vt ait idem Terentius.*] *Terentii* nomen, vt translatitium expunxi.

77. *C. Papirius nuper.*] Contra vet. librorum fidem, adeoque contra omnem Ro. historiam sic legebatur: *C. Papirius Carbo Cos.* Cum enim sit habitus hic sermo priore Tribunatu C. Gracci, vt supra ostendi, quo modo hic de Consulatu C. Carbonis fiat mentio, quem anno demum post Caium interfectum gessit? Cicero in III. de Oratore. Intelligit autem eam Orationem Lælius, quam Carbo habuit C. Claudio M. Perperna Cos. decem amplius annis ante suum Consulatum, de qua in Liuiana Epitome sic: *Cum C. Carbo Tr. Pl. rogationem tulisset, vt eundem Tr. Pl. quoties vellet, creari liceret; rogationem eius P. Africanus grauissima Oratione dissuasit, in qua dixit Ti. Graccum iure cæsum: C. Graccus contra suasit rogationem; Sed Scipio tenuit.* Ex Cai Oratione: Charisius hæc citat: *C. Graccus vti lex Papiria accipiatur. Pessumi fratrem meum optumum interfecerunt: hem videte, quam par pari sint.* Huiusce Orationis causa à Carbone Africanum occisum nocte sequente, fuit suspicio, de qua alibi Cicero.

78. *Lex de Sacerdotiis.*] Cum ante *Sacerdotes* omnes à suis collegiis cooptarentur, lege Licinia ad populi ius hoc beneficii transferebatur: sed ea lex Lælio dissuadente antiquata est: donec Cn. Domitius Mario iterum & Fimbria Cos. eam resuscitauit. Paterculus & Sueto. in Nerone. Hæc est illa *Lælii Oratio de collegiis* inscripta, de qua Cicero in Bruto: quamquam ibi vulgò, *de collegiis*, malè. In optimis exemplaribus, *iubebatur*, non *videbatur* scriptum inuenio. Cicero pro Cornelio. *Populus R. legem iussit de ciuitate tribuenda,* quia tamen lex Licinia iussa non fuit; nihil fuit cur quicquam immutarem: Certè lex ista popularis non videbatur, sed omninò erat: multa scilicet in superbiam nobilium, sub specie sacerdotiorum omnia auspicia, atque ita vniuersum Reip. statum sibi vindicantium.

79. *In forum versus agere.*] Interpretes legunt, *versibus agere cum populo,* id est Oratione ligata: sanè quàm indoctè vt sæpè, debuerant enim meminisse prius versibus esse actum cum populo quàm Oratione soluta: sed quid ad rem, versu an prosa cum populo Crassus egerit? antiquum est & elegans, *ad forum versus, ad orientem versus.* Cato dierum dictarum de Consulatu suo, *Pone versum illac mare est.* Varro de ling. Latina IV. *Tum quendam Curtium virum fortem armatum ascendisse equum & à Concordia versum, cum equo in eum præcipitatum.* Vide Sosipatrem libro II. *Tributis & curiatis comitiis,* (nam *centuriata* in campo habebantur) qui cum populo agebant, honoris ergò ad senatum & comitium versus faciem conuertere spectareque consuerant, at C. Crassus Tr. Pl. vt popularis, ad forum & populum versus constitit, ita hic Ciceronis locus accipiendus. Plutarch. non *C. Crassum,* sed *C. Graccum* id factitauisse primum scribit: & mihi verisimilius fit, qui tantum contemtum C. Licinii in Senatum alibi non legerim: nam de Gracco palàm est, facilis & procliuis lapsus Ciceronis ex vna litera vel altera. Nam certè librario hic imputari nihil debet: Cicero enim omninò hic de

C. Crasso, Plutarchus de *C. Gracco*, in cuius vita hæc ſunt ipſius verba, hunc locum pulcherrime explicantia: τοῦτον τὸν νόμον εἰσφέρων, ἔτι ἄλλα λέγεται σπουδάσαι διαφερόντως. καὶ τῶν πρὸ αὐτοῦ πάντων δημαγωγῶν εἰς πρὸς τὴν σύγκλητον ἀφορώντων καὶ τὸ καλούμενον κομίτιον, πρῶτον τότε στραφεὶς ἔξω πρὸς τὴν ἀγορὰν δημηγορῆσαι, καὶ τὸ λοιπὸν οὕτω ποιεῖν. ἐξ ἐκείνου μικρᾷ παρεγκλίσει καὶ μεταθέσει σχήματος, μέγα πρᾶγμα κινήσας, καὶ μετενεγκὼν τρόπον τινὰ τὴν πολιτείαν ἐκ τῆς ἀριστοκρατίας εἰς τὴν δημοκρατίαν, ὡς τῶν πολλῶν δέον, οὐ τῆς βουλῆς στοχάζεσθαι τοὺς λέγοντας.

80. *Nobis deferentibus*] Opt. duo libri habebant, *deferentibus*, quod probaui, nam cum eſſet prætor Lælius, ad collegium Augurum detulit, qui obnuntiauerunt: itaque rogatio eſt antiquata, ſi quis tamen malit, *defendentibus*; cedam potius, quàm manu conſeram.

81. *Quod ſi in ſcena*] Omnes libri vet. *ſi in ſcamna, id eſt in concione*, vel *in contentione*: ſed *ſcamna* pro ſcæna procliuis error eſt: reliqua aſſuta erant ex indocta gloſſa, reſpicit enim ad ea fabularum argumenta, quæ ſupra dixerat, de iis qui ignoratione parentum, cum diu in famulatu fuiſſent, tandem inueniuntur aut regum aut deorum filii: tunc plauſus excitari à populo exſultante ad veritatem, quam fingit poëta, patefactam.

82. *Plus vidiſſe videatur*] Q. l. *viciſſe*. alii, *valuiſſe*. alii, *incidiſſe*, alii, quos ſecutus ſum *vidiſſe*: vt lib. VII. epiſt. *Memini cum mihi deſipere videbare*; *nunc contra & vidiſſe mihi multum videris*, &c. Exemplar m. ſ. quod penes me eſt, habet, *plus vidiſſe fateatur*. Duæ hæ dictiones, *in Epicureo*. à libris vett. abſunt, putaui aliquando, *in Epiclero*, legendum.

83. *Atque luſeris*] Vet. libri, *atque vt iuſſeris lautiſſime* : excepto vno, in quo ſic, *atque vti vixeris lautiſſ.* docti coniiciant. De *Comicis ſenibus* videatur Pet. Victorius lib. VIII. Variar. cap. XII.

84. *Virtus inquam*] In tribus exemp. repperi ſcriptum : *Virtus* , *virtus* ; *inquam*.

85. *Vt in Q. Tuberonis*] Q. Ælius Q. F. Tubero L. Paulli Macedonici ex filia nepos, vt Cicero in Bruto, & in Mureniana teſtatur, viuo auo ſuo Paullo præturam petens, repulſam paſſus eſt ; Valer. libro VII. Debuit igitur tum non minus XXXIIX. annorum eſſe propter legem annalem: Paullus vero eſt mortuus anno poſt vrbem conditam DXC. à quo anno vſque in priorem C. Gracci Tribunatum, de quo hic ſermo habetur, anni ſunt XL. quomodo ergo *adoleſcens Q. Tubero*? viderit Cicero an exacte rationem temporum duxerit. Nam quem alium Q. Tuberonem intelligere poſſit, nondum deprehendi, niſi quis coniiciat huius aliquem filium *Quinctum* etiam fuiſſe, vel certe pro Q. hic L. legendum. *L. enim Tubero* huius filius Græcis & Latinis litteris eruditiſſimus, & Antiquitatis peritus habitus eſt, vt ait Cicero in Bruto. Sed rurſum obſtat, quod ſupra *Q. Ælium Tuberonem Ti. Gracci æqualem fuiſſe* dixerat. P. Rutilius M. F. Rufus,

Rufus, adoleſcens fuit. nam XXXV. annis poſt Lælii conſulatum, cum Tribunatum petens, repelleretur, conſul eſt factus: annis duodeuiginti poſt hunc ſermonem. Cicero pro Plancio. Pro *A. Virginio*, cuius nomen huc ab inferis reuocaui, q. l. habent, *Virginiani*, alii *Augurii*, alii *Virginii* ſine prænomine, ſed integre & recte ſcriptum inueni in exemplari ad D. Leonardi, & altero meo. Meminit eius Q. Pomponius noſter in Tit. de orig. iur. ſed mendoſe ibi, *Paulus Virginius* ſcriptum eſt, etiam in Etruſco exemplari. [Sed de hoc poſtremo, Cic. loco de Virginio, vbi pro *Augulini*, (quod in quibuſdam eſt manuſcriptis, ſed vitioſum) reponit *Auli filii* Steph. Vinandus Pighius lib. XIII. faſtorum Rom. ad an. 633. V. C.]

86. *Oriatur ex alia*] Hæ voculæ, *ex alia*, in vet. libro nullo exſtant. &, ni fallor, bene.

IN PARADOXA.

1. *In apertum vt proferas*] Omnes m. ſ. libri, *referas*, habent. quidam *apertum*: alii, *acceptum*. q. d. Tantulum eſt, vt accepto ferre non debeas. De *Minerua* eborea *Phidia* Thucyd. lib. II. & Plutarch. in Pericle.

2. Ὅτι μόνον ἀγαθὸν] In veteribus exemplaribus, inſcriptiones Latinæ nullæ exſtant: Sunt enim axiomata Stoica, quam ſectam Græci condiderunt.

3. *Capedines, ac fictiles*] Duo alioqui opt. libri. *capudines*. Marſus, *capides*. *Capeduncula Numa*, lib. III. de nat. Deorum.

4. *Felicatas pateras*] In q. lib. *delicatas*; vnde quidam, *delfacas* fuiſſe ſcriptum arbitrantur, cuiuſmodi vaſorum mentio eſt pro Seſtio, & in Verr. Sed in pluribus, *felicatas*, eſt: quarum meminit Sex. Pompeius: à *filice* herba: quæ & *felix*, & *felicula* Catoni.

5. *Tantoque comitatu ſeptus*] Cum hic quidam libri, *ſeptus*; alii *munitus*; alii aliud haberent; & in duobus vetuſtiſsimis nihil horum legeretur, iudicaui ſic eſſe locutum Ciceronem, vt ſuperiore libro: *Quanquam miror illa ſuperbia, & importunitate, ſi quenquam habere potuit*. Et in II. Philipp. *His igitur maioribus*. vbi vulgo, *orti*, additum eſt contra vet. codices.

6. Ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα.] Hanc theſim in omnibus exempl. ita ſcriptam repperi, vno demto in quo: ΟΤΙ ΚΑΤΑ ΑΜΑΡΤΗΜΑΤΑ ΚΑΙ ΤΑ ΚΑΤΟΡΘΩΜΑΤΑ.

7. *Quando vero acceſsit*] Locus hic turpiſsime erat maculatus, non tam à librariis, quàm à ſciolis iſtis audaculis, quod ignorarent, *vter*, pro *vteruis* poni.

8. *Vt in ſyllaba peccaſſe*] Et hic acuti illi viri malam manum adhibuerant. Particula, *vt*, in vet. nullo libro exſtat.

9. Si

9. *Si visa sunt breuiora.*] Verba sunt eius quem auctor fingit sibi respondere, *si visa sunt*, inquit, *breuiora*, hoc est minora, iudicentur etiam leuiora. *Breue*, pro paruo, vbique obuium est: sed vsus tamen eo videri possit, propter institutam comparationem à syllabarum quantitate.

10. ὅτι πᾶς ἄφρων μαίνεται.] Hic quoque positionem mutaui de vet. libris, & ita à Diogene refertur, *πάντας τοὺς ἄφρονας μαίνεσθαι*. Est in III. Tusculan. ex Alcibiade altero, inuadit autem hic P. Clodium: sicut in II. M. Antonium.

11. *Sed dementem &c.*] Libri m. s. hic admodum variant: Quidam, *Dementem iudico, siquidem in rebus ad victum necessariis inuictum potest*: alii, *sed dementem insanire rebus addictum necessariis, esse inuictum potest*: alii, proximè ad germanam scripturam: *sed dementem & insanum rebus addicam necessariis*: Vnde aliquando existimaui legi debere, *sed dementem & insanum addicam necessariis*: quia insanorum cura ad agnatos pertineret XII. Tabb. idque videbatur à Prætore, teste in Epistolis Horat. Sed cum hæc dictio, *rebus*, in omnibus exemplaribus legatur, verosimilius est, ex *rõibus* vel *rĩbus*, quod est *rationibus*, factum esse *rebus*, vt alibi ex *spẽ*, id est *specie*, *spe*: ex *sĩtia* id est, sententia, *scientia*. Verbum autem *Addicam*, nescio quid mihi adhuc suspectum est. Scio esse Prætorium. Sed quid ad hunc locum? Sex. Pompeius scribit *Addicere*, esse, alterius sententiam sequi & approbare, ea figura, qua, *acquirere*, *allaborare*, de quibus alibi dixi. Sed ne hac quidem significatione adiuuamur. Videndum an *adducam*, scribi possit, id est probabo, ostendam adductis argumentis. Placeret, *vincam*, si quo in libro reperissem: quamquam non nimis longè abest quod quidam libri habent *ad victum*.

12. *Vt ciuis optimi.*] A duobus vetustiss. libris abest particula, *vt*, & haud scio, an malè, videtur enim ex formula esse: CIVIS BONVS, CIVIS OPTIMVS.

13. *Et me exsulem.*] Vox, *exsulem* abest à multis libris m. s.

14. *Ædis Nympharum*] Vet. lib. *Ædis Nympharum tua manu deflagrauit.* Profectò *fana deflagrata*, & *imperium deflagratum* alibi dixit. Et Cæsar Strabo Oratione, qua Sulpicio Tr. Pl. respondit: *Deinde propinquos nostros Messallas domo deflagrata penore volebatis priuare.*

15. *Qui templa occupauerit.*] Indocti adiecerant, *deorum. Templa* enim sunt loca sub diuo patentia, auspiciis capiundis apta, Varro de ling. Lat. Cicero in Rhetor.

16. *In operto fuisti.*] Clarissima est sententia, si legatur, *in operto* scil. Bonæ deæ, de priuilegio isto Q. Cornificio referente, facto: & quo pacto, Pisonis opera antiquatum sit; vide librum I. ad Att.

17. *Apud eum polleat.*] Quidam lib. *eum apud*, & sic etiam Varro locutus est, sic *quos inter*, *memoriam prater*, supra obseruaui, *omni. us ex*, apud Liuium: *Tiberim contra*, *eo coram*, Tacitus.

18. *Fa-*

18. *Facta nexu*] Opt. libri, *nexo.* Vide Budæum in Pandect.

19. *Serui atrienses*] Mirum quàm hic variant exemplaria. Quædam *atrienses actu pari stultitia sua, quos signa &c.* alias, *atrienses actu pari stultitia sunt, quos* &c. alia *atrienses actu pari stultitia sunt, quæ sunt signa.* Putaui aliquando ita scribi posse: *atrienses ac topiarii stultitia sua, quos signa*; Nam cum in atriis ponerentur longa serie imagines gentiliciæ, statuæ, picturæ & alia id genus, vt Philipp. II. & apud Iuuenalem; spectabat ea cura ad *atriensem seruum*, cuius in familia primus locus erat, vt ex Plauto apparet, vt hortorum poliendorum, & varie exornandorum ad *Topiarios.* Fortassis autem sic rectius: *Atque vt in magna familia, sunt aliis alii lautiores, vt sibi videntur, serui; sed tamen serui: atrienses ac tu, pari stultitia sunt, quos signa &c.* sed, vt semel dicam, non me extrico.

20. *Seruire coëgit*] *Coëgit* scilicet cupiditas honorum, nam dictio, *res*, sic interserta ab istis, turbabat sententiam. Vide Plutarch. in Lucullo, in quem hæc fere disputatio.

21. *Dominum mutare*] in emendatissimo libro ad S. Trudonis, *mutitare* scriptum fuit: quam vocem, vt non temere scriptam, retinui. nam & frequentativi verbi significatio, inconstantiam auget. Verbum id receptum fuit in sodalitiariis cenis, quod subinde alius eas aliusque præberet: meminit Gellius. De hoc loco vide procemium libri iii. de Oratore.

22. *Testamenta exspectas*] fortassis *expectis*, id est astu quodam extorques, vt cum dicimus *anulum expectere de digito*, eritque contemte & inuidiose dictum. Nam si *expectas* legimus, quid sibi volent ista verba: *at ipse supponis?* an si supponere velit, eo minus erit mors exspectanda, quod vero scelus est, exspectare testamentum amicorum? nisi dicas, *exspectare* auide, atque cum voto quodam mortis eorum, certe vis est in verbo *exspectare*, & fortassis huc facit quod Rutilius Lupus in Schematibus refert: *Cum Proculeius filium suum hortaretur, audacter de suis rebus sumtum taceret, etiam se viuo: filiusque respondisset, non esse ea adhortatione opus. Non enim expectare se patris mortem: Imo vero, inquit, oro, mortem meam exspectes, nec properes moliri, vt velocius moriar.*

23. *Intercessiones*] Libri omnes m s. habent, *intercidas*: vulgares, *intercisas*, quod vocabulum nescio, ubi legisse recordor haud dissimili significatione. qui locus, quia non occurrit, *intercessionem*, suppofui, cuius significatio hic non aliena est. *operas dare*, est seruorum operas locare, id quod Cato laudat in patre familias. Plinius certe notat hoc Crassum fecisse.

24. *In Labicano*] Liber ad D. Trudonis, *in Lacopo.* alii, *in Lanicano.*

25. *Centiesimaq. diuitia*,] Idem liber *comtiesimaq.*

26. *Areas quasdam magno*] Liber idem *areas quiddam magni æstimant*, pro: *quasdam magno*: quod nescio quo modo auribus meis bene sonat.

27. *Minime quasi*] Idem liber & item alter hoc modo habent; *minimè quasi no-*

ceri potest, neque naufragio, nec incendio amittitur: quanti est æstimanda virtus, quæ neque eripi nec surripi potest, nec testamentum &c.

IN SOMNIVM SCIPIONIS.

1. *M. Manilio Consuli*] in Africa TR. MIL. fuit Scipio Æmilianus anno DCIV. post V. C. haud scio an hunc ipsum *M. Manilium* supra in Paradoxis intellexit. Nam certe virum aliquem magnum ibi significat, qualem hunc ipsum *Manilium* in suis de R. P. libris loquentem induxit, vt ipse testatur libro IV. epistolarum. mendose in Epitome Liuiana *M. Aemilius* vocatur.

2. *Me & de via*] Indoctus aliquis, *fessum de via*, emendauerat.

3. *Ex imagine eius*] Imagines gentiliciæ in atriis collocabantur, quas in funeribus ducebant. vide in Paradox. 19.

4. *Venis pæne miles*] Natus annos plusminus XXIX. cum autem toga virilis sumeretur anno septimodecimo, ac militandum esset decennio iis, qui honores erant petituri; fuit hic annus alter vel primus à defuncta militia, nonnullis post annis consul factus ante tempus, ad bellum Carthaginense iit: Carthaginem anno sequente euertit, non quidem Consul, sed prorogato consulari imperio.

5. *Nepotis mei*] Ti. Graccum vult dicere, cuius tribunitiis furoribus se obiecit Æmilianus. vide Plutarch. vel certe, C. Craccum, cuius fraude manu tantum Carbonis, vel vt alii, Semproniæ coniugis, strangulatus Scipio creditus est.

6. *Pax sit rebus*] Sic & in Machab. lib. I. c. in vulg. In omnibus vet. libris quos mihi contigit videre, *parum rebus*, scriptum fuit: estque ea, ni fallor, germana scriptura. *parum rebus* scilicet concedite, hoc est, date aliquid temporis & otii rebus tam arduis cognoscendis. hæc est enim, *rei*, significatio, ad Att. XIII. *Hui quam diu de nugis? de re enim nihil habeo quod loquar.* Et I. de Off. *Quæ omnes artes in veri inuestigatione versantur, cuius studio à rebus gerundis abduci, contra officium est.* Martial. libro VIII. *Posse Deum rebus pariter Musisque vacare Scimus. sic dictator rei gerundæ.*

7. *Pro rata portione*] Vet. *pro partium ratione distinctis*, bene.

8. *Manare possit*] Verbum, *possit* à vetustiss. libro abest, in altero *queat*, pro eo scriptum est.

9. *Populariter*] In omnibus omnino manu descriptis exemplaribus legi, *loquelariter*, pro *populariter*, quam vocem propter Ciceronianos, neque ciuitate dono; nec propter antiquarios, lege Penni eiicio. Diomedes enim & ante eum Probus, aliique veteres Grammatici præpositiones quasdam *loquelares* appellant: Et Sex. Pompeius *am* inquit præpositio *loquelaris*, significat circum: & Varro V. de lingua Lat. *hinc quidam*, inquit, *loquelam dixerunt, verbum quod in loquendo efferimus.* Equidem intellectu comprehendere nequeo, cur, *loquelariter,*

ter, vocabulum tam insolens, potius quàm, *populariter*, librarii scripsissent; nisi ita offendissent in Prototypis: quod contra solent pro insuetis ac non intellectis, aliena supponere. Paullo post, pro *quandocunque*, *quandoque* dixit, id quod non rarum est apud veteres, vt *quisque* pro *quisquis*, & similia.

10. *Sermonib. vulgi dederis.*] Frequens est, *sermoni dare*, *honori dare*, *senectuti dare*; pro aliquid concedere & largiri.

11. *Ita fit vt motus*] Q. l. sic habent: *ita fit vt motus principium ex eo sit, & à se æquetur.*

12. *Omnisq. natura consistat.*] Vet. libri, *omnisque natura & consistat* &c. sed ex Platonis Phædro, vnde hæc sumta sunt, videtur *terra*, restituendum, pro *natura*, Verba eius sunt hæc. *ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γῆν συμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ μήποτε αὖθις ἔχειν στῆναι ὅθεν κινηθέντα γενήσεται.*

FINIS.



CAROLI LANGII
GANDENSIS
CANONICI
LEODIENSIS

CARMINA LECTIORA.



CAROLVS LANGIVS
IN NAVALEM CHRISTIANORVM
de Turcis victoriam.



On satis Cyprum rapuisse, quondam
Ter tribus sceptris Selymæ imperatam?
Gallicos regum Veneto expiasse
Sanguine manes?
Non satis terra Euboia, sinuq;
Aulidis rapto, Rhodiisq; pulsis,
Tuta Myrtoï mediis vel vndis
Pandere vela
Posse? nil ora ad Libyca timentem
Nil ab aduersa: tenuiq; cymba
Vsq; Dictæos agitante remo
Ludere portus?
Nuper incassum Melite appetita,
Hostica pinu Ionium vetaret
Nemea vrgeret, & Siculo vagantes
Marmore Nymphas?
Sed cor ardescens odio innocentis
Sanguinis, dira modò quo calebant
Dextræ, veteresq; Dii, atque prædæ
Cæca Cupido,
Nil probant sanum. Rhodiam vndiquaq;
Milite instaurant, geminantq; apertis
Bosphori partis ab inhospitali
Gurgite classem.
Helladem ferro spoliant virisq;
Et penu, ac regnum Pelopis, saloq;
Quicquid Aegæo natat arte belli &
Robore pollens.

Sterni-

Sternitur pontus: stupet ipse ponti
Rex: at Inous melicerta fundens,
At breui istius capietis, inquit,
Præmia fastus.
En suam Cyprum Veneris nepotes
Sub prælii signis repetunt, colonia
Hadria, sancto, Dominisq; Hiberis
Fœdere iuncti.
It grauis moles pelago, vehitq;
Africæ immensas, Asiæq; gentes:
Mygdonum pubem, Rhodopem, Mol
Thessalaq; arma.
Iamq; Cretææ violantur vrbes,
Iam Same, & felix nemorum Zacinthus:
Mox Phalacrinas populando adire
Audet Arenas.
Inde conuerso Ambracia ora stringit
Remige, & noto aduehitur recessu,
Quà mare Aetolas penetrans Achais
Diuidit arces.
Faucibus sed vix stetit agmen ingens:
Ecce iuratæ ad pia vota pubes
Summa Phæacum freta moliuntur.
Signa crucesq;
Aureis tactæ radiis Eoi
Aequor illustrant, velut astra noctem
Cùm rigent canis acuente bruma
Arua pruinis.
Aduolant arces, animisq; iam iam
Speq; victores, niuei relicta
Rupe Leucates, Ithacæa cingunt
Littora, & hostis
Se sub aspectu statuunt, audentq;
Iam, licet fessi Zephyris iniquis,
Impetu insano medios in atram
Fundere classem.
Vt suem immanem, tenerosq; natos
Valle venator speculatus Idæ,
Hac feros Persas agit, hac sagaces
Parte Gelonas.

Ipse voce instat, comitumque suaque,
Forsitan si qua recubantem opaca,
Vicanum aut astu strepero lacessens,
Extrahat vlna.
Multa sic voluunt animis Latini,
Multa ductores Veneti, morantem
Si queant hostem elicere, vt patenti
Aequore agant rem.
Namque praestantem numero locoque
Aggredi, insanum. Et properare suadet
Sera tempestas, hyemisque, & instans
Tethyos ira.
Crederes terra modo velle Patras
Cingere, aduersas modo velle Achar
Mox quasi turpem reditum subornent,
Carbasa vertunt.
Vltimum lecta in medium feruntur
Ter dua inuictis animis triremes,
Atque cunctantes Cicones aperto
Marte lacessunt.
Tunc ruens Thracum soboles vera vi
Incubat: toto hinc acies & illinc
Agmine occurrunt; validi teruntur
Impete remi:
Rostra soluuntur, subit hac Iberus,
Hac Cilix audax inimica transtra,
Et furit ferro, hic animae, ille laudis
Raptus amore.
Mugiunt rupes, tremit vnda & aether
Glandea pulsus segete: ardet atrox
Pugna: Mars visus decies suorum
Stare carina
Aurea insignis galea, triplex cui
Vertice adspirans radiabat hydra,
Et grauem aerato quatiens & aptans
Pectore coruum.
Sed genus Diuûm Gustriades, Iberûm
Ductor, vt feta lea cùm sub antro
Coniugis tigrim rabidam occupauit,
Inuolat ardens:

Atq; se densos medium inter hostes,
Et sana tectus nebula, hac & illac
Et ratos semper gladio vel hasta
Duplicat ictus.
Ac modo alternam, & dubiam, nec aquo
Marte, nec velis paribus, nec armis
Asserens palmam manibus superbi
Eripit hostis.
Mitte velatas virid ante lauro,
Caroli proles generosa, mitte
Ad pium patrem tamen, at praeiuit
Fama tabellas.
Ipse de caelo didicit, diesq;
Dum prece & nocte superos fatigans
Pro tuo supplex facit & tuorum
Vota salute.
Tu quoq; ad sacras age stratus aras
Da Deo laudes. dedit ipse palmam,
Cum dedit vires animosq;, telis
Cùm dedit alas.
Lesbiis audens fidibus volebam
Pergere, & cœpta dare vela Musae,
Ederet tantae seriem modumq;
Carmine cadis:
Sed suis Phœbus vetus exul agris,
Haec, ait, magnis numeris canentur
Ore Torrenti. Tibi nostra sunto
Gramina curae.
Ille cantabit Latii columnam,
Robur: Vrsinum figuramq; dicet
Auriam & Troûm genus Hadriana
Sidera gentis.
Ille quot pressae Ioniae triremes:
Quot dati laeto populi, ducesq; &
Qua manu: quae vis ratiumq; ducta
Quaeque virorum.
Aureos demum comitante currus
Milite, excelsum Austriadem sacratis
Romuli portis, celebri triumpho
Capta trahentem

Arma, Nessorum spolia atq; ponti
Italo ostendet populo: patriisq;
Ad pii amplexus & amica pronum
Oscula sistet.
Rursus Etruscum mare nauigantem
Subuehet portu veteris Mathonae,
Barbarisq; omni ditione Graium
Fortiter actis.
Delphica & Deli noua templa, & aram
Actiam docto latice irrigabit:
Et pius viset reduces bicorni
Monte Camenas.

CAROLI LANGII

Hymnus

In natali Domini nostri Iesu Christi.

Praecipuè ad Iudaeos.

EXsilite mente & ore, subsilite gestibus,
Ad fides acti canoras, ad trocheos mobiles,
Quotquot arcano sacratus tinxit amnis flumine.
Ecce sol memor recurrit, quo salus terris data est:
Nempe quo Deus perenni spiritu Dei inditus
Virgini lecta, Dauidis inclyto de sanguine,
Membraq; indutus tenella mundo anhelanti editur.
O stupenda res nec vllis gentibus percognita!
Filius patri coaeuus, par Patri potentia,
Integra diuinitate, verè homo fit, ac puer
Victu alendus, ceterorum & ritibus mortalium,
Matris intacto pudore, patris expers nascitur.
Euge fortunata mater, quam Iehoua virginem
Ante secla mille lectam de Sionis milibus,
Fulgure afflauit beato, fulgure admirabili

Virgi-

Virginem perstrinxit, aruum virginis fetu induit,
Nec cutem læsit, nec arui siderauit purpuram.
Non erat trisulcus ille qui rotis cælestibus
Excitus rupti penetrat ignis incudem aeris;
Sed Dei exhalatus ore, semine æterno tumens:
Quem videbat emicantem pastor illæsa in rubo
Monte cum sancto ducatum gentis accepit suæ.
Iactitabat illa quondam se stupro Martis grauem,
Altera Hammone intumebat, alia Phœbo adultero
Inde monstra prodiere: parricida Romulus:
Inde Alexander cruentus, vinolentus, impius:
Inde Cæsar, sectione, stans ad hastam, ciuium
Quos rogo elatos inani, nemo vidit posteà:
Tu sed æternus Deus non es velut Dii gentium.
Euge ter beata mater, cuius intra viscera
Mensibus decem quieuit auctor ac parens tuus.
Qui volubiles gradatim, vitrei per ætheris
Aequor inuectus, nouenos circinauit ambitus,
Dispari lapsu cientes consonum lyræ melos:
Intimoq; terra inertis clusit or: em fornice
Pendulum, & quacunq; versus aëris fultum freto:
Illiusq; ambos tremendo cardines vultu regens,
Partibus volumen anni quattuor dispescuit,
Propriosq; cuiq; mores, munera inscripsit sua.
Cuius ad cornu vicissim sidera omnia excubant:
Atq; diuersis sagittis temperant rerum vices.
Luna prælucet, tenebris, rore fæcundo aëra
Educans, humumq; summam. Phœbus illustrat diem,
Flammeisq; libat aureis læta mundi germina.
Quid puer te magne mouit, quòd paternæ regiæ
Deserens augusta templa, carcerem terræ subis?
O amor cælo asserendus, ore quem nemo eloqui,
Nemo mente possit vnquam, nemo sensibus sequi!
O Patris miranda iussa! mittit heredem pater
Vnicum sciens volensq; conscium & promptum obsequi,
In necem, in derisionem. O gnati obedientia,
Quam typo præiuit olim ductus à patre Isacus.
Quis tibi, Iudæa vecors, quis furor mentem insidet?
Cur nec agnoscis, nec vlnis excipis plaudentem,
Quem prece antè, thure, votis tàm diu vocaueras?

Ipsus est à qua latentes monte Sinnaitide
Gentis humanæ atq; rerum doctus olim origines
Edidit Moses: tabellas legis à quo pertulit.
Ipsus est, hic ipsus ille, qui patres quondam tuos
Colla Nilois grauata liberatas vinculis,
Cùm velut diuaricato stagni Erythræi sinu,
Peruio munisset imi marmoris callem vado,
Qua tuos emisit omnes, & volentem persequi
Rursus adducto meatu elusit hostem gurgite,
Ad beata eduxit arua, quæ perenni flumina
Lacte præbebant: vbi altæ mella stillabant cedri.
Ecce nunc legatus ad vos rursus ab cœlo venit,
Fœderis magni sequester, sponsor, obses, deditus:
Dextera gerens tenella mitem oliuæ termitem,
Laneis vittis amictum: nempè fert legem nouam,
Sed benignam, & quæ prioris molliat callos iugi:
Quam suo cruore primus auspicatus imbuet,
Magna pro vobis volensq; proq; nobis hostia.
Ecce signa mille, vatum concinunt oraculis,
Cunæ Idumææ: parentes rege Idumæo genus:
Stellaq; insolens beatis insidens cunabulis,
Quam Sabæi longè, vt vrsam, profecuti reguli,
Dona proiecti referto contulere infantulo,
Auri opes & sancta thura, lacrymasq; murreas,
Regem adorantes, Deumq; humanitate præditum:
Tùm serenanti suauis æthere exultans sonus,
Quem greges sensere muti, hincq; custodes gregum
Collibus latè euocauit ad sacra præsepia.
Audiuere hæc soli agrestes? hæc peregrini extimi
Visa percepere soli? vos tenebat scilicet alta?
Alta caligo sopitos noctium tot circulis:
Nec frequenti in gente quisquam sustulit collo caput.
Demus hæc vt mente tardis, cæca, perplexa ardua
Dicta sint vatum: Dementes audiistis arbitror
Impio infantes sub ense, & heiulantes lugubre
In viis orbas, foroque, puluere atratas, coma
Squalida, genas cruentis exarantes vnguibus.
Sed quid audiisse dico? cuncta vidistis. palàm
Ista vidistis patrari: liberos vestros trahi
Vbere auulsos madenti, sanguine immergi suo,
Proiicique ante ora matrum tabe spargi limina

Semi-

Semitasque, auctos cruore purpurare riuulos.
Ista vidistis? nec vllus corda peruasit dolor?
Nulla cura? nullus vssit humor offusus genas?
Non, quid hæc vellet tyrannis, diritasque prodiga
Anxii anquisistis? album non tetrarcha perfidi
Vos sacerdotesq. vestri examinastis sedulo?
Natus est mundo monarcha, natus est in Efrata
Oppido Dauidis, inquit. Quos habetis indices?
Quæve signa? Certa. Regem siccine ergò occidistis
Cælitus votum datumq.? signa si nulla edita,
Si metu, famaue capta, quorsus hæc immanitas?
Paruuli insontes acerba cur trucidantur nece?
Tantuli optata propago est? tantuli care oscula?
O inhumanum parentum ô beluinam ignauiam!
Surgeretis ipsi, & hostem vindicantes publicum,
Pectoris immanis tyranni ferrum idem pro liberis
Conderetis, nuper acres pro sacris, pro patria,
Proq. libertate quod non horruistis stringere.
Tanta sed fuere vestra, tanta avorum crimina,
Vt quid impium, piumve, quid decorum aut indecens,
Cernere haud quiretis: almum scilicet destinxerat
Gratiæ cælestis ignem cordibus vestris Deus.
Hinc nefas in omne cæci corruistis: lumina
Impotes leuare sursum, noscere auctorem boni.
Mille te canant profani, mille te sacri libri:
Nuncii tot ante cursant: mille seruent augures,
Ipse fer puelle tecum nota mille insignibus,
Et sinu sancto reposta de patre crepundia;
Nil agis: Iudæa regem te tua explodit suum:
Sordidum aduentum execratur, cetera vt ficta, & meras
Fabulas eludit, aut fanaticorum insomnia.
Fastus alto corde turgens, paupere à mapalio
Messiam nosse erubescit: liuor improbus fauor
Infima de plebe ciui tantum honoris inuidet.
Heu inops postella mentis, diues erroris mali,
Somnia hæc tàm clara signa, fabulasq. ducitis?
Quid, quòd haud multo secutis tàm disertis pastor
Tot nobis fidem abrogastis? quamue causam obtenditis?
Vos modo artis involutum & vagientem tæniis,
Post virum, cælestis ortus quot diebus symbola

Ipsus est à qua latentes monte Sinaitide
Gentis humanæ atq; rerum doctus olim origines
Edidit Moses: tabellas legis à quo pertulit.
Ipsus est, hic ipsus ille, qui patres quondam tuos
Colla Niloïs grauata liberatas vinculis,
Cùm velut diuaricato stagni Erythræi sinu,
Peruio muniisset imi marmoris callem vado,
Qua tuos emisit omnes, & volentem persequi
Rursus adducto meatu elusit hostem gurgite,
Ad beata eduxit arua, quæ perenni flumina
Lacte præbebant: vbi altæ mella stillabant cedri.
Ecce nunc legatus ad vos rursus ab cælo venit,
Fœderis magni sequester, sponsor, obses, deditus:
Dextera gerens tenella mitem oliuæ termitem,
Laneis vittis amictum: nempè fert legem nouam,
Sed benignam, & quæ prioris molliat callos iugi:
Quam suo cruore primus auspicatus imbuet,
Magna pro vobis volensq; proq; nobis hostia.
Ecce signa mille, vatum concinunt oraculis,
Cunæ Idumææ: parentes rege Idumæo genus:
Stellaq; insolens beatis insidens cunabulis,
Quam Sabæi longè, vt vrsam, prosecuti reguli,
Dona proiecti referto contulere infantulo,
Auri opes & sancta thura, lacrymasq; murreas,
Regem adorantes, Deumq; humanitate præditum:
Tùm serenanti suauis æthere exultans sonus,
Quem greges sensere muti, hincq; custodes gregum
Collibus latè euocauit ad sacra præsepia.
Audiuere hæc soli agrestes? hæc peregrini extimi
Visa percepere soli? vos tenebat scilicet alta?
Alta caligo sopitos noctium tot circulis:
Nec frequenti in gente quisquam sustulit collo caput.
Demus hæc vt mente tardis, cæca, perplexa ardua
Dicta sint vatum: Dementes audiistis arbitror
Impio infantes sub ense, & heiulantes lugubre
In viis orbas, foroque, puluere atratas, coma
Squalida, genas cruentis exarantes vnguibus.
Sed quid audiisse dico? cuncta vidistis. palàm
Ista vidistis patrari: liberos vestros trahi
Vbere auulsos madenti, sanguine immergi suo,
Proiicique ante ora matrum tabe spargi limina

Semi-

Semitasque, auctos cruore purpurare riuulos.
Ista vidistis? nec vllus corda peruasit dolor?
Nulla cura? nullus vsit humor offusus genas?
Non, quid hæc vellet tyrannis, diritasque prodiga
Anxii anquisistis? album non tetrarchæ perfidi
Vos sacerdotesq. vestri examinastis sedulo?
Natus est mundo monarcha, natus est in Efrata
Oppido Dauidis, inquit. Quos habetis indices?
Quæve signa? Certa. Regem siccine ergò occidistis
Cælitus votum datumq.? signa si nulla edita,
Si metu, famaue capta, quorsus hæc immanitas?
Paruuli insontes acerba cur trucidantur nece?
Tantuli optata propago est? tantuli caræ oscula?
O inhumanum parentum ô beluinam ignauiam!
Surgeretis ipsi, & hostem vindicantes publicum,
Pectoris immanis tyranni ferrum idem pro liberis
Conderetis, nuper acres pro sacris, pro patria,
Proq. libertate quod non horruistis stringere.
Tanta sed fuere vestra, tanta avorum crimina,
Vt quid impium, piumve, quid decorum aut indecens,
Cernere haud quiretis: almum scilicet destinxerat
Gratiæ cælestis ignem cordibus vestris Deus.
Hinc nefas in omne cæci corruistis: lumina
Impotes leuare sursum, noscere auctorem boni.
Mille te canant profani, mille te sacri libri:
Nuncii tot ante cursant: mille seruent augures,
Ipse fer puellæ tecum nota mille insignibus,
Et sinu sancto reposta de patre crepundia;
Nil agis: Iudæa regem te tua explodit suum:
Sordidum aduentum execratur, cetera vt ficta, & meras
Fabulas eludit, aut fanaticorum insomnia.
Fastus alto corde turgens, paupere à mapalio
Messiam nosse erubescit: liuor improbus fauor
Infima de plebe ciui tantum honoris inuidet.
Heu inops postella mentis, diues erroris mali,
Somnia hæc tàm clara signa, fabulasq. ducitis?
Quid, quòd haud multo secutis tàm disertis pastor
Tot nobis fidem abrogastis? quamue causam obtenditis?
Vos modo artis involutum & vagientem tæniis,
Post virum, cælestis ortus quot diebus symbola

Mille præbentem, pudenda (sic videntes dixerant)
Morte multastis. Sed & tunc, prò pudor, cœlo data
Signa non vidistis vlla? non tenebris obrutum
Limpidæ iubar diei? deinde Olympo nubilo
Stellam inhorrescentem cruentis & minantem spiculis
Nuncia tot calamitatum, queis ob hoc tantùm stellas
Nosq; liberosq; vestros mox flagellauit Deus?
Quin & ipse hic quem sacrastis vt piamen publicum,
Quiq; singultus supremos omnibus spectantibus
Spiritum exhalans beatum, duxerat vili in cruce,
Impia cor ictus hasta, percitus spinis caput,
Tertia pòst inde luce mole cùm de saxea
Viuus exiit, palamq; est agnitus mortalibus.
Ossibus neruisq; textus, carne vestitus sua,
Perditor instaurator auræ, dux renascendi & via:
Non cauis tunc pulsa tellus triste mouit ictibus?
Dissidensq; exclusit atro conditos multos sinu,
Luce desueta stupentes & dedit palàm frui
Sole, mox cœlo secutos Messiam via ducem?
Non calens ad id dierum, tunc repentè extabuit
Delphici cortina fani? non Lybissa destitit
Ara responsa; & loquaces Chaonum quercus dare?
Nemo Prænestina fata, nemo fontem Antenoris
Consulens posthac obiuit, dæmonumue ceteros.
Ista vos nescisse credam? an relatu aut nunciis,
Non tabellis imbibisse? quæ stupebant barbari
Atq; Athenarum Sophistæ? quæ timebant Cæsares
Sceptra tunc mundi vibrantes. Nam Sibyllarum modo
Nasciturum orbi canebant diu Regem carmina.
Filium fabri vocatis tot fabrorum filiis
Morte conditis, quis vnquam rursus euasit rogo?
Cuius ad funus Deorum concidere imagines,
Cunctaq; immensum per orbem obmutuere oracula?
Et fabri priuignus iste, quem vocatis filiumq;
Messiam, nos confitemur, cùm puer mundo extitit,
Nonne Iudæ sempiterno sedit Herodes throno
Ortus Ascalone olenti stirpe cæsa Isacidum?
Quantulo post hunc eundem iure spreto & ordine
Regia tribus supremum quam tulistis in cruorem,
Quot secuta bella? cædes sub tyrannis Ausonum

Quot

Quot relata? ciuitatis dum sacrata mœnia
Cincta machinis, fame, igni, vindice æquauit
Polluens manu, fundoq́; vertens sanctuarium Dei
Flauia de gente Cæsar: vos auitis sedibus
Miles exegit, laresq́; sanguine infantum illuit:
Quæ nec euentura, donec destinatus à patre
Meßias Deo veniret, semini Iudæ insitus,
Patriarchæ prodidere, præcinerunt entheo
Flamine imbuti Prophetæ, & vos negare à patribus
Facta, & euenisse docti non potestis: omnium
In libris perscripta constant: partim adhuc sentiscitis
Exules vagique sparsim, rerum egentes, luridi,
Dum profano in orbe vitam commodato ducitis.
Tollite ergò vela fronte, cernite æternùm æthera,
Lumen vsurpate purum, cuius almis fluxibus
Occupati errore mentes, per tot ipsi sæcula
Hactenus frui nequistis. ne moramini amplius
Meßiam vestrum. Ipse venit, venit, ô venit diu,
Et pia legatione functus ad patrem redit.
Credite, & noua volentes iussa legis sumite.
Cara gens, cœlique consors, ac velut domestica,
Tempus est tam diu iacentem, nomine heredum edita,
Atque tantùm non caducam portionem agnoscere
Tanto honore præmioque ditem, opimam, splendidam,
Tinguat istos vnda canos, vnda Iordanis noui,
Mystica manu piata, quæ tenax senum laude,
Principes quos parentes, traducesque liberos
Inquinarant: inde puri templa nobiscum Dei
Abrami, Dei Isaci, Dei Iacobi accedite.
Nil opus capro vel agno, nil coronata vacca;
Supplices cum caritate, cum fide & ieiuniis
Ite, Meßiamque tandem voto adorate & labris,
Cuius hoc solenni honore pangimus cunabula.
Seduli lectum niuentem spargite hibernis rosis,
Spargite aras, myrteisq́; tersa verbenis sola.
Cerei paßim, columnis omnibus micent faces,
Tum piis tonate psalmis: voce, cornu, fistulis,
Redditi alternis lacunar aureum rumpant modi:
Thuraque à plenis acerris verberent fumo tholos.
Temporum pensate damna, laudum compendio.

Ipse

Ipse passim ad se profectos suscipit. Tardè quidem
Plurimi venere: serò nullus aut frustrà venit.

EIVSDEM

Paraphrasis

In Orationem Dominicam.

Rerum atq; gentis magne hominum parens,
Qui latè Olympo stellifero imperas,
Terrasq; tanquam rus superbum
Perpetuis renovas colonis:
Qua surgit & qua praecipitat dies
Omnes loquantur te populi, & vacent,
Tuumq; nomen sempiternis
Marmoribus celebrent & aere.
Regnumq; terris vnanimes tuum
Firment, & acres iussa obeant tua:
Et, quo tibi apparent cohortes
Caelituum studio, obsecundent.
En quos colendis per vaga praedia
Agris locasti, soluimus istius
Pensum diei, da diurnum
Quo fluidi recreentur artus.
Vtq; alligatos qui reliqua haud queant
Praestare, damnis quive dolo doctis
Iniuriaue se implicarunt,
Soluimus aere, damusq; dextram:
Sic tu, Pater, largire quod improbè
Aut negligenter gessimus: & stilo
Verso benignus nostra leuis
Exime nomina de tabellis.
Et nos Cupido ne malus impio
Errore captos in facinus trahat,
Serua: atq; securos tuere
Insidiis malesuadi ab hostis.

HY.

HYMNVS

Ad Christum.

CHriste supremi soboles Tonantis,
Qui tuo nobis maculas auitas
Sanguine extersisti, Ereboq́ nepos
Morte luisti:
Cuius ad nutum sitientis aurea
Cornua Hammonis tacuere, Phœbi
Antra sederunt, crepuere aëna
Ignibus ollæ.
Imbue ô nostrum stabiliq́ pectus
Spiritu æterno: assiduè ille nostros
Dirigat sensus animosq́, nostra
Dirigat ora.
Nulla mente errent memori Deorum,
Nulla blasphema simulacra lingua,
Tu Deus solus, pater vniuersi
Arbiter & Rex.
Aethere ardenti dominaris, idem
Mollibus ventis: tibi paret æquor
Tartarusq́ altus: tibi paret vni
Quicquid vbiq́ est.

EIVSDEM

In Europam seditionibus agitatam.

FOecunda terras iam decies quater
Bearat almis mater honoribus,
Suosq́ diti afflarat aura
Bacchus agros: toties coloni
Spem miles illam perdidit impius;
Európa, sed quondam, inclyta cùm domi
Sæuis, & in te ira Deorum
Ipse tuum fera vertis ensem:

Quo regna Ponti & fertilis Africæ
Tot Martiarum secula gentium
Subegeras, coniunxerasq;
Sceptra potens maris atq; terræ.
Tantum nefas est imperium Iouis
Magna vibrantis fulmina dextera
Spreuisse, cælestesq; honores
Mascula non adolesse thura.
Tu prima ritum auersa parentium
Germana pubes, progenies Pholi,
Terraq; & igni audax adorta es
Sancta Dei violare templa.
Mox qui niuosis callibus Alpium
Pascunt, seculi: deinde Britannia:
Et qui patenti plaustra ducit
Barbarus Oceano Suëdus.
Postrema nunc vrget decimo impetu
Quicquid sacrati est, Gallia mobilis,
Rheniq; scriptis vsq; ab ore
Auxiliis, quatit impia arma.
Vna hos furores nescia, fortium
Altrix virorum Oenotria, & alteri
Quæ iusta nunc dat sceptra mundo
Hesperia. ô ita te vsq; seruet
Magnus sacerdos regia munerum:
Sic te Philippus seruet Hiberia.
Sed pœna abundè est: pone sæuas
Pone pater superum sagittas.
Demitte cælo Atlantiadem tuum,
Qui dißipatos relligionibus,
Et Marte acerbatos nefando,
Mulceat ore, agiliq; virga.
Tum delinitos, in veterem modum,
Tanquam expiata tristitia assecrat:
Interq; se nodo priori
Vinciat, ingenuaq; pace.

EIVS

EIVSDEM LANGII

AVGVSTA EBVRONVM LEODICVM.

PLeraq; censentur Cerealibus oppida campis:
Sunt quæ vitigeris nobilitantur agris.
Quædam etiam effossis fiunt præclara metallis,
Diuitias aliis pascua læta ferunt.
Illa situ specieq; decus famamq; merentur,
Mænibus hæc laxis ædibus illa sacris,
Pluribus insignis nomen dedit amnis honestum,
Quo meat & remeat velificata ratis.
Hæc vrbes aliæ: & dum singula quæq; potitur,
Pœnè effert ipsis cornua sideribus.
At ego læta fruor simul omnibus; omnia Diui
In gremium quondam deposuere meum.
Hic frugum omne genus, seu vis quæ falce metuntur,
Siue colona auido quas legit vsta sinu.
Triticeæ inprimis segetes. Ennæa quot olim
Quamuis diuina consita gleba manu,
Laserpitiferæ quot non ridere Cyrenæ;
Tàm sunt Hasbaniæ rura beata meæ.
Plurimus hîc etiam Bacchus, gratissimus ori
Dum ferus arentes Sirius vrit agros.
Nemo mihi iactet summis quæ diuite vena
Terra visceribus forte metalla trahit:
Hæc quoq; dona mihi terræ pater vbere dextra
Et dedit, & grandi fœnore cincta dedit.
Quadringenta auri redeunt mihi millia in annos
De carbone atro quem mea mittit humus.
Nec ferri est vsura minor, sed & vbera plumbi
Vectigal grande & marmora nostra ferunt.
Prætereo inuitus, quorum hic insigne macellum est,
Capreolos pingues, lanigerosq; greges.
Peræt reo variis pomaria fructibus aucta,
Alcinoi quantas non dedit hortus opes.
Naiadumq; domos gelidos per compita fontes,
Qui mihi messe auras, grataq; pocla ferunt.

Et te Mosa canam. Nam quot, tot munera cæli
Si mutare aliis non licet vlla mihi?
Ergò inter primos quos Gallia procreat amnes,
Non tibi postremus Mosa feretur honos.
Innumeris tua me felix beat vsibus ora,
Et tuus innumeras alueus edit opes,
Ora dat immensas siluas, tectisq; focisq;
Materiem, omnigenis lustraq; tuta feris,
Prataq; vel denso passim redolentia fæno,
Vel detondenti pabula læta boui.

FINIS.



ELEN-



ELENCHVS AVCTORVM

Qui

In hoc opere Critico ANDR. SCHOTTI aut emendantur, aut notantur, aut illustrantur, aut enodantur.

Numerus Romanus, prior, quemq; librum; barbaricus, alter, paginam signat.

Ne autem lector fortean diuersa Capitum & librorum confundatur ratione, vtrumque Opus literâ suâ capitali distinximus, vt quoties ad Obseruationum libros recurrendum, τò O; sin ad Nodos Ciceronian. τò N. anquirentem eò rectà deduceret.

Cari-

Ennius

He-

Sto-

FINIS.

INDEX



INDEX

In Obseruationibus Philologicis, Nodisq; Ciceronianis

MEMORABILIVM.

Hîc itidem de litteris O & N obseruandum, quod modò in Auctorum Elencho sumus præfati.

A.



Aegroto-

Animæ

C.

 Chalcis,

Crathis

D.

Durius,

E.

Euri-

F.

Formius,

H.

I.

Imfima

K.

L.

Ligures,

M.

N.

Νύμφη

P.

Παιδίσκη

Rrr   Phlegon,

Q.

Sapientia

T.

Tamen

Tole-

Viuen-

FINIS.



INDEX LAVDABILIVM

In Notis

CAROLI LANGII

Ad Ciceronis

Opuscula Officiorum.

Off. officia. Cat. Catonem Maiorem, seu de Amicitia. Læl. Lælium, seu de Amicitia. Par. Paradoxa. Somn. Somnium Scipionis.

Prior numerus libri est Offic. alter Notarum.

Agere

Data

D.

E.

L.

Q.

Re

R.

S.

T.

V.

C. Ver-

FINIS.

Scripto-



Scriptorum loca à CAROLO LANGIO emendata & illustrata.

Glos-